Vangi

Discipl

Clericor

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
6 B
19

M

Digitized by Google

13-6-B-19

I

Culpa caret qui scit, sed prohibere nō pot.

[illegible] ea constat [illegible] nec ea quidem quae [illegible] locum habent.

Nullus [illegible] deterioribus [illegible] prohibetur

Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere nō uidetur, cum habeat parere necesse.

Accessorium naturam sequi congruit principalis.

Inspicimus in obscuris id quod est uerisimilius, uel quod plerumque fieri consueuit.

[illegible] ubi [illegible]

Qui prior est tempore potior est Iure.

In Re cōmuni potior est conditio prohibentis.

Dolo facit qui petit quod restituere oportet eundem.

Non est in mora qui potest exceptione legitima se tueri.

[illegible] nomine [illegible]

Non potest plus Iuris transferre in alium quam sibi competere dinoscitur.

In Contractibus [illegible] ex dolo eorum qui in [illegible] [illegible] in id [illegible] [illegible] uerum [illegible] ea [illegible] [illegible]

C ·60·c.

Digitized by Google

DISCIPLINA CLERICORVM

R.P.M.F. Angeli Vancij Arimin. Ord. Erem. S. Auguſtini;

Eccleſiaſticis, præſertim verò animarum Curatoribus perneceſſaria.

Ad Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum D.

D. CYPRIANVM

PAVONIVM

EPISCOPVM ARIMINENSEM.



BONONIÆ M.DC.XXIII.

Typis Theodori Maſcheronij, & Clementis Ferronij.
Habita Superiorum licentia.

Digitized by Google

13. 6. B. 19

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISS.

DOMINO

D. CYPRIANO PAVONIO

Epiſc. Arimini, Patrono Colendiſs.

Mag. Fr. Angelus Vancius Ariminenſis Auguſtinianus
P. S.

CVM Diſciplinam hanc Clericorum in lucem prodire iu animum induxerim, quæ non perexiguam legentibus afferret vtilitatem, ijs præſertim, qui in ſortem Domini vocati, ſedulam operam in Vinea Domini nauare tenentur; opus vtiliſſimum ſanè, ac vt putò illis etiam fortaſſe gratiſſimum, qui aliorum lucubrationes, non modò non aſpernantur, verùm per ſimiles virtutis, & ingenij, & litterarum labores amãt, fouent, & amplectuntur: præclarum aliquod ei patrocinium, & ſplendorem ſimul quærere meditatus ſum, ne quis mihi negligentiæ nomen imponere poſſet, ſi aliquo ornamentorum, quæ cæteris in rebus adhiberi ſolent, immeritò carere videre-

*tur: Neminem porrò, vel in ipſo rei limine fore exi-
ſtimo, cui non ſtatim ſit mea hæc probata deliberatio,
dum Mæcenatem aſſiſcerem Chriſtianæ Reipub. Præſu-
lem Illuſtriſſimum, Epiſcopalis gloria dignitatis Reue-
rendiſſimum, litterariæ profeſſionis Antiſtitem præ-
ſtantiſſimum, generoſiſſimæ Arimineæ Nobilitatis ho-
nore conſpicuum; vt propterea mirari quiſque deſinet,
quòd ego Theologorum minimus, Amplitudini Domina-
tionis tuæ librum hunc ſim auſus offerre, Periandri Phi-
loſophi ſententiæ non immemor, vt qui ingrati animi
vitio laborare deprehenderetur, vel otio tabeſcere, is
certè tanquam Monſtrum, procul ab Vrbe, ciuiumq; cę-
tu pelleretur, aliorum indignus conſpectu. longè plura,
quàm valeo tibi debere ingenuè fateor: at quod opere
præſtare nequeo, flagranti ſaltem deſiderio, quod Am-
plitudini tamen tuæ maximè videtur accommodatum,
argumentum aliquod in lucem proferre mirum in mo-
dum cupiens, quamprimum ſe ſe obtulit occaſio, eam in
præſentiarum libens arripui, vtq; ad hanc gratam ani-
mi mei deliberationem non ſolùm firmandam, verum-
etiam cohoneſtandam, cum plures aliæ intercederent,
maioreſq; cauſæ, nullumq; alium, præter te mihi per-
ſuaderent iure eligendum, cui potiſſimùm tale quid mu-
neris commendare vellem; extabant profectò eximiæ
virtutis tuæ teſtimonia, quæ prudentiæ magnitudinem,
vitæ probitatem, morum integritatem, iuſtitiæ æqui-
tatem, Heroicam munificentiam, charitatem inſuper di-
uinam propemodum, qua cunctos fidei tuæ commiſſos*

popu-

populos egregiè complecteris, cæteraſq; tuas illas animi dotes, quæ optimum Ciuem Patriæ gratiſſimum, ſuis iucundum, omnibus ſpectatum facilè declarare poſſent, neque Ego hoc in loco pluribus verbis narrare contendo, res præclarè geſtas, tàm hilari, & Ciuium tuorum, aliorumq; conſenſu ſummo ſtudio ſæpè commemoratas, dum incredibilem omnes amant mentis ſinceritatem, pietatem in Deum, religionis tuæ decorem celebrent inſignem, grauitatemq; cum humanitate mirentur coniunctam, ex quo facilè perſpici poteſt honores tibi iam traditos, vt à te illuſtrentur potiùs, quàm vt ab illis tu aliquid accipias exiſtimationis tuæ incrementum: plura nunc nolo; ſatis egregium huius diligentiæ meæ eſſe conſecutum prēmium arbitrabor, ſi à me inſcripti operis patrocinium ſuſcipere, ſublimem mentem tuam in eius rei implicatione, tot implicatus pro animarum ſalute negotijs, quandoq; conuertere, ac paucas quidem impendere horarum moras non graueris, animiq; mei obſeruantiam tibi perſpectam habere obnixè precabor.

Interim meæ partes erunt, apud D. O. M. preces
effundere, vt te Ariminenſium decus diù
ſeruet incolumen, & ea via, qua
præproperis meritorum greſ-
ſibus iam incedere
cœpiſti,
altiora conferre dignetur ornamenta.

NOs Magiſt. Fr. Fulgentius à Monte Georgio, totius Ord. Erem. S. Auguſtini Generalis, concedimus, vt Liber inſcriptus, Diſciplina Clericorum, per Ven. Pat. Magiſt. Angelum Ariminenſem compoſitus, typis mandetur, in cuius fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo Ordinis noſtri munitas dedimus.

Romæ die 5. Nouembris 1622.

Noſtri officij affixo ſigillo

Fr. Fulgentius Gener. ſuprad.

Locus ✠ Sigilli.

Regiſt. lib. 2.

Don Homobonus de Bonis, Pœnitentiarius, Clericus regularis S. Pauli, pro Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Card. Archiepiſcopo.

Imprimatur.

Fr. Hieronymus Onuphrius Romanus, Doctor Collegiatus, atq; Lector publicus, ac ſanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultor, pro Reuerendiſs. P. Mag. Paulo de Garrexio Inquiſit. Bonon.

Ego

EGo Fr. Felix Amorinus Romanus, ſacræ Theologiæ Lector Dominicanus, de mandato Reuerendiſs. Pat. Mag. Michaelis à Tabia Ord. Prædicat. Inquiſit. Arimini, præclarum hoc opus doctiſſimi ſacræ Theologiæ Magiſtri, Admod. Reuer. Pat. Fr. Angeli Vancij Ariminenſis, Ord. Eremit. S. Auguſtini, Diſciplina Clericorum inſcriptum, diligenter vidi, & perlegi, nihilque Chriſtianæ fidei noxium, nihil à morum honeſtate deuium, neque à legibus indictum reperi: Quinimò Clericis omnibus ſummè proficuum fore exiſtimo; ac propterea prælo eſſe illud mandandum iudico. Idque hoc ſcripto, & manu propria confirmo. Arimini die 14. Iulij 1622.

Ita eſt Fr. Felix de Roma, qui ſupra, in Conuentu S. Dominici Lector prim.

EGo Fr. Ambroſius Riccius Ariminenſis, Ord. Erem. S. Auguſtini, ſacræ Theologiæ Magiſter, de mandato Reuerendiſs. Pat. Mag. Fulgentij à Monte Georgio, Generalis Ord. Erem. S. Auguſtini, vidi, ac diligenter perlegi Librum hunc inſcriptũ, Diſciplina Clericorum, ab Adm. Reuer. P. Mag. Angelo Vancio Ariminenſe Auguſtiniano compoſitum: opus certè egregium, multiplici eruditione, ac diuinarum, humanarumq; litterarum varietate refertum, quod ſemper præ manibus habere deberent Clerici omnes curam animarum exercentes, cum in eo, quid præſtare, quiduè cauere debeant, vt muneri ſuo ſatisfaciant, facili quadam methodo, habeatur. In quo ſanè nihil reperi, quod regulis Catholicæ fidei, ac bonis moribus aduerſetur, quin potius doctrinam ſanam, & dictis ſacrorum Canonum, & Conciliorum conformem; quare dignum mihi viſum eſt, vt ad communem omnium vtilitatem, & commodum, in lucem prodeat, typiſq; mandetur. Arimini ex noſtro D. Io. Euangeliſtæ Cœnobio die 26. Iunij 1622.

Mag. Fr. Ambroſius Ariminen. Auguſtinianus.

Præ-

Digitized by Google

PRÆFATIO AVTHORIS AD PIVM LECTOREM.

ETSI modò non dubito, pie Lector, me illam reprehenſionem incurſurum, quam olim Phormionem Philoſophum ſubijſſe, refert Plutrarchus; quippe qui coram Annibale, cùm de diſciplina militari verba feciſſet, cuius doctrinam, & eloquentiam cæteris admirantibus, & ab Annibale ſciſcitantibus, quid ſibi de Phormione videretur, reſpondiſſe ferunt, ſe multos quidem deliros ſenes vidiſſe, ſed neminem Phormione dementiorem, quòd de re huiuſmodi coram duce rei militaris peritiſſimo agere voluiſſet. Quid mirum igitur, ſi hoc idem mihi omnium imperitorum imperitiſſimo contigerit? qui coram tam multis Eccleſiæ anteſignanis, ac viris doctiſſimis de eorum officio tractare præſumpſerim? Attamen cum videam quantis periculis, quantiſq; laboribus, cura hæc paſtoralis ſit obnoxia; quamq; laborioſum, & difficile ſemper fuerit præeſſe cæteris, & præſertim hac tempeſtate, non ab re me facturum exiſtimaui, ſi illis modo aliquo cupiens opitulari, opus hoc in lucem proferre ſim auſus. Qui enim euangelico Sacerdoti, & animarum curatori informãdo aliquam nauant operam; nihilominus benè meritus de Chriſtiani populi inſtitutione cenſeri debet; quam ſi eundem ipſe populũ ad Chriſtianam diſciplinam erudijſſet, tamq; libenter eius labor

ſuſcipiendus erit ab aliјs, quàm vtiliter eſt ab Authore ſuſceptus; magno certè quidem ſtudio ità diſpoſitum eſt opus iſtud, vt parce noua, ſed vetera potiùs complectens, ſummam quandam benè regendi populum, ex doctiſſimorum Authorum viridarijs collectam, & Epiſcopi, & animarum rectores habere poſſint: quam vt elaboratiſſimam præſtaret Author, quaſi apis argumentoſa, per varios Authorum hortos, ac flores volitans, ex vno quoque decerpit, quod huic præclaro muneri futurum vtile iudicauit, ad Prælatos præcipuè tum excitandos, ſi fortè cum Petro obdormirent, tum etiam ad Confeſſarios, animarumq; Curatores informandos, erudiendoſuè, qua ratione cæteros homines ſuæ commiſſos fidei valeāt, & iuſtos, & beatos efficere. His præterea, qui populo præſunt, vtilitatem afferre, omnes facilè intelligent, qui ferè omnia hic tradita eſſe, quæ ad eorum pertinent officium animaduerterint: Vnde id fuit cauſæ, cur is Liber Diſciplina Clericorum inſcriberetur; propterea quòd ex eo omnes, qui miniſtri in Dei Eccleſia ſunt conſtituti, celeriter, quæ ſui ſunt numeris ſpeculantes, quæ fugienda nouerint, omni ſtudio, ac diligentia fugiant, & quidem facili methodo; quæ verò ſectanda, omni qua poterunt vigilantia, ac cura cuſtodire contendant: atq; ſubiectos ſibi homines iuuent, tueantur, ac ſeruent. Cognitis enim ſuis muneribus, facilè erit videre, quid ſibi ad opus ſuum rectè perficiendum defuerit.

Digitized by Google

INDEX TITVLORVM.

LIBRI PRIMI.

DE Eccleſiaſtica Republica. pag. 1
De Sacramento Ordinis. 6
Ante Ordines. 32
De Reſidentia. 37
De Litteris dimiſſorijs. 39
Quæ in ordine ſeruari debeant. 42
Quæ in ordine requiruntur. 43
Congregationis declaratio pro Epiſcopis. 50

LIBRI SECVNDI.

DE Epiſcopis. 54
De Viſitatione. 62
De Concionatoribus. 75
De Eccleſia. 77
De Monaſterijs Monialium. 79
De Scholis. 80
De Oratorijs, & Congregationibus ſecularium. 80
De Notarijs. 81
De Meretricibus. 81
De Carceribus. 82
De Hebrais. 82
De Cingaris. 83
De Circulatoribus, Aſtrologis, &c. 83
De Examinatoribus. 94
De Archiepiſcopo. 107
De Patriarcha. 109
De electione Romani Pontificis. 134
De Cardinalibus. 135

LI-

LIBRI TERTII.

DE Sacerdotibus. 141
Quid ſit diuinum Officium. 149
Quare laus iſta diuinum vocetur Officium. 152
Quare Horæ Canonicæ ſint ſeptem, neq; plures, neq; pauciores. 155
Qui teneantur ad recitandum diuinum Officium. 158
An Religioſi teneantur ad Horas canonicas. 165
De Officio B. M. V. ſeptem Pſalmis, Gradualibus, & Officio Mortuorum. 166
Qua attentione recitandum ſit diuinum Officium. 167
Qui excuſantur à recitando Horas canonicas. 173
Quo tempore, loco, & modo ſit recitandum diuinum Officium. 175
De modo recitandi. 177
De tempore dicendi horas. 178
De Miſſa. 179
Quæ ſint partes eſſentiales ſacrificij. 182
Sacrificium altaris, quo ad omnia, quæ ad verum ſacrificium ſpectant, plenè, & perfectè à Chriſto fuit inſtitutum. 185
Quibus reliquerit Chriſtus poteſtatem hoc ſacrificium Altaris conficiendi. 192
Chriſtum in ſacramento Altaris cultu latriæ adorandum. 193
De differentia, & conuenientia ſacrificij Crucis, & Altaris. 194
De hac voce Miſſa. 195
De partibus Miſſæ. 197
De quibuſdam præparatorijs præcedentibns Miſſæ ſacrificium. 200
De quibus concomitantibus Miſſæ ſacrificium. 206
De Veſtibus Sacerdotis. 210
Quædam in ſuperioribus notanda. 212
De valore Miſſæ. 222
Quibus proſit Miſſæ ſacrificium. 226
De merito quodam in generali. 228
De quibuſdã remedijs circa ea, quæ in Miſſa ſæpè accidere cõtingit. 247

LIBRI QVARTI.

DE pertinentibus ad ſacerdotes curatos, beneficiarios, & confeſſarios. 253

Qua-

Qualis ſcientia in confeſſario exigatur. 257
De poteſtate confeſſarij Sacerdotis. 262
De probitate confeſſarij. 266
De prudentia confeſſarij. 267
De ſigillo, ſeu fidelitate confeſſionis. 268
De ſatisfactione. 285
De iniungenda pœnitentia. 287
Quomodo ſe agere debeat confeſſarius circa eos, qui ſunt in articulo mortis. 293
De Teſtamento. 300
De Canonibus pœnitentialibus. 301
De pœnitentia. 308
De confeſſione. 312
De confeſſione dimidiata iteranda. 330
De diuiſione peccati. 333
De blaſphemia. 341
De homicidio. 349
De ſimonia, & confidentia benefic. 383
De pluralitate beneficiorum. 392
De confidentia. 408
De infamia. 426
De irregularitate. 430
De iuriſdictione. 434
De peccato mortali. 435
De ludo. 439
De fuco, & ornatu mulierum. 447
De ſuſpenſione. 464
De impedimentis dirimentibus matrimonium. 477
De matrimonio clandeſtino. 521
De impedimentis non dirimentibus. 523
De legum, ſeu ſtatutorum obligatione. 527
De tranſgreſſione legis. 533

DE

13-6-8-13

DE ECCLESIASTICA REPVBLICA.

REMPVBLICAM chriſtianam à Chriſto Domino inſtitutam, non dubium eſt cõſtare ex omnibus omninò baptizatis, quicunq; illi fuerint, laici, vel Religioſi; Verùm in hoc opere, non niſi de eccleſiaſticis viris; de laicis verò, ſermo obiter habebitur. Rempublicam itaque eccleſiaſticam, certum eſt conficere clericos, Religioſos, Regulares, Sacerdotes, Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, Patriarchas, Cardinales, deniq; Summum ipſum Pontificem, de quibus omnibus ſigilatim, hincq; conſpicua erit catholicæ Eccleſiæ quanta ſit amplitudo, nobilitas, atque ſuprema dignitas; à Clericis ergo, quorum eſt primus gradus, initium ſumentes generatim dicamus; ſicut appellatione Monachi veniunt omnes profeſſi, & profeſſæ in Religione approbata, etiam nouitij, & nouitiæ; ac conuerſi, & conuerſæ, qui omnes priuilegio canonis gaudent, c. Monachi. c. parochianos. c. de monialib. & c. cum illorum. ext. de ſent. excom. & c. Religioſo. §. fin. & ibi gloſ. in ver. nõ poſſit. eod. tit. in 6. Nauar. c. 27. Sayr. lib. 3. c. 26. ſic appellatione clericorum veniunt omnes eccleſiaſticum ordinem habentes, etiam clerici primæ tonſuræ, c. cleros. 21. d. c. cum contingat. de ætate, & qualit. iuxta D. Iſidorum dicentem lib. 7. ethim. c. 12. cleros grecè, ſors latinè, vel hæreditas dicitur, & inde dicuntur clerici, quia de ſorte Domini ſunt, vel quia Domini partem habent; quorum primus ſorte electus eſt ab Apoſtolis poſt aſcenſionem Domini ad cœlos Mathias, vt numerus duodecim Apoſtolorum perficeretur, & aliquis Iudæ proditoris ſedem obtineret; ipſe enim Diſcipulorum facile princeps Petrus, inquit D. Dionyſ. de cœleſt. hierar. c. 5. ad ſupplendum condiſcipulorum numerum, Religioſo quidem timore præmittens, oſtende quem ele-

Digitized by Google

geris, diuina ſorte admiſit; quam diuinā ſortem ipſe Areo-pag. appellat diuinum illud munus, ſeu diuinum iudicium, quo ille factus eſt Apoſtolus.

Iam verò quàm maximā ſit inter laicos, & clericos differẽtia, videamus. Clerici ergo quibuſcunq; laicis ſunt maiores, ſunt Reges, ſe & alios in virtutibus regentes, & in Deo regnũ habent, quod deſignat corona, quam in capite gerit, vt c. duo ſunt genera. 12.q.1. & c. vnic. §.quia verò. de ſacra vnct. Nec certè mirum, cum eorum origo fuerit à Deo, vt patuit in D. Mathia.

Clerici ſpirituales res ſunt, & ex toto corpus, & animam in ſeruitium, & ſortem Chriſti dederunt. c.dilectiſs. verſ. cõmunis vita. 12. q. 1. Innoc. c. de maior. & obed. Card. in repet. c. perpendimus. Couar. c. 31. prac. quæſt. propterea Clerici viuere debent de patrimonio Ieſu Chriſti, cuius obſequio deputantur, c. cum ſecundum, & qui altari ſeruit de altari viuere debet, c. ex his. 12. q. 1. nec alimenta eorum ſtatui neceſſaria ſunt minuenda, quia os boui trituranti non eſt alligandum, c Eccleſias. verſ. item non alligatis. 15.q.3.& c. extirpandæ. verſ. cum igitur. de præb.

Eſt namq; clericatus nihil aliud, quàm quædam traditio, ſeu addictio ad miniſtrandum diuinis officijs: Vndè clerici cæteris omnibus occupationibus ſemoti in ſortem Domini eliguntur, vt docet Vrbanus Papa in epiſtola ad omnes epiſ. & hinc fit, vt qui primam tonſuram accipiunt, dicere præcipiant, Dominus pars hæreditatis meæ, eſt autem clericatus quædam res ſpiritualis, quia omne officium clerici in ſpiritualibus conſiſtit, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 100. ar. 4. vbi clericatum appellat rem ſpiritualem; & beneficium eccleſiaſticum, dicit eſſe ſpirituale, quia eſt annexum clericatui; ex quo fit beneficium eccleſiaſticum, cum ſit ſpirituale, eſſe inuendibile, ratione clericatus, alias committeretur ſimonia, vt tradunt Alber. in 4. d. 25. Durand. ead. d. q. 5. Palud. q. 4. Adrian. quodl. 9. etiam ſi eſſemus tantum in ordinibus minoribus introducti non iure humano, vt vult Soto lib. 9. de iuſt. & iur. q. 7. ſed iure diuino ſecundum Caiet. cum prima tonſura; tum quia prima tonſura, & dicti ordines minores ſemper fuerunt in Eccle-

Eccleſia, vt colligitur apertè ex canon. 4. Apoſtolorum, & ex canon. 25. & ex canon. 69. & ex epiſtola 3. Clementis diſcipuli D. Petri, qui de his loquitur tamquam de re veteri, & à Chriſto Domino inſtituta. Tùm ſecundò, quia dicti ordines minores vnà cum maioribus efficiunt vnum ſolũ Sacramentum ordinis tamquam eius partes integrales, diffinit autem Concilium Trid. omnia Sacramenta fuiſſe à Chriſto inſtituta; ideò ſunt de iure diuino. Clerici regulariter ab omnibus ordinarijs, & extraordinarijs, datijs, tractis, gabellis, & pedagijs ſunt exempti quadruplici iure, naturali, ciuili, canonico, & diuino; Naturali quidem, cum .n. Reges gentiles ſacerdotum, Leuitarũ, aliorũq; Dei miniſtrorum ſeruari vellẽt libertatem, non paſſi ſunt eos vendere ſuas poſſeſſiones, ſed ſuorum. Ioſeph primum in Aegypto ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & in vniuerſa terra Aegypti Regibus quinta pars à laicis ſoluebatur, ſacerdotali terra excepta, libera ab hac lege, Geneſ. c. 47. & apud Eſdram lib. 1. c. 7. & gloſ. 1. cap. quamq;. de verbo diuino, de cenſibus in 6. propterea non debent Eccleſiaſtici à Chriſtianis Principibus fieri deterioris conditionis, quàm fuerint ſub Pharaone qui Chriſtum non nouit. c. non minus. de immunit. eccleſ. & ibi Abb. nu. 1. & inter Iudæas, Tribus leui non accepit hæreditatem cum alijs ratione officij, alenda à populo Num. c. 37. Ioſue c. 14. clerici item ſunt exempti Principum priuilegio à ſubiectione laicorum; ratio eſt, quia adminiſtrationi Reipub. plus omnibus inſudant, dicit D. Thom. ſuper c. 13. ad Rom. & laici veniam à Deo ſperant ſuorum peccatorum orationibus clericorum, glo. in l. miles. in verb. facere. ff. de re iud. & hinc eſt, vt magnus Imperator Conſtantinus cap. in qualibet. 23. q. 8. voluerit eccleſiaſticas perſonas priuilegio immunitatis gaudere, cuius rationem illam putauit eſſe, quia Reſp. Imperialis magis religione, quam labore, & ſudore corporis continetur, Feder. Imp. in tit. de ſtat. & conſuetud. cont. liber. eccleſ. §. Item ſtatuimus in vſ. feud. quæ eſt repetita in Auth. ſtatuimus. C. de epiſc. & cler. nota

Item ſunt exempti de iure canonico, vt c. ſi diligenti. & c. at ſi clerici. de iudic. & facilè concedit Innocent. in c. 2. de

maior. & obed. dicens, quòd Papa clericos exemit à iuribus Imperatorum, ipſis conſentientibus, Alciat. in c. cum nō ab homine. Couar.pract.quæſt.c.31. ſic iuniores Theologi, Medin. de reb. rep. q. 15. Vict. de poteſtate eccl. q. 15. Sot. in 4. d.25. Ledeſm. in 4. p.2. Palat. in 4. d.25. Cæterum immunitatem de iure diuino tenent reliqui ferè omnes rectius ſentientes; tùm primò, quia antequam eſſet Petrus Papa, clerici non erant ſubiecti poteſtati laicali, vt in Pſal. 114. Nolite tangere Chriſtos meos .i. vnctos meos, qui ſunt clerici Deo ſacrati, glo. in penult. cap. ſi Imperator. 96. d. Alex. lib. 1. conſ. 8. Tùm ſecundò propter concilia Later. ſub Leon. 10. Colon. par. 9. Trident. ſeſſ. 25. vbi legitur, perſonarum eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus fore conſtitutam. Tùm tertiò propter fortem rationem, quia clerici ſunt Deo dicati, diuinis vſibus deputati non minus quàm vaſa, altaria, templa, veſtes, & huiuſmodi, quæ & ipſa ſancta, & religioſa cenſentur, c. prædia, & c. in legibus 12.q. 2. l. ſumma. de rer. diuiſ. §. nullus. inſtit. eod. tit. Tùm etiam quartò, quia hanc opinionem tenet, & ſequitur Rota in deciſ. 10. ſtylus autem Romanæ Curiæ, propter dubietatem Doctorum, facit etiam ius, & pro iure habetur, vt per eandem Rot. in deciſ. 1. de filijs Presb. deciſ. 2. de appell. in nou. & deciſ. 16. de conſuet. & Abb. in c. ex litteris. & ibi Felin. nu. 4. de conſtit. quæ omnia profectò præualent opinioni præfatorum Doctorum, qui pro contraria ſcripſerunt: & ſuper deciſionibus dubiorum potius debemus ſtare diffinitionibus Summorum Pontificum, quàm dictis aliorum Doctorum, etiam ſi eſſent ſancti, quoniam non ipſis, ſed Summis Pontificibus data eſt facultas interpretandi, cap. 1. & ibi gloſ. 20. d. & c. peruenerabilem, quin Doctores omnes peccant, dum tenent contra deciſiones Pontificum, vt ait Ant. de Butr. & Abb. 12. c. tua. nu. 4. de decim.

Clerici non ſubijciuntur poteſtati ſeculari tempore belli, penuriæ, ac peſtis per priuilegium, quod habent à Deo, c. ſi Imperator. 96. d. & quocunq; caſu reſtaurationis mœnium, pontium, aut fluminum, à clericis etiam conſentientibus laici nihil exigere poſſunt, niſi accedente Sedis Apoſtolicæ auctori-

ctoritate, c. aduerſus verſ. propter imprudētiam. & ibi Abb. de immun. Eccl. c. clericis laicos. §. nos igitur. tot. tit. in 6. & niſi maxima vrgente neceſſitate, clerici etiam cum iuramento iudicio laicorum ſe ſubmittere non poſſunt, cap. et ſi clerici. de iud. c. ſi diligenti. & c. ſignificaſti. de for. comp.

Laicus eſt incapax iuris, & poteſtatis ſpiritualis, quam nullo longo tempore, vel conſuetudine præſcribere poteſt contra clericos, c. cauſamq;. & ibi glo. fin. & Abb. nu. 2. de præſcript. Io. And. & alij in c. de præben. in 6. Azor. c. 12. & habet locum tàm in cauſis criminalibus, quàm ciuilibus, vt c. qualiter, & quando. eod. tit. de iud. exceptis tamen duobus caſibus: primus, ſi contingat, quod clericus fori priuilegio non gaudeat, tunc enim poteſt capi, carcerari, & puniri, vt ſi incedat omnino ſine habitu clericali, tonſura, vel ſi non eſt in ſacris ordinibus, aut beneficiatus, Concil. Trid. c. 6. de reform. ſeſſ. 25. talis namq; quiſq; præſumitur qualis in habitu reperitur, c. ſi Iudex laicus. de ſent. excom. in 6. quòd ſi habeat ordines ſacros, aut beneficium, ob ſolam nō delationem habitus non amittit clericale priuilegium, ſed ab ordinario puniri poterit: Alter caſus erit, ſi in fragranti crimine comprehendatur delicto capitali; tunc abſq; ſtrepitu, iniuria, manuum iniectione capi poterit, & quamprimum opportunè fieri poſſit, eſt Iudici eccleſiaſtico præſentandus, vt pro delicto ab eo puniatur, ſic Nauar. c. 27.

Metus illatus conſanguineis clerici habetur pro illato ipſi clerico, c. ſciant cuncti. de elect. in 6. Felin. in c. Eccl. S. Mariæ. & Bald. in qu. de ſchiſma, quoniam iniuria facta conſanguineo meo, mihi facta videtur, gloſ. in Clem. 2. Felin. in c. Petrus. Bart. in l. de pupil. §. ſi quis. ideo, qui in odio Prælatorum, ſeu Iudicum eccleſiaſticorum conſanguineos, vel affines, aut aliorum clericorum carcerant, percutiant, eorum bonis, gradibus, dignitatibus ſpoliant, ſunt ipſo facto ſententia excommunicationis innodati, c. ſciant cuncti. & ibi gloſ. in verb. conſanguineos. de elect. Clem. 2. iuncta glo. in verb. quomodolibet. vbi Abb. & de ſententia excommunicationis, & ibi Dom. & Franc. c. qui ſunt in cauſa, in eamdem excommunicationem incidunt, vt in Bulla Cœnæ Domini.

Cle-

Clerici publicam pœnitentiam peragere non permittuntur, c. confirmandum. 50. d. niſi ſit depoſitus, vel pro publico crimine damnatus, c. Presbyteri. & ibi gloſ. 28. d. & ratio prohibitionis, fuit propter ſcandalum, quod laicis imineret, vt in addit. ad gloſ. in d. c. confirmandum. in verbo pœnitentibus. laici verò publicè delinquentes ſolemnem pœnitentiam peragere tenentur coram Epiſcopo Ciuitatis, ſacco induti, nudis pedibus, & alijs ſolemnitatibus, de quibus in cap. pœnitentes. & c. in capite 50. d.

De Sacramento Ordinis in communi.

ADeò neceſſarium Eccleſiæ ſanctæ Dei eſt ſacramentum Ordinis, vt qui cæterorum ſacramentorum naturam, & qualitatem conſiderant, reliqua ferè omnia ab hoc vno ità pendere cognoſcent, vt ſine illo reliqua eſſe non poſſint: Niſi enim eſſet ordo Sacer, neq; eſſet ſacramentũ Confirmationis ſine Ordine ſacro deficeret Euchariſtia, ſine illo deficeret ſacramentum Pœnitentiæ, ſine illo non eſſet Vnctio extrema, ſine Ordine non eſſet Matrimonium, quod non tantum multis ſacris cœremonijs, & benedictionibus deficeret, ſed etiam (quia Concilium Tridentinum eſt ſeruandum) non poteſt eſſe Matrimonium ſine Sacerdote: ſine illo, & ipſe Baptiſmus ſolemnibus illis aquæ, & olei benedictionibus, & vnctionibus indigeret: Et deniq; ſine Ordine ſacro ordo Sacer haberi non poſſet in tantum, vt verum ſit affirmare ablato ſacramento Ordinis in Eccleſia Dei maximam confuſionem oriri neceſſe eſſe, ab eaq; ferè omnia ſacramenta tolli; quòd Hæreticis quàm gratiſſimũ eſſet; cum hoc vnum præter alia mala, quæ Eccleſiæ catholicæ inferre deſiderant, omni ſemper conatu, tanquam ſibi moleſtiſſimum ab ea auferre contenderint, præſertim negantibus illud eſſe ſacramẽtum, nullamq; in Eccleſia Dei ordinum, & graduum diſtinctionem eſſe aſſirmantibus; adeoq; impræceps ruentibus, vt omnes Chriſtianos, omneſq; fœminas eſſe ſacerdotes, & cum Epiſcopis æqualem poteſtatem habere contendant.

Alij præterea, cum hoc ſacramentum negare non poſſent, illud

illud ipſum tamen perturbare conati ſunt, aſſerentes nihil differre inter ſimplicem Sacerdotem, & Epiſcopū; Alij duos tantum ordines eſſe in Eccleſia voluerunt, Sacerdotij ſcilicet, & Diaconi, quorum omnium deliramenta, & mendacia tamquam peſſima, & Eccleſiæ Dei pernicioſiſſima relinquentes, ac deteſtantes, affirmamus ex vniuerſa catholicorum doctrina, ſacramentum Ordinis eſſe tamquam Dei Eccleſiæ neceſſarium, vt Baptiſmate excepto, nullum magis; propterea quod alia ſacramenta ab illo vno pendere videamus.

Si præterea in conferendis Ordinibus etiam conferatur & gratia, ſi quæ in illis eſt ſignum illud ſenſibile, quod eſt in alijs ſacramentis, materia, forma, &c. quomodo negare quis poterit, Ordinem eſſe ſacramentum à Chriſto Domino inſtitutum? Sacramentum eſt igitur, quia in eo concurrunt omnia, quæ ſacramento conueniunt: videlicet, ſignum ſenſibile, collatio gratiæ, & diuina inſtitutio.

De collatione gratiæ, habetur prima ad Timoth. 1. cap. 4. Noli, inquit Apoſtolus, negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuū Presbyteri, & alibi: Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum; pro qua gratia obtinenda ſancti illi vetuſtiſſimi Patres, ſicuti & hodie fit, ordinantibus, & ordinandis indicitur oratio, & ieiunium: ita enim fecerunt Apoſtoli, vt reciperent gratiam Spiritus ſancti in die Pentecoſtes. Quod etiam affirmat D. Aug. in lib. quæſt. veteris, & noui teſtamenti q. 93. Poteſtatem verò conficiendi, & conſecrandi corpus Chriſti verum tradidit illis Dominus in vltima cœna, quando dixit, Hoc facite in meam commemorationem.

Poſt reſurrectionem verò, ianuis clauſis apparens Apoſtolis, contulit illis poteſtatem remittendi peccata, & adminiſtrandi ſacramenta, præſertim ſacramentum Pœnitētiæ, quando inſufflauit in illos dicens: Accipite Spiritum ſanctū, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Io. c. 20. Vt oſtenderet, ſicuti dederat illis poteſtatem ſuper corpus Chriſti verum, ita etiam ſuper corpus myſticum, qui ſunt fideles. Vbi videtur, horum inſtitutor

Chri-

Chriſtus: Gratiæ collatio, accipite Spiritum ſanctum; Et ſignum ſenſibile, inſuflauit in eos: & manuum impoſitio, vt Epiſcopi faciunt conferendo. Quis igitur non ſtomacharetur, audiens Hæreticos, concedere mulierculis, pueris, & quibuſcunq; viliſſimis, & ſordidiſſimis hominibus, auctoritatem tangendi ſacra, ſacrificia offerendi, & alia adminiſtrandi? O ſcelus, ò nephas maximum, ò inaudita ſtultitia: Nonne etiam ethnici in prophanis illis ſacrificiorum ſuorum vſibus, ipſi Diabolo ſacrificantes, ſacerdotes ad hoc ſpecialiter deſtinatos habebant? qui & dignitate, & præeminentia alios antecederent? Nonne hæc quattuor ſemper reperiuntur coniuncta, homo, religio, ſacrificium, & ſacerdotium? Nulla enim tam fera, ſilueſtris, & barbara natio eſt, cui aliqua non ſit religio: ſi igitur religionem habet, habet etiam ſacrificium; ſi ſacrificium, certè & offerentem ſacerdotem habebit; quocirca vbi eſt homo, ibi religio; vbi religio, ibi ſacrificium; vbi ſacrificium, ibi & ſacerdos: ſacerdos enim eſt pro ſacrificio; ſacrificium pro religione, religio pro homine. At in vniuerſali, & catholica Eccleſia militante, ſunt homines, inter quos verior, ſanctior, & purior religio reperitur, quàm in quauis alia terrarum orbis natione; non eſt enim alia tàm grādis natio, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicuti adeſt nobis Deus noſter. Deut. c. 4. in qua maius, & mirabilius extat ſacrificium, quàm in alijs quibuſcunq; nationibus fuerit vnquam, aut futurum ſit; Et ſi eſt religio, & ſacrificium, deerit illi fortaſſe ſacerdos? non certè quidem; Habemus igitur legem, habemus & ſacerdotium particulare, & à populo ſegregatum: Quod oſtendit Chriſtus, quia inſtituens ſacramētum Ordinis, & diſtribuens authoritatem ſacerdotalem in vltima cœna, non aderant niſi Apoſtoli, quibus tantum dixit, Hoc facite in meam commemorationem; Poſt reſurrectionē quoque non aderant niſi Diſcipuli, & propterea ſuper illos tantum inſuflauit, & dixit, Accipite Spiritum ſanctum; non igitur laicis, non mulierculis, non pueris, ſed Apoſtolis, ſed illorum ſucceſſoribus. Verum eſt etiam quotieſcunq; donum aliquod, & gratia particularis à Deo cōfertur alicui per ſigna ſenſibilia, ille tantum recipit donum, & gratiam, qui ſigno

illo

illos ſignatur, non autem abſentes: Gratia baptiſmi in illos tantum deſcendit, qui aqua baptiſmatis eo tempore abluuntur; Panis ille, & vinum illud ſolummodo conſecrantur, ſuper quæ verba illa conſecrationis intentione recta Eccleſiæ proferuntur; Ita ſacerdotalis authoritas cecidit ſuper præſentes Apoſtolos, Chriſtus tãtum Apoſtolis præſentibus, non autem laicis, non mulieribus tribuit poteſtatem, & conſtituit ſacerdotes, igitur qui hoc ſigno particulari ſacramenti Ordinis ſunt inſigniti, erunt ſacerdotes, non autem vtriuſq; ſexus omnes; Et ſi obieceris, ergo Diuus Thomas Apoſtolus non habuit hanc poteſtatem, quia non erat præſens cum alijs, quando inſtitutũ fuit hoc ſacramentum: Reſp. ſicut præceperat Deus Moyſi Num. c. 11. vt congregaret ſeptuaginta viros de ſenioribus populi, quibus impartiretur ſpiritus Moyſis, vt illi auxilio futuri eſſent ad regendũ populũ; Obediuit Moyſes Dei pcepto, ſed ex illis ſeptuaginta viris Eldad, & Medad remanſerunt in caſtris, & non venerunt circa Tabernaculum, ſuper illos tamen requieuit ſpiritus, quia ipſi ad hoc erãt deſcripti: ſic etiam duodecim Apoſtoli fuerũt prælecti principes, miniſtri, & ſacerdotes, qui hanc poteſtatem ligandi, & ſoluendi ſuper terram erant habituri. Quando igitur inſuflauit Dominus Ieſus, & actualiter dixit, Accipite &c. tradens illis hanc regiam poteſtatem, requieuit ſpiritus Domini ſuper eos præſentes, & abſentes, igitur ſuper Thomam: ſpiritus enim Domini replet orbem terrarum, ideo & illi data eſt poteſtas, ideo & ipſe fuit ſacerdos; concludendo igitur dicimus Apoſtolis tantum, & illorum ſucceſſoribus datam eſſe hanc poteſtatem, quæ non fuit generalis, nec quoſcunq; includebat Chriſtianos: ſi enim fuiſſet generalis, dicendum eſſet omnes eſſe ſacerdotes, omnes reges, omnes epiſcopos, & quando Petrus Apoſtolus dicit, nominãs illos reges, & ſacerdotes, Gens ſancta, regale ſacerdotiũ, &c. hoc facit, quia vniti ſunt Chriſto, qui eſt Rex, & Sacerdos, & Pater illorum; Et fideles ſunt ſacerdotes ſacerdotio tantum interno offerentes in cordibus ſuis ſpirituale ſacrificium, & ſpirituales hoſtias Deo Patri, & ſic verba illa intelliguntur: Exhibentes ſemetipſos hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſe-

quium noſtrum. Notandum præterea tres præcipuas eſſe ſacerdotis noſtri functiones, conſecrandi ſcilicet, docendi, & abſoluendi; conſecrandi inquam corpus Chriſti verum, abſoluendi à peccatis, & docendi Chriſti doctrinam; Dicemus ne hanc poteſtatem mulierculis fuiſſe traditam?

In veteri lege Num. c. 16. tres viros Datan, Core, & Abiron, quia ſibi aſſumere voluerunt officium ſacerdotis, illos terra viuos, & omnem illorum ſubſtātiam deuorauit, & alios centum quinquaginta combuſſit ignis, quia huic præſumptioni conſenſerant.

Oza extendens manum ad Arcam ne caderet, illico vita priuatur.

Ozias & ipſe vſurpans ſibi ſacerdotale officium, lepra percutitur.

Balthaſſar Rex, quia bibere præſumpſerat in vaſis, quæ à Templo Dei aſportauerat, Nabuchdonoſor pater illius, & regno, & vita priuatus eſt: Dicemus itaq; nos hanc authoritatem mulieribus fuiſſe conceſſam? Non aderant ibi certè quidem tunc temporis mulieres, neque huic miniſterio vllo vnquam tempore fuerant deſtinatæ, & ideo nec conſecrare, neq; abſoluere, neq; docere poſſunt, ſed mulier tum ſilentio diſcat cum omni ſubiectione, inquit Apoſtolus: Docere autem mulieri non permitto, neq; dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio 1. Timot. 2.

Aliud præterea maius abſurdum, magisq; iniquum commentum excogitarunt peſtilentiſſimi Hæretici negātes Summum Romanum Pontificem eſſe caput vniuerſæ Eccleſiæ militāntis, dicentes omnes Epiſcopos eſſe æqualis poteſtatis cum eo, imò etiam nullum Epiſcopum quolibet ſacerdote ſimplici eſſe maiorem, ſed omnes ſacerdotes Epiſcopis eſſe pares in omnibus, omnes deniq; Chriſtianos eſſe ſacerdotes; O pulchrum commentum, ergo omnes laici ſunt pares Epiſcopis, & Summis Pontificibus, ergo in Dei Eccleſia nullum eſt caput, ſed omnes ſunt capita. O monſtrum horrendum, totum caput ſine membris? ergo in Eccleſia Dei maior ineſt confuſio, quàm in Babel: O quàm benè ordinata Reſpublica Chriſtianorum, ò ingens illorum politia, quando grex ſine paſtore viuit, aut

potius

potius Paſtores ſine gregibus, Reges omnes ſine regno, omnes Gubernatores ſine populo, patresfamilias ſine filijs; ſic latrant Hæretici dum omnes ſunt patres, omnes gubernatores, omnes reges, omnes paſtores, omnes ſacerdotes conſtituunt, quis vnquam audiuit talia? Nonne eccleſiaſtica Hierarchia ad imaginem Hierarchiæ cœleſtis efformata eſt? nonne in celeſti illa eſt diſtinctio inter beatiſſimos illos Spiritus? nonne in ſacroſancta Eccleſia triumphante adſunt Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Cherubini, & Seraphini? in Eccleſia militante igitur omnes erunt ſummi Pontifices, omnes Epiſcopi, omnes Sacerdotes? Sileant ergo iſti, & nos concludenter affirmemus, ac de fide teneamus in hac Eccleſia noſtra militante eſſe Summum Pontificem habentem ſummum, & ſupremum principatum ſuper omnes fideles vbiq. terrarũ, ſub quo ſunt Epiſcopi, ſub iſtis Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, & reliqui eccleſiaſtici ordinis miniſtri: Deinde reliqua plebs, vt Dionyſij Areopagitæ authoritate vtamur in libro de cœleſti Hierarchia, & D. Bernardi in 3. libro de conſideratione, D. Cypriani, Tertulliani, & aliorum mille virorum ſanctorum teſtimonia, quæ differẽtias, & diſtinctiones graduum inter iſtos oſtendunt, atq; conſtituunt, & ſi veritati credendum eſt, quis ordo magis ordinatus? quæ ſuauior harmonia? quæ proportio aptior, quàm in hac perfectiſſima Chriſtianorum catholicorum Republica videre, & contemplari eius Principem abſolutum ſummum Sacerdotem, cui Epiſcopi ſeruiunt, Epiſcopis Sacerdotes, Sacerdotibus alij inferiorum ordinum miniſtrari, Diaconi, Subdiaconi, & iſtis alij inferiores, Oſtiarij, Exorciſtæ, Lectores, Acoliti? qui omnes pariter cõcordi ſint ad Dei cultum exequendum, atq; ad offerẽdum illi ſacroſanctum illud, tremendumq; altaris ſacrificium? De fide ergo, de fide inquam tenendum eſt, Ordinem eſſe ſacramentum Eccleſiæ cum Nauarro cap. 22. num. 17. poſt Concilium Trid. ſeſſ. 23. can. 3. cum ſancto Thoma, & alijs in 4. diſt. 24. & cum Magiſtro ſententiarum, Catechiſmo Romano, cum quibus etiam eſt de fide tenendum, & ex communi omnium catholicorum conſenſu affirmandum, quod in illo imprimatur cha-

racter indelebilis, vt in Baptiſmate, & Confirmatione: In eo-demq; momento, quo infunditur gratia imprimitur character,& in quo imprimitur character infunditur gratia,niſi ponatur obex peccati: Momentum verò illud eſt, quādo ſacramentum perficitur, quādo ſcilicet materia applicatur formæ, & forma materiæ, quando videlicet Epiſcopus tradens calicem, & hoſtiam ordinando illam tangenti dicit: Accipe poteſtatem conſecrandi, &c. ita docet Ricardus, Bonauentura, & alij in 4. diſt. 24. q. 3. art. 4. & 5. Thomas, pro quibus eſt textus in cap. Subdiaconus, cum tribus ſeq. 23. diſt. vbi habetur, quòd Subdiaconus accipiat librum,& alij ſimiliter inſtrumenta ſibi ab Epiſcopo ordināte oblata, quare Syluester, & Caietanus quol. 1. q. 16. affirmant indubitanter tenendum eſſe,quod tactus ordinandi ſit de eſſentia,atq; manuum impoſitio, vt D. Thom. Bonauent. Scot. Palud. in 4. in 24.

Ab hoc ſacramento excluduntur mulieres, nam de iure diuino virilis tantum ſexus poteſt ordines ſuſcipere,& ſi mulier etiam millies ordinari tentaret, nullum tamen vnquam characterem acciperet, Silu. verbo ordo, & Sot. d. 25. q. 1. a. 2.

Excluditur etiam Hermaphroditus, qui in fœmineum ſexum magis declinat, ità omnes Summiſtæ tenent.

Excluditur & monſtrum, excluduntur pueri, quia iure nouo ordinari non poſſunt, & eſt communis ſententia, quamuis ſi de facto ordinarentur, etiam ante vſum rationis teneret ordo, vt Bonauent. tenet 4. diſt. 25. q. 2. ar. 2. Quare datur concluſio de iure diuino ad ſubſtantiam ſacramenti Ordinis nullam eſſe ætatem requiſitā; Sed nunc iure nouo Concilij Trid. mutata ſunt multa, & pro quolibet ordine præſcribitur ætas, vt infra dicemus: eſt & Bulla Sixti Quinti.

Cum præterea ſacramentum Ordinis poſtremum ſit illorum, in quibus character imprimitur de iure diuino, & de neceſſitate prærequiritur character Baptiſmi, ità vt ſine illo nihil fiat, eſt communis, & eſt de fide, cap. Omnes fideles. Qui verò non confirmatus ſuſciperet ordines, cum non ſit de iure diuino,& de neceſſitate ſacramenti, ſed tantum de neceſſitate præcepti eſſet ordinatus,licet peccaret, ità tenet S. Tho. Silueſt. Nauar. quo autem peccato mortali, an veniali diffi-

cile

cile eſſet iudicare, ego tamen crederem peccare mortaliter, quia contra Concilium, & Bullam Sixti V. Nauar. tamen c. 22. nu. 9. in fine, affirmat non eſſe mortale, quia inquit Concilium præſcribit tantum Epiſcopis, ne quem initiet, niſi confirmatum: Cum autem Nauarrus c. 25. nu. 68. ſibi contrarius videatur, cum dicat eſſe mortale, neſcio quomodo ſit intelligendum, niſi fortè ex obliuione dictum, vel voluiſſe intelligere, ſi fieret ex contemptu.

Sciendum eſt etiam Romanum Pontificem quolibet anni tempore quemcunq; ordinem adminiſtrare poſſe, cum ipſe ſit ſupra ius canonicum, & propterea illud mutare, alterare, irritare, & in omnibus diſpenſare poteſt, quæ ab ipſo iure determinantur, & hęc eſt cōmunis opinio omniū catholicorum.

Poteſt item diſpenſare, vt quilibet ordinādus, & à quocunque Epiſcopo etiam extra tempora ordinetur, ſed Epiſcopus de iure ordines ſacros ſex tantum diebus anni cóferre poteſt, videlicet Sabbatho quattuor Temporum, in Sabbatho ante Dominicam Paſſionis, & in Sabbatho ſancto. Ità Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 8. minores autem ordines Epiſcopus conferre poteſt qualibet die Dominica, & feſto de præcepto, & Concil. Trid. eadem ſeſſ. de reform. c. 11. id relinquit arbitrio Epiſcopi, vt vel ſimul omnes, vel per temporum interſtitia conferat, pro quo tamen vide Bullam Sixti V. contra clericos malè promotos.

Nota præterea Epiſcopum de iure non poſſe cōferre quattuor ordines minores, & Subdiaconatum ſimul, ſed vbi ſeruatur conſuetudo contraria poterit ſimul omnes conferre, quam conſuetudinem dicit Nauarrus vbi ſupra à Concilio non eſſe ſublatā, quod tamen facere poterit Epiſcopus quando eſt conſuetudo non abrogata, & quando confert ordines ſtatutis à iure temporibus, quando autem per annum confert ordines, poterit tantum minores conferre, Viualdus in Candelabro.

At verò non tantum Hęretici perturbant hunc ſanctum Eccleſiæ ordinem, ſed etiam aliquando ipſi Catholici, de quibus Dominus per Ezechielem 34. conqueritur his verbis: Cum puriſſimam aquam bibiſſetis, reliquam pedibus turba-

batis,

batis, quo autem pacto id fiat audiamus. Nobilis certè quidem, & illuſtris eſt Sacerdotalis dignitas, & officiũ miniſtrorum Dei in Eccleſia, quam dignitatem cum Dominus vellet manifeſtare hominibus, varijs eam ſimilitudinibus adumbrauit; Nam cum vellet miniſtrorum ſuorum prudentiam aperire, ſalis vſus eſt ſimilitudine dicẽs, Vos eſtis ſal terræ, Math. c. 6. & ſerpentis, cum dixit, Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, Math. c. 10. Volens indicare bonum exemplum, quod alijs erant præbituri dixit, Vos eſtis lux mundi, ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, Luc. c. 12. Volens oſtendere humilitatem, & patientiam illorum in perſecutionibus dixit, Ecce ego mitto vos ſicut oues inter lupos, Math. c. 10. Illorumq; veram doctrinam dixit, Cauete à fermento Phariſæorum, Math. c. 16. Vt illos ad diligentiam excitaret dixit, Meſſis multa, operarij autem pauci. Et denique volens oſtendere omnibus, quonam pacto ſit accedendum ad ordines dixit, Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro, Io. c. 10. Itaq; breuiſſimo quodam compendio docuit omnes miniſtros eccleſiaſtici ordinis quid illis opus ſit, qui huic ſacro miniſterio adſcribi deſiderant, quãdo docet modum intrandi ad ſacros Ordines, docet diligentiam, & ſtudium, docet quam doctrinam eſſent docturi, docet illorum conſtantiam in aduerſis, docet illorum bona exempla, & prudentiam.

Sed omiſſis alijs hoc loco oſtendere conabimur quo fine, qua intentione ad Domini ouile ſit à clericis accedendũ, quo pacto etiam multi iter rectũ deſerentes non intrãt per oſtium ad ordines, ſed aliunde, vnde fit, vt non paſtorum, ſed latronum, & furum nomina ſortiantur: nam qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro. Oſtium igitur Chriſtus eſt, qui de ſe ipſo dixit, Ego ſum oſtium ouium, Ioan. c. 10.

Qui verò in ouile intrant aliunde, quàm per oſtium, illos dicemus eſſe, qui tantum intendunt ordines ſuſcipere, vt ſibi victui neceſſaria prouideant, quiq; ad lucrum proſpiciunt, non ſecus ac quicunq; artifex ex ſua arte. Hinc fit, vt ſi iſti rem ſacram faciant, intenti ſint ad lucrum, ſi audiunt confeſſiones,

ſtes, ad manus tantum pœnitentium attendant, ſi mortuos ſepeliunt, intenti tantum ſunt ne funeralia comburantur, ſi verò quoduis aliud ſacramentum, aut aliam functionem exercent, nihil aliud cogitent niſi lucrum; hic non debet eſſe finis, hæc non debet eſſe primaria intentio intrandi in ouile, ſed per oſtium, hoc eſt Deo famulandi; Et quamuis dicat Apoſt. Qui altari ſeruit de altari viuere debet 1. ad Cor. c. 9. non vult propterea, vt intentio tua feratur primũ in lucrum, ſed ſecundario, & conſequenter. Quæſtus enim, & lucri cauſa ad altare accedere maximum eſt ſacrilegium.

Alij ſunt, qui in ouile per ambitionis feneſtram ingrediuntur, quæ ambitio hoc habet malum, quòd non reſpicit, vel Deum, vel ſe, vel alios, ſed per fas, & nefas, & per mille pericula ad dignitatem contendit, ad quam aſpirat. Miſera certè quidem ambitioſi hominis conditio, quæ honeſtatem ſimulat, fingit humilitatem, omnibus adulatur, ſingulis ſe inclinat, omnibus famulatur, & ſeruit; hęc neſcit oſtiũ, quod Chriſtus eſt, qui ſpreuit regna, Diſcipulos de maioritate contendentes reprendit, humilitatem docuit, & paſſionis calicem intrantibus præparauit; Qui igitur hac via ad ordines intrat, furatur beneficia, dignitates, Chriſti patrimonium adulationibus, ſimulationibus, vel fortè (quod abſit) ſimoniacè muneribus, & pecunia: hic aliunde aſcendit, hic fur eſt, & latro, obtentis enim dignitatibus, humilia deſerit, quæcunq; bona opem repellit, omnes deſpicit, ac deridet, ſuperbè alijs dominatur, inde fit, vt in Dei Eccleſiam malorũ cumulus oriatur.

Auari etiam non intrant per oſtium, quia Chriſtus pauper eſſe voluit, pauperesq; elegit diſcipulos, & miniſtros: ſed illi volunt diuites fieri, & propterea incidunt in varias tentationes, & in laqueos Diaboli: hi beneficia ampla requirunt, per auream portam intrant in ouile, non autem per oſtiũ paruum, & humile: hi ſunt mercenarij, de quibus loquebatur Dominus per Ezechielem c. 34. Qui paſcunt ſemetipſos, & nõ gregem. Iſti Iudæ proditoris ſimulacrum gerunt, eiuſq; locum ſortiti ſunt, qui fur erat, & latro loculos habẽs, hi fures ſunt, & latrones, cum ſacros ordines hac intentione ſurripiunt. O infelix auarè, ò mercator peſſimè, quid quæſo ex hac tua cupi-

ditate

ditate referes? dic, obſecro, quæ tu tanta ſollicitudine, cura, parcitate, laboribuſq; paraſti, cuius erunt? & tu, cuius eris? ſolus miſer, & miſerabilis, cum malis operibus tuis ad inferos cruciandus deſcendes. Auaritia eſt idolorum ſeruitus, ad Coloſſ. c. 3. Audi auare Diuum Gregorium, omnium auctori bonorum Deo inhærere non poſſumus inquit, niſi cupiditatem omnium vitiorũ radicẽ à nobis radicitus abſcindamus: An ignoras, Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſſe & cor tuũ? O quot mala, quot inconuenientia Dei Eccleſiæ intulerunt auari ſacerdotes, vendunt ſacramenta, negotia exercent illicita, malè vſurpant redditus beneficiorum, illiſq; abutuntur: Quibus obſecro lucra hæc tua relinques? ſpoliorum Commiſſarius adeſt, quærit diligenter, quæ paraſti, te, tuoſq; omnes ſpoliatos relinquet, & merito quidem, quia non intraſti per oſtium, ſed aliunde, vt fur, & latro: Nonne alios docuiſti furto ablata eſſe reſtituenda? tempus adeſt, quid facies miſer, Epulonem conſidera, qui guttæ aquam à Lazaro paupere requiſiuit, & non obtinuit; Tradet te tortoribus, & reddes vſque ad vltimum quadrantem: finem igitur illorum conſidera, qui auaritiæ ſeruiuerunt, qui in ouile ouium Chriſti per huiuſmodi oſtium ſunt ingreſſi, qui cum aquam puriſſimam bibiſſent Ordinis ſacri, reliquam pedibus turbauerunt.

At non ſolum qui peruerſa turpis lucri intentione ambitionis, & auaritiæ ingreſſi ſunt, dicuntur ingreſſi aliunde, quam per oſtium, fureſq; eſſe, & latrones, ſed etiam illi, qui per ſaltum ſuſcipiunt ordines, qui ante ætatem legitimam, qui ſine litteris dimiſſorijs proprij Epiſcopi, & Prælati, qui non habent ſcientiam ſuo muneri requiſitam, qui nataliũ defectus patiũtur, qui ſub aliena ſunt poteſtate, qui publicè ſunt aliquo crimine notati, & infames effecti, qui ſunt irregulares, qui ſunt corpore vitiati, & huiuſmodi: hi omnes arceantur ab oſtio ne ingrediantur, nec ſunt ad ordines admittendi: Etſi forte indebitè admittantur, dici poterunt fures, & latrones; ſi verò furtiuè ingrediuntur, fures ſunt, & latrones, de quibus omnibus, quia ſparſim in opere eſt dicendum, ne creſcat volumen, neuè illa eadem repetamus, alibi dicẽda relinquimus, ſatis erit vidiſſe Bullam prudentiſſimi Paſtoris Sixti Quinti

contra

contra clericos malè promotos: ne igitur à propoſito deflectamus, Ordo, de quo hic loquimur, eſt ſignaculum quoddam, per quod ſpiritualis poteſtas traditur ordinato, quod conuenit ordini vt eſt Eccleſiæ ſacramentum, & ideo ponitur ſignum exterius, cum dicit ſignaculum, & aliud, quod eſt effectus quaſi interior, quia ſacramentum non ponitur hic pro charactere, ſed pro eo, quod exterius agitur, quod eſt ſignum poteſtatis interioris, & cauſa.

Vt hic ordo ſit in Eccleſia decentiſſimum eſt, quo in ſuis operibus cognoſcatur Deus, non ſolũ vt in ſe eſt, verumetiam vt alijs modum influit, vt vltima perficiantur per media, & media per prima, ſic ne iſta pulchritudo deeſſet Eccleſiæ militanti, ſtatuit hunc ordinem, & vnus alijs influit, ſacra tradat, ac Deo ſuo quoddam modo miniſterialiter operetur. Finis enim huius ſacramenti fuit ob id potiſſimum, vt conſecrati miniſtri eſſent, ac medij inter Deum, & populum: ſunt præterea in hoc ſacramento materia, & forma, vt in alijs ſacramentis, non tamen omninò ſimiles: Nam Epiſcopus in conferendis ordinibus vtitur modo imperatiuo, cum dicit, Accipe poteſtatem: Materia quoq; in hoc ſacramento eſt aliquo modo diuerſa à materia aliorum ſacramentorum, in alijs enim materia vim habet efficientis, vt aqua in Baptiſmate, oleum in Chriſmate, &c. ſed in hoc ſacramẽto materia ſunt inſtrumenta, quibus vtuntur in eo ordine exiſtentes, vt puta Claues, Vrcei, Liber, & alia id genus. Quare in hoc ſacramento longè potior vis eſt in forma, quam in materia, quo fit, vt in aliquibus ſacramentis vaſa conſecrata tradantur non ab Epiſcopo, ſed à Diacono.

Qui igitur, vt initium faciamus, ſuſcepturus eſt ordines, neceſſe eſt primum vt ſit baptizatus, quia cæterorum ſacramentorum ianua eſt Baptiſmus, adeo vt ſi non baptizatus ſuſciperet Ordines, neceſſe eſſet, vt baptizaretur prius, ac rurſus conſecraretur, quoniam per baptiſma confertur eſſe, & viuere vita chriſtiana, vt habetur extra de Presbytero non baptizato.

Oportet etiam vt ſit confirmatus; & vt ordine recipiat ordines, ſcilicet vt non prius ſuſcipiat ſuperiorem ordinẽ, quàm inferiorem, quod eſſet per ſaltum ordinari. Debet etiam qui

Digitized by Google

ſuſcepturus eſt ordines per pœnitentiam purgari, non tamen eſt neceſſarium neceſſitate ſacramenti, ſed præcepti, & deuotionis, adeo vt non purgatus non ſuſcipiat gratiam: Qui enim in peccato mortali ſuſcipit ordines, peccat mortaliter, ſed recipit characterem. Hoc ſacramento confertur ſuſcipienti ſua ſacramentalis gratia, niſi ponatur obex peccati, qua magis idoneus fit ad ſui muneris functionem, & prior augetur, ac propterea adhibetur peccato remediũ, & robur ad reſiſtendũ.

Ordines eccleſiaſtici ſunt numero ſeptem, quattuor ſcilicet minores, & tres maiores, qui hoc nomine appellantur ſacri, non quod minores non ſint, & ipſi ſuo modo ſacri, ſed quod his initiati ſolummodo admittuntur ad tangenda vaſa ſacra, in quibus corpus Chriſti, & ſanguis continetur, Patenam ſcilicet, & Calicem. Vbi notandum eſt ordinem ſacrum dupliciter dici, vno modo per ſe, & ſic quilibet ordo eſt ſacer, cum ſit ſacramentum, alio modo ratione materiæ circa quam habet actum, & ſic aliquis ordo dicitur ſacer, qui habet actum aliquem circa materiam, ſeu rem conſecratam, & ſic ſunt tres ordines ſacri, videlicet ſacerdotium, quod habet actum conſecrandi panem, & vinum, Diaconatus, qui habet actum circa corpus, & ſanguinem Chriſti in vaſe, Subdiaconatus, qui habet poteſtatem ſuper vaſa ſacra, & corporalia, & propterea his tribus ordinibus iubetur, vt mundi ſint, & ſancti, quia ſancta tractant.

Minores verò ſunt Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolitus, qui non impediunt matrimonium contrahendum, ſicuti ſuperiores, immo ſi contrahant erunt clerici coniugati, ſed de conſuetudine Eccleſiæ eſt, vt donec vxorem habent, ſuſpendantur ab executione officij illi ordini debito: Maioribus iniungitur ſub præcepto diuinum Officium puta ſeptem Horas canonicas recitandi c. dolentes extra de celebr. Miſſ. quod non fit ordinatis in minoribus, nec eis indicatur continentia, ſicuti in maioribus conſtitutis; hi enim, qui ſacris ordinibus initiantur, votum caſtitatis ſolemne emittunt, adeo vt non poſſint contrahere matrimonium, & ſi contraxerint irritum ſit, & inane.

Infra minores ordines eſt corona, ſeu tonſura, & ſupra maiores

iores eſt Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, Primas, ſeu Patriarcha, & Pontifex Romanus.

Quantum ad clericalem tonſuram tenet D. Thomas in 4. ſent. non eſſe ordinem, & quidem rectè, nam cum ordo ſit ſignaculum, quo ordinatis traditur ſpiritualis poteſtas, & officium; & per coronam nulla tradatur poteſtas, & officium clericis, vt patet ex his, quæ ab Epiſcopo recitantur, cum clericos tondet, ſed tantum aſciſcitur in clerum, & ad diuina obſequia, & ſpiritualem vitam ſequitur hanc tonſuram non eſſe ordinem, ſed aditum, & veſtibulum ad ordines, ſicuti ſponſalia ad Matrimonium, & catechiſmus ad Baptiſmũ; ita quòd tonſuram eſſe diſpoſitionem dicendum eſt; non quidem neceſſariam, ſed tantum congruam ad ordines ſuſcipiẽdos, quia ſi non tonſuratus ordinaretur, verè ordines reciperet, quamuis ipſe, & ordinator ſi ſcienter ordinaretur grauiter peccarent, quia nullus debet ordinari, niſi ſit clericus, & ſine tonſura clericus non eſt, arg. ad hoc dicere 23. diſt. Hæc tonſura declaratur qualis eſſe debeat, qui ſacris imbui deſiderat: Nam clerici nomen, quod ei tunc primum imponitur ab eo deductum eſt, quod Dominus ſortem, & hæreditatem ſuam habere incipiat; Tondentur præterea capilli ad coronæ ſimilitudinem, quam vt quiſq; in altiori ordinis gradu collocatur, ſic eius orbis forma latior fieri debet, quod ex apoſtolicis traditionibus acceptũ eſſe ſancta docet Eccleſia, de qua etiam ſanctiſſimi vetuſtiſſimi Patres Dionyſius, Hieronymus, & Auguſtinus meminerunt, & dicunt Apoſtolorum Principem primum omnium eam induxit, ad memoriam ſpineæ Coronæ Saluatoris noſtri capiti impoſitæ.

Hanc alij regiam dignitatem præſeferre affirmant, quæ ijs maximè, qui in ſortem Domini vocati ſunt videtur conuenire, vt D. Petrus pri. epiſt. c. 2. Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, quod peculiari quadam ratione ad Eccleſiæ miniſtros pertinere intelligendum eſt.

Hanc alij dicunt perfectioris vitæ profeſſionem à clericis ſuſceptam circuli figura, quæ omnium perfectiſſima eſt, ſignificari.

Digitized by Google

Hanc alij externarum rerum contemptum declarare putāt, quod capilli ſuperfluum quidam in corpore tondeantur.

Hæc tonſura nullus initiari debet contra decretum Concilij Trid. eiuſq; formam, quam ſtatuit ſeſſ. 23. c. 4. de reform. vbi præcipit illum, qui prima tonſura initiandus eſt, debuiſſe prius ſacramentum Confirmationis ſuſcepiſſe, atq; fidei rudimenta edoctum eſſe, quiq; legere, & ſcribere ſaltim nouerit, & de quo ſit probabilis coniectura, cum ſecularis iudicij fugiendi fraude, ſed vt Deo fideliter inſeruiat, hoc vitæ genus elegiſſe, ſi enim aliter faceret, peccaret mort. contra præceptum eiuſdem Conc. ſic ſtatuentis, vt docet Nauar. c. 25. n. 69.

Clericus hac prima tonſura inſignitus non ſubditur amplius Iudici ſeculari, ſed de eo, ſicuti de Eccleſiæ miniſtris, Eccleſijs, & pijs locis mancipatis regulariter cognoſcit Iudex eccleſiaſticus, c. cum ſit generale. de foro compet. Nec poteſt vocari in ius coram Iudice ſeculari, neq; examinari, niſi venia à Superiori eccleſiaſtico impetrata, hoc enim priuilegium conceditur illi, quando Epiſcopus eum induens ſuperpelliceo dicit, Induo te nouum hominem, &c.

Nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus ante 14. ſuæ ætatis annum poterit eccleſiaſticum beneficium obtinere, nec etiam fori priuilegio gaudere, niſi beneficium eccleſiaſticum habeat, aut clericalem tonſuram, & habitū deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiat, vel in Seminario clericorum, aut aliqua Schola, vel Vniuerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad maiores ordines ſuſcipiendos verſetur. In clericis verò coniugatis ſeruetur Conſtitutio Bonifacij IX. quæ incipit. Clerici, qui cum vnicis: modo hi clerici alicuius Eccleſiæ ſeruitio, vel miniſterio ab Epiſcopo deputati eidem Eccleſiæ ſeruiāt, vel miniſtrent, & clericali habitu, & tonſura vtantur, nemini quo ad hoc priuilegio aliquo ſuffragante, Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 6. de reform. & c. vel non de temp. ord. c. Iudæorum. de ætate, & qualit. ord. c. 1. de cleric. coniugat. in 6. Concil. Tolet. 4. cap. 40.

Et quamuis clericus hac tonſura inſignitus in altiori ſtatu, quam laicus ſtatuatur, non hábet tamen amplioris poteſtatis

Digitized by Google

ſtatis gradum, ſed quia deſtinatur ad diuinum cultum, opus eſt, vt ab Epiſcopo deputetur, & vt duplici ornamento ſit exornatus, interiori ſcilicet, & exteriori; interiori, quod conſiſtit in virtutibus, exteriori, quod conſiſtit in habitu, inceſſu, maturitate, & grauitate; nouus enim homo indutus eſt, nec debet, nec poteſt portare veſtimenta varij coloris, non inciſa ſerica, ſed lanea, non nimis breuia, neq; precioſa, neq; etiam nimis vilia, vt habetur c. clericis. de vita, & honeſt. cler. & 41. diſt. §. 1. de quo vlterius.

Qui clericorum ordines vult ſuſcipere ſit omninò bonæ conſcientiæ quo ad ſeipſum, & bonæ famæ quo ad alios, tùm in exemplo virtutum, tùm in modeſta conuerſatione; vehemẽter enim Eccleſiam Dei deſtruit laicos meliores eſſe quàm clericos, & vt inquit D. Auguſt. Nemo in Dei Eccleſia magis nocet, quàm qui peruersè agens, nomen, vel ordinem ſanctitatis habet.

Qualis autem conuerſationis futurus ſit clericus, oſtendit Iſidorus de vita clericorum ſic dicens. His lege patrum caueτur, vt à vulgari vita ſecluſi, à mundi quoque voluptatibus ſe abſtineant, non ſpectaculis, non pompis interſint, conuiuia publica fugiant, priuata non tantum pudica, ſed ſobria colãt, vſuris nequaquam incumbant, neq; turpium occupationi lucrorum, non fraudibus ſtudium appetant, amorem pecuniæ tanquam materiam cunctorum vitiorum fugiant, ſecularia officia, negotiaq; abijciant, honoris gradum per ambitionem minimè ſuſcipiant, pro beneficijs munera non accipiant, dolos, & coniurationes omninò caueant, odium, æmulationes, obtrectationes, atq; inuidiam deteſtentur, non vagi oculis, non effreni, aut petulantes lingua, fluidoq; geſtu non incedant, ſed pudorem, & mentis verecundiam ſimplici inceſſu, habituq; oſtendant, obſcœnitatem quoq; membrorum, ſicuti & verborum, & operum penitus execrentur, Viduarum, & Virginum frequentiam fugiant, caſtimoniam inuiolati corporis perpetuò conſeruare ſtudeant, ſenioribus, & ſuperioribus debitam obedientiam, ac reuerentiam præſtent, nullo iactantiæ ſtudio ſe attollant, aſſiduis lectionibus, & orationibus incumbant, negotiationem ſub ſpe lucri omninò fugiãt,

quia

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quia cap. ne clerici, vel mon. ſub pœna excommunicationis, clericis prohibetur, & D. Aug. diſt. 88. dicit: Fornicari numquam licet, negotiari aliquando antequam clericus fieres, ſed poſtquam factus fueris non licet.

Quamuis regula D. Pauli 1. ad Timoth. 3. c. videatur Epiſcopis tantum dari extenditur tamen, & ad alios Eccleſiæ miniſtros, vt docet D. Aug. diſt. 81. c. Apoſtolus. & D. Ambroſ. diſt. 34. c. cognoſcamus. includendo authoritatẽ Niceni Cõc.

Oportet, inquit Apoſtolus, Epiſcopum eſſe irrepræhenſibilem, vnius voxoris virum ſobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hoſpitalem, doctorem, non violentem, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, & domui ſuæ benè præpoſitum.

Quas conditiones omnes declarat Gratianus in decretis à diſt. 25. vſq; ad 48. & ab 81. vſq; ad 90. Raym. in ſumma, & alij, quas huc ad maiorem clericorũ commoditatẽ retulimus.

Quantum ad primam, ſcilicet vt ordinandus, vel eligendus ſit irrepræhenſibilis, quod idem eſt dicere, quòd ſit ſine crimine, Gratianus diſt. 25. c. vnum orarium. §. nomine autem criminis, dicit hãc vocem, crimen, quadruplicem ſignificationem habere, primò enim ſumitur pro quocunq; peccato, ſecundò pro peccato ex deliberatione commiſſo, & ſic diſtinguitur contra peccatum commiſſum ex ignorantia, vel fragilitate, tertiò dicitur crimen, quod ſæpius commiſſum ad damnationem ſufficit, quartò, & vltimò ſumitur pro crimine, quod inducit depoſitionem, vel irregularitatem, vt homicidium notorium, adulterium, & huiuſmodi, vnde diſt. 81. c. Apoſtolus, dicitur Crimen eſſe peccatum accuſatione, & damnatione digniſſimum, & ſic hoc loco ſumitur, ità ſcilicet, quòd poſt peccatum commiſſum poſt Baptiſmum, quod inducit irregularitatem, non promoueatur quis abſq; diſpenſatione, vel ſi intelligitur de quolibet peccato mortali, tunc non promoueatur ante pœnitentiam interiorem, per quam tollitur culpa, alias ad ſui damnationem ordinaretur, quamuis executionem habent: Sed diſt. 81. idem Gratianus iterum tractans illud dicit, quòd etiam debeat vitare occaſiones criminis, vt puta nimiam cum mulieribus familiaritatem, vt c.

cle-

clericus, & c. oportet; nullus .n. ſine ſuſpicione ſolus ad ſolā accedere poteſt. Item debet eſſe ſine crimine, quod ipſe cōmittat, neq; alijs conſentiat, vt declaratum eſt diſt. 83. & preſertim in c. nouo. & c. errore, quia non ſolum digni ſunt morte, facientes, ſed etiam qui facientibus conſentiunt.

Secunda conditio. Vnius vxoris virum hoc intellige, qui plures vxores non habuerit, quàm vnam, & hanc non ab alio corruptā, diſt. 87. propoſuiſti. & hoc ſiue ante, ſiue poſt baptiſmum, quia bigamia non tollitur per baptiſmum, vt patet diſt. 26. acutius. & c. deinde: & ſuper hanc conditionem Gratianus diffusè tractat de incontinentia clericorum à 26. diſt. vſq; ad 34. ponens differentiam inter clericos Eccleſiæ orientalis, & occidentalis, quæ eſt noſtra, & dicit diſt. 32. Si quis eorum: quod conſtituti in ſuperiori ordine, nec in Eccleſia orientali, neq; occidentali poſſunt cōtrahere matrimonium.

Tertia conditio. Sobrium, in hac prohibetur clericis omnibus ebrietas, & voracitas, extrà de iure iur. c. & ſi Chriſtus. Duabus namq; de cauſis prohibetur vinum immoderatè ſumptum, primò, quia vinolentia eſt incitatiua libidinis, vt in Loth, & Noe, ſecunda, quia impedit deuotionem, & diſcretionem, item, quia crapula excitat morbos, & ſenſus hebetudinem; Clerici quoq; hic admoniti eſſe debent, in principio menſæ benedictionem faciant, & in fine gratiarum actiones, vt habetur in c. quando. diſt. 44.

Quarta conditio. Prudentem, Gratianus diſt. 36. §. 1. dicit hoc eſſe contra ſimplicitatem, aut ſtoliditatem Sacerdotis, & Concil. Tolet. diſt. 38. c. ignorantia dicit; Ignorantia in Sacerdotibus, & imprudentia maximè vitanda eſſe, quia eſt mater cunctorum errorum, & Leo Papa in c. ſi in laicis dicit: Si in laicis videtur intolerabilis ignorantia, quantò magis in clericis, qui officium in populo ſuſceperunt illum inſtituēdi? quare clericus triplici prudentia ornatus eſſe debet, vna ſacrarum litterarum, vt idem Gratianus docet diſt. 36. ſecunda, debet habere peritiam Canonum competentem, vnde Cœleſtinus Papa diſt. ea. c. nulli ſacerdotum dicit: Nulli ſacerdotum liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod poſſit Patrum regulis obuiare; & licet non teneatur ſcire ſublimitates

tates Canonum, debet tamen ſcire Canones ad ſuum officium pertinentes: tertia, debet habere peritiam ſecularium negotiorum, quod eſt dicere in vtraq; vita eſſe peritum, actiua ſcilicet, & contemplatiua, exemplo Chriſti, qui non ſolum docebat, ſed ſanabat etiam, & paſcebat omnes.

Quinta conditio, Ornatum: Gratianus ponit duplicem ornatum, interiorem ſcilicet, & exteriorem: interior conſiſtit in virtutibus, quæ ſunt animi ornamenta, quæ præfigurabant varia Aaronis ornamenta; exterior verò in habitu, victu, inceſſu, quæ locis, perſonis, temporibusq; conueniant.

Quicunq; enim clericus, qui virgata, vel partita veſte vtitur ſine cauſa, ſi eſt beneficiatus, ſuſpenſus eſt à perceptione fructuum per ſex menſes, ſi non eſt beneficiatus, & eſt in ſacris, citra ſacerdotium eſt inhabilis per idem tempus ad obtinendum beneficium, ſed ſi habet dignitatem, vel beneficium cum cura, vel eſt ſacerdos, aut religioſus, eſt ſuſpenſus per annum à beneficio, & per idem tempus eſt inhabilis ad obtinendum quodcunq; beneficiū, vt habetur de vita, & hon. cler. in Clem.

Extat ſuper hoc Bulla S. D. N. Sixti V. emanata anno Domini 1588. ſuper habitu, & tonſura clericorum, ſeu militum beneficia, vel tantum penſiones obtinentium deferendis: vbi notandum eſt primò quoſcunq; beneficiatios, & ſi non in ſacris, ſed in minoribus tantum conſtitutos, vel habentes tonſuram, vel etiam qui ſunt in ſacris, teneri ad ferendum habitum, & tonſuram, vt colligitur ex verbis ipſius Bullæ, cum dicitur, præcipimus. & Silueſt. etiam notat in verbo clericos 2. nu. 2. & Nauar. c. 25. nu. 100. & peccant non deferentes habitum, & tonſuram iuxtà Glo. in c. ſi quis. diſt. 23. & c. prohibere, & quia præceptum eſt à Summo Pontifice.

Secundò notandum iſtos omnes teneri per verba Bullæ ſic dicentia. Deferant omninò tonſuram, & habitum clericalem, quare non ſufficit ferre tantummodo habitum ſolū, vel tonſuram ſolum, ſed neceſſe eſt ferre vtrunque. Ratio eſt, quia cum hæc copula, &, ponatur inter diuerſa, ad verificationem copulæ, requiritur vtriuſq; rei concurſus, l. ſi hæredi plures. ff. de condit. inſtit. Glo. in Clemen. in pleriſque. de elect. in 6. in verbo Populo. text. in c. 1. de cleric. coniug. lib. 6. vbi dicitur;

citur;

dicitur: Vt clericus gaudeat priuilegio clericali debet deferre tonſuram, & veſtes, & qui non defert tonſuram dicitur nutrire comam, ita not. in cap. prohibente. diſt. 23.

Tertiò intentio Pontificis in hac Bulla videtur eſſe, vt ex habitu, & tonſura huiuſmodi diſtinguantur perſonæ eccleſiaſtici ordinis à laicis: & propterea videndum eſt, an clerici deferentes tantum veſtem interiorem, quæ vulgo dicitur (La ſottana) ſine pallio, aut veſte ſuperiori incidant in hāc bullam: videtur enim affirmatiuè reſpondendum eſſe, quod incidant, nam ibi dicitur veſtes talares numero plurali. Piè tamen crederē, cum verba illa tam arctè non ſint interpretanda, ſatis eſſe vnam tantum veſtem ad diſtinguendum huiuſmodi clericos à laicis, vt eſt intentio Pontificis; Tum quia modicum ſemper excuſat à peccato etiam in præceptis Decalogi, vt in furto rei modicæ valoris, abſque alia tamen animi præparatione; Sic ſi toga, aut veſtis talaris non pertingat vſq; ad talos, parum referrre videtur; tum etiam, quia videtur in vſu, quod toga inferior ſit ſaltem vſque ad tibias propè talos: palium verò, vt genua cooperiat, & magis cum clericus iter facit, & quia canones tantum de vna veſte talari loquuntur c. non liceat. 23. diſt. ita etiam tenet Caiet. in verbo clericorum peccata.

An verò ſufficiat veſtem clericalem exteriorem tātum deferre, & alias interiores virgatas, ſericisq; texturis variatas, vel partitas, hoc eſt ex diuerſis coloribus habere. Reſpondendum ex bulla, Omnes eſſe debere clericales, pro quo facit textus in c. ſi Iudex. de ſent. excom. lib. 6. item facit tex. in c. 1. 21. q. 4. in fine.

Ex cauſa tamen rationabili, puta timoris, peregrinationisq; in terris infidelium, vel cauſa euitandi ſcandali, vel alia rationabili licitum ſit clericis habitum mutare, ſeu transformare, & veſtem exteriorem deponere, & aliam induere abſq; peccato; qui enim non ſpontè, ideſt re ipſa delectatus, ſed timore, vel alia iuſta cauſa vtitur habitu infideliū, non eſt apoſtata, nec cenſendus hæreticus, neque excommunicatus. Ver. uer. à Siluestro adductus verbo Apoſtaſia. q. 1. §. 3. vt habetur c. clerici. de vita, & hon. cleric. & 21. q. 4. Epiſcopi de vita,

& honé. clerici vel etiam occultè vti, puta in cubiculo, vel in menſa, vel quia aliam non habet, vel in domo, quia domus rem ſecretam denotat; & non publicam ſext. q. 1. c. ex merito. Veſtem etiam rubei coloris, ſeu viridis prohibentur clericis; Illud tamen intellige, quando publicè deferuntur, non autem quando ſecretò, & occultè.

Nota etiam quoſcunque beneficiarios, etiam habentes beneficia ſimplicia, etiam ſi non ſint in ſacris teneri habitum huiuſmodi, & tonſurā deferre per verba conſtitutionis illius.

Item, qui beneficia ſimplicia habent, & ſunt coniugati hodie habitum, & tonſuram deferre tenentur, ſi volunt vti priuilegijs fori, & canonis, ſi quis ſuadē. diab. per verba bullæ, quæ extenditur ad omnes clericos coniugatos, beneficiarios, vel penſionarios, & ſi exemptos per aliqua priuilegia, vt non incedant clericaliter.

Immo verò etiam ad milites Hieroſolymitanos ſancti Benedicti, aut ſancti Iacobi, ſi beneficium ſimplex poſſident, non vt milites, ſed vt clerici, & tenentur recitare Horas, gloſ. in c. clericus. diſt. 91.

Immo & Canonicus, qui non eſt in ſacris, ſed habet ſtallū in Choro, & vocem in Capitulo, per verba bullæ, quæ dicit habentes ius ad ea. Et appellatione beneficij eccleſiaſtici venit Canonicatus, & ſupranumerarij, & Epiſcoporū Coadiut.

Immo etiam ſi clericus habens beneficiū, vel præbendam, vel pēſionem, & ex illis nihil percipiat, non excuſatur, neque ab habitu deferendo, neque ab Horis canonicis recitandis, non extenditur tamen ad familiares Papæ, qui actu in palatio ſeruiunt.

Nota præterea, verbum illud bullæ, iugiter deferunt, quaſi velit dicere ſine vllo temporis interuallo non ita ſtrictè eſſe interpretandum, vt vllo vnquam tempore liceat clericis habitum cloribalē deponere quia præcepta affirmatiua, etiam diuina non obligant ſemper, & ad ſemper, ſed ſuis debitis tēporibus, & locis, & hoc præceptum canonicum eſt affirmatiuum, ergo non obligat ſemper, & ad ſemper; quapropter clericus aliquando poterit deponere habitum, & veſtem talarem, præſertim cum iter facit, cum eſt domi ſolus, & ſine

ſcan-

ſcandalo expoliat ſe ob calorem, vel aliam ob cauſam, neq; enim tenetur cum habitu, & veſte dormire.

Intentio enim Summi Pontificis in hac bulla eſt, vt ſemper clericus in publico apparens, ſit compoſitus, atq; decenter, vt oportet indutus.

Poſtremò cum nulla in hac bulla fiat mentio de pileo, ſeu galero: ideò quiſq; poterit vti illo, quo clerici illius regionis, vel Prouinciæ vtuntur prout vniuſcuiuſque ſanitas, vel regionis intemperies requirit, dummodo in Eccleſia pileo tantum decenti vtantur. Si plura quęris, vide Graffium, & Candelabrum.

Sexta conditio Hoſpitalem; qui enim alios debet ad charitatis, & miſericordiæ opera adhortari, debet & ipſe eadem exercere: Chriſtus enim prius cępit facere, & poſtea docere, exemplo Abrahami, & Loth. In Eccleſijs tamen prohibetur conuiuia ſternere, & accubitus, vt diſt. ea. c. non oportet, ſed propter aliquam neceſſitatem ex defectu hoſpitij domus clericorum debet eſſe communes, quod intellige circa pauperes, & indigentes, vt diſt. 42. c. quieſcamus.

Septima conditio Pudicum. clericus moribus, & verbis pudorē indeſinenter oſtendat; pudicitia verò attenditur circa ſigna venereorum, præcipuè vt ſunt aſpectus, oſcula, tactus, & huiuſmodi exteriora: nam impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius, vt dicit D. Auguſt. q. 5. nec ſolo. 6. q. 1. c. ex merito dicitur. Et ad hanc conſeruandam ſtatutū eſt, vt clerici fugiant conſortia mulierum, & vt non cohabitent cum illis, excipiuntur tamen mater, ſoror, amita, matertera, auia, filia fratris, vel ſororis, vxor filij, & regulariter omnes conſanguineę per lineā tranſuerſalem vſque ad ſecundum gradum incluſiuè arg. d. 81. c. cum omnibus. Conſanguineæ verò per lineā aſcendentem, & deſcendentem vſque ad quartum gradum ar. de conſanguin. & affin. c. non debet. Et ratio eſt in iſtis, quia fœdus naturale nihil ſęui criminis cū talibus extimari permittit, & dicitur extra de cohabit. cleric. & mul. c. à nobis, & hoc intelligas, ſi conſanguinea non habet ſecum domicellas, ſeu pediſſequas, vel alias mulieres ſuſpectas. Et licet dictum ſit, quod non permittitur aliquid ſæui

criminis ſuſpicari, debet tamen clericus,& præſertim Epiſcopus cauere immoderatam familiaritatem cum illis,ne ex hoc contemptibilis habeatur diſt. 34. c.quorundam. Hoſtienſis tamen, & Goffredus dicunt, quod Epiſcopus, & Monachus non debet etiam cum conſanguinea habitare, vt in Authentica de ſanctis Epiſcopis. §. Epiſcopum.& de Monachis. §.cogitandum. col. 1. Raymundus tamen dicit, quòd licet hoc ſit tutum, & honeſtum, ad hoc tamen non cogunt canones.

Octaua conditio (Doctorem) hoc conſiſtit in duobus, in ſermone ſcilicet, vt corrigat vitam laicorum, & ſibi ſubditorum cum charitate: vnde Leo Papa dicit; Odio habeantur peccata, non homines, corrigantur tumidi, tollerentur infirmi. diſt.86. c.odio. Deinde in doctrina prædicationis, Hieronymus, Sancta quippe ruſticitas ſolũ ſibi prodeſt,& quantum ex vitæ meritò ædificat Eccleſiam Chriſti, tantum nocet, ſi reſiſtentibus non contradicat. 11. q.7. c. ſancta. Nec debet Prælatus, & animarum Curator propter ſubſanationem, vel impiorum hominum perſecutionem ceſſare à docendo, & prædicando, vt dicit Ioã.in gloſ. diſt. 43. c. ſcimus. vbi Anacletus Pontifex dicit, Scimus multos ob id infeſtare Doctores, vt eos perdant.i.confundant, & propriæ voluntatis placita impleant, non tamen propterea Doctores, inquantum vires ſuppetunt à recta emulatione Dei, & bona intentione recedere debent, ſcientes Beatos eſſe, qui perſecutiones patiuntur propter iuſtitiam, & ſi ſubditi non proficiunt ex his, quæ docet verbo, & exemplo, ipſe tamen facit, quod ſuum eſt, & debitum ſoluit: vnde Cornelius Papa dicit, Quod ad nos attinet, conſciẽtiæ noſtræ conuenit ſemper dare operam ne quis culpa noſtra de Eccleſia pereat: Si quis autem vltro, & ſuo crimine perierit,& pœnitentiam agere noluerit, nos in die Iudicij inculpatos futuros credimus, qui eorum ſaluti conſuluimus, & illos ſolos in pænis remanſuros; qui noluerunt conſilij noſtri ſalubritate ſanari. Nec mouere nos debent conuitia perditorum,vt à recta regula recedamus,quam Apoſtolus ſanctus inſtituit, dicens; Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem, ad Galat. c. 1. Quare neceſſaria ſit ſcientia in Sacerdote,cum de Sacerdote loquemur, videri poterit:

terit: ſed ad aliam conditionem accedamus, quæ erit.

Nona conditio: Non percuſſorem; Duplex hic percuſſio clericis prohibetur, vna ſpiritualis, cum ſcilicet quis infirmorum corda inutili ſermone percutit: Altera corporalis, quæ ſi fiat ex ira, odio, aut ſuperbia, vt magis timeatur, aut erga non ſubditos prohibetur, cum tamen in ſubditos, & ex charitate ſit licita: Epiſcopus tamen propter ſuam dignitatem nullum proprijs manibus verberare debet. diſt. 86. c. non liceat. & ſicut nimia ſeueritas reprehenditur, ita etiam nimia remiſſio; & non debet clericus, quicunq; ſit, aliquem ad vindictam percutere. diſt. 86. c. ſi quid, & ſi quis in aliquo gradu ſacro percuſſor extiterit, corripiatur à crimine, & niſi ſe emendauerit, deponatur, in libro decreti. diſt. 45. c. 1. & habetur c. 1. de clerico percuſſore: Modeſtia veſtra, inquit Apoſt. nota ſit omnibus hominibus ad Philip. c. 4.

Decima conditio. Non litigioſum: litigioſus is dicitur, qui ad omnia contrariatur cauſa contriſtandi alios, & triplici de cauſa huiuſmodi homines prohibentur ordinari ſecundum Raym. prima, quia non ſunt apti ad humilem doctrinam, quæ ab eis exigitur, vnde D. Hieronymus ait: Nihil impudentius arrogantia ruſticorum, qui garrulitatem authoritatem putant, & parati ad lites in ſubditos tumidè intonant. diſt. 46. §. 1. Secunda, litigioſi, vel adulationibus animos Principum ſibi conciliant, vel fratribus ſuis detrahẽdo infamiæ notam ingerunt, vel quia ſeditiones facere non ceſſant, quæ vitia omnia clericis prohibentur. Tertia, quia cum ipſi debeant diſcordes ad concordiam reuocare, non debent litigando alios ad diſcordiam prouocare.

Vndecima. Non cupidum; Hic clericis omnibus prohibetur vitium auaritiæ interioris, primam quæ eſt inordinatus appetitus diuitiarum. Et propterea cupidus prohibetur ordinari, quia vt D. Greg. diſt. 47. c. bonorum auctori: dicit, Bonorum auctori aliter inhærere non poſſumus, niſi cupiditatem à nobis penitus abſcindamus. Et D. Ambroſius dicit, Mens auari vinculis cupiditatis aſtricta ſemper aurum, ſemper argentũ videt, ſemper redditus computat, & gratius aurum, quam ſolem intuetur. Secundò prohibetur auaritia exterior,

terior, ſub qua prohibetur omnis quæſtus, ſeu turpe lucrum, ne ſcilicet aliquo inhoneſto negotio, victu, vel alia neceſſaria ſibi quærat, nec ſuſcipiat ſeculares procurationes, vt diſt. 87. per totum habetur, niſi fortè in cauſis propriæ Eccleſiæ, vel pupillorum, viduarum, & miſerabilium perſonarum. Tertiò prohibetur ſumptio cauſarum, & negotiorum. diſtin. 88. per totum; vbi nota, quòd clerici, qui prohibentur negotiari, intelliguntur ij, qui ſunt in ſacris, vel beneficiati. Abb. in c. 1. circa fin. ne clerici, vel monaci: vnde negotiantes mortaliter peccant: non tamen de præcepto tenentur ad reſtit. & perdunt priuilegium, quia tenentur pro mercimonijs ſoluere gabellas. Poſſunt tamen etiã ſi ſunt in ſacris, vel beneficiati, ob neceſſitatem ſuam, vel ſuorum, & per interpoſitam perſonam occultè negotiari ſecluſo ſcandalo. Poſſunt quoq; cum habeant multa paſcua emere animalia ad paſcendum, & illa vendere ad ſuſtentationem ſuam, & ſuorum, & pauperum.

Duodecima conditio (Domui ſuæ benè præpoſitũ) hoc intellige, vt Gratianus exponit, diſt. 47. §. neceſſe, ſi dum eſſet laicus habens vxorem, & filios eoſdem à vitijs ad virtutes verbo, & exemplo prouocare curauerit, vt quod poſtea populo præcepturus eſt, prius exigat à domeſticis. Qui enim ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, eſt infideli deterior 1. ad Timot. c. 5. Quod quia Heli ſummus ſacerdos facere neglexit, ſeipſum cum filijs graui apud Deum damnationes percuſſit, vt 1. Reg. 4. Prohibetur igitur ordinari, qui negligens eſt, & remiſſus, quiq; non habet frontem ceteris duriorem ad alios arguendum: Si tamen per eum non ſtat, quia eius familia ſit bona, cum eam ſtudioſè corrigat, non imputabitur illi, vnde D. Auguſt. ait, Quantum libet vigilet diſciplina domus meæ, homo tamen ſum, & inter homines viuo; neque arrogare mihi audeo, vt domus mea ſit melior, quàm arca Noe, in qua inter octo homines, vnus probus eſt inuentus, aut melior, quàm ſit domus Iſaac, cum dictum ſit, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.

Poteſt etiam caput iſtud apoſtolicæ regulæ ſic intelligi, vt videlicet ſacerdos, ſeu Prælatus benè præſit domui ſuæ, id eſt Eccleſiæ ſibi commiſſæ, vt videlicet non vni plura, ſed diuer-

ſis

& diuerſa committat officia: vnde D. Gregor. diſt. 89. c. ſingula. nulli vni quantumlibet exercitatæ perſonæ vno tempore duarum rerum officia ſunt committenda, ſi totum oculus, vbi auditus? Item Aeconomos non debet laicos in Eccleſia inſtituere, vt in c. volumus cum ſequenti diſt. ea. Item propinquis, vel fauore cõiunctis non debet committere officia eccleſiaſtica. diſt. ea. Decenter, quod tamen intelligendum eſt, niſi cum ſint mali.

Decimatertia. Non Neophitum, ideſt nouum in fide, vel etiam in Religione, vt exponitur diſt. 48. per totum; vnde ſi Epiſcopus ordinaret Neophitũ huiuſmodi, priueretur authoritate conferendi ordinem, quem illi contulit per tex. c. qui eccleſiaſticis. 59. diſt. & quare iſti non ſint ordinandi, eſt tex. in c. quoniam. c. ſicut olim. 48. diſt. Huius autem prohibitionis duplex cauſa aſſignatur, vna videlicet ipſiuſmet vtilitas, ne. ſ. vt inquit Apoſt. 1. ad Timot. 3. In ſuperbia elatus incidat in laqueos diaboli, vt facilè incidunt ij, qui per arrogantiam nondum diſcipuli magiſtri fieri volunt: nam ſicut docuit Innocentius; Miſerum certè quidem eſt, eum fieri magiſtrum, qui nondum didicit eſſe diſcipulus, eumq; ſummum fieri ſacerdotem, qui nunquam in nullo gradu obſecutus fuit ſacerdoti. Altera cauſa eſt, quia cum ſit inexpertus ſtatũ Eccleſiæ neſciret regere, varietati perſonarum diuerſimodè prouidere, vt decet. Momentaneus enim ſacerdos neſcit humilitatem, mores perſonarum, vel ſeſe contemnere, non ieiunauit, non fleuit, non ſe correxit, non pauperibus erogauit; Hæc omnia ex Grat. diſt. 48. §. primo.

Sequitur itaq; illum, qui debet eligi in Epiſcopum, debere eſſe ſine crimine, ſine criminali infamia, vt habetur in c. fi. & c. ex litterarum tuarum de temp. ordin. lege item textum notabilem in c. fin. 51. diſt. vbi Concil. Toletanum 4. in cap. 18. ſic loquitur: qui in aliquo crimine detenti ſunt, qui infamiæ nota aſperſi ſunt; qui ſcelera aliqua per publicam pœnitentiam ſe admiſiſſe confeſſi ſunt, qui in hæreſim lapſi ſunt, vel qui in hæreſi baptizati ſunt, aut rebaptizati eſſe noſcũtur, qui ſemetipſos abſciderunt, aut qui naturali defectu mẽbrorum minus habere noſcuntur, qui ſecundæ vxoris coniũctio-

nem

nem ſortiti ſunt, aut numeroſa coniugia frequentauerunt; qui viduam, vel à marito relictam duxerũt, aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas, aut fornicarias habuerunt.

Ante Ordines.

EA præterea huc referenda duximus, quæ quilibet initiandus, & ſeruare, & vitare debet, vt rectè, & ritè ordines ſuſcipiat, atq; vt ab illis potiſſimum abſtineat, quæ illum modo aliquo impedire ab Ordine ſuſcipiendo, aut certè ab eius executione retrahere poſſunt; quæ quidem ex ſacra potiſſimum Tridentina Synodo, & ex ſacris Canonibus, in hunc librum redigenda curauimus, eo præſertim ordine, vt ea priuſquam accedat ad Ordines noſſe debeat, quæ in ordine ſuſcipiendo, & poſtremo loco, quæ poſt ſuſceptos ordines requiruntur, vt ſuo quiſque rectè fungatur officio: ſed in primis, & ante omnia Bulla, ſeu Conſtitutio S. D. N. Sixti Quinti contra clericos malè promotos maxima eſt attentione legenda: in ea. n. & Epiſcopis, & cęteris clericis multa prępipiuntur, ſicuti etiam illa, quæ eſt de habitu, & tonſura per eundem Sixtum de qua nonnulla in quinta conditione ſuperius retulimus circa habitum, & tonſuram.

Quapropter nullus prima tonſura initiandus eſt, qui non ſit confirmatus, qui fidei rudimenta ignoret, qui legere, & ſcribere ſaltem non nouerit, & de quo probabilis coniectura non ſit illum Deo fideliter inſeruiturum. Concil. Triden. ſeſſ. 23. cap. 4.

2. Nullus ad minores ordines promoueatur, qui bonum à Parocho, & Magiſtro ſcholæ teſtimonium non habeat Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 5.

3. Nulli minores ordines niſi per temporũ interſtitia cõferantur, niſi Epiſcopo aliter expedire videatur, & ſuſcepturi ſaltem linguam latinam intelligant, ibid. cap. 8.

4. Nullus in minoribus conſtitutus non niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus minorum ordinum ad ſacros ordines promoueatur, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ vtilitas, iudicio Epiſcopi aliud exigat, ibidem.

5 Nul-

5. Nullus ad Subdiaconatum ante vigeſimũ ſecundum, ad Diaconatum ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratum ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoueatur, & nullus etiam regularis, niſi præuio examine, ordinetur. Cõcil. Triden. ſeſſ. 23. cap. 12. & cap. 27. In minoribus conſtitutus non promoueatur ad maiores, niſi bonum habeat teſtimonium, & in minoribus ſit probatus, per annumq; in illis ſit verſatus.

6. Nulli etiam Religioſo duo ſacri ordines eodem die conferantur, & nullus ad Presbyterium aſſumatur, qui in minoribus non ſit probatus, ac bonum non habeat teſtimonium, & qui anno integro Diaconatum non exercuerit, populoq; docendo, & ſacris adminiſtrandis, neceſſaria non nouerit, & à quo caſtitatis, & vitæ integritas non expectetur.

7. Nullus ordinetur, qui nõ aſcribatur illi Eccleſiæ, aut loco, pro cuius vtilitate, vel neceſſitate ordinatur, & ſi eum locũ deſerat incõſulto Epiſcopo, illi ſacrorũ vſus interdicatur.

8. Nullus ab Epiſcopo excõmunicato, denuntiatouè ordinem ſuſcipiat, & ſi ſuſcipit, illoq; vtatur ſine Papæ diſpenſatione, peccat mortaliter: & quamuis characterem ſuſcipiat, non tamen poteſt ordinem exercere, & illius exequutionem, in quo ſolus Papa diſpenſat. c. ſi quis à ſimoniacis. 1. q. 1.

9. Nullus, qui ſit naturalis, vel illegitimus ſine diſpenſatione ordinetur, quia fieret irregularis, c. 1. de filijs presbyt. in antiq. & lib. 6. Minores autem Epiſcopus diſpenſat, c. 2. de fil. presbyt. lib. 6. ad ſacros verò ordines ſolus Papa, & cum intrante religionem ius commune ad omnes ordines etiam ſacros diſpenſant, d. c. 1. de fil. presbyt. & vt docet Nauarrus c. 25. nu. 69. nihil refert quo ad forum conſcientiæ, an illegitimitas ſit ſecreta, vel publica. Vide Bullam Sixti V. contra illegitimos, & clericos malè promotos.

10. Nullus extra ſtatuta tempora à iure ordine ſacro initietur, aut ante legitimam ætatem, aut ſine litteris dimiſſorijs, quia vltra peccatum, eſſet etiam ipſo iure ſuſpenſus: & ſi ſic ordine illo vteretur, fieret irregularis, ſuper quo ſolus Papa diſpenſat, per extrau. Pij Secundi cum ex ſacrorũ, non autem ſic in minoribus ordinibus. vide Bullam Sixti.

11. Nullus furtim, aut contra prohibitionem ordinantis ſuſcipiat ordines, quia peccaret mort. & ſi prohibitio illa facta ſit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, eſſet excommunicatus, & irregularis, in quo ſolus Papa diſpenſa. c. innotuit de eo, qui furtim ordinē ſuſcipit: vide Bullā Sixti V.

12. Nullus ordinetur per ſaltū, hoc eſt, qui minore ordine omiſſo maiorem ſuſcipit, quia peccat mort. & eſt ipſo iure ſuſpenſus, cum quo poterat Epiſcopus diſpenſare antequam miniſtret in eo ordine ſic ſuſcepto, quod tamen intellige, dūmodo antequam miniſtret, & antequam vtatur diſpenſatione omiſſum ordinem ſuſcipiat, ita docet Nauarrus eod. cap. nu. 71. ſed hodie Conſtitutio Sanctiſs. D. N. Sixti Quinti aliter decernit.

13. Nullus ordinetur, qui habeat faciem, aut manus notabiliter deformes, vt qui oculo careat, vel naſum, aut digitos abſciſſos, vel compactos habeat, vel ſuperfluos, vt habetur c. ſi euangelica. 55. diſt. ſi tamen promotus celebret, non fit irregularis, vt docet Panorm. in c. ſi celebrat. de cler. excom. miniſtr. col. 3.

14. Nullus, qui poſtquam ſemel à Dæmone fuit obſeſſus, aut morbo caduco in terra eliſus cecidit, ordinetur, quia peccat. c. maritum, & c. ſeq. 33. diſt. & qui antequam in hos morbos incideret ordinatus eſt, & poſtea ſæpè eiſdem correptus eſt, & celebrat peccat iuxta gloſ. & communem opin. Item qui alienatus mēte directè, & immediatè per inordinationem organi ſenſuum eſt inhabilis, non autem qui indirectè, & mediatè vi morbi, vulneris, iræ, vel alicuius paſſionis breuis, & ſi celebrat peccat.

15. Nullus excommunicatus ſuſcipiat ordines etiam minores, quia peccat; & ſi excommunicatio eſt maior, fit irregularis, cum quo ſolus Papa diſpenſat, Panorm. & eſt cōmunis opin. c. cum illorum. de ſent. excom.

16. Nullus in peccato mortali exiſtens ordines ſumat, aut aliquod ſacramentū miniſtret, & ſi res ſacras tangat, vel aliquid aliud faciat tanquam miniſter Eccleſiæ, peccat mortalit. c. illud 95. diſt. Richard. in 4. diſt. 24. ar. 9. q. 1. & etiam iuxta mentem D. Thom. in 4. diſt. 5. q. 2. non autem ſi ea tangit,

vt laicus non ordinatus, & ſi tempore neceſſitatis baptizat, a terra ſacra rem leuat, aut epiſtolam ſine manipulo cantat, iuxta Thom. 3. p. q. 64. art. 6.

17. Nullus, qui ſit notatus aliquo peccato notorio depoſitione digno, accedat ad ordines ante diſpenſationem, quia peccat mort. etiam poſt actam pœnitentiam, vt habetur in c. fin. de temp. ord. vbi eſt aduertendū notorium non dici ſimpliciter, quod eſt famoſum, vel teſtibus probabile, ſed quod eſt confeſſum in iudicio, vel ſuper quo eſt lata ſententia, quæ tranſiuit in rem iudicatam, vel ita eſt manifeſtum, vt nulla poſſit tergiuerſatione celari, vt qui in publico habet ita concubinam, vt maritus vxorem, & alit filios: vel illud ſcitur à maiori parte populi, vicinorum, vel congregationis, in qua ſaltem ſint decem, & ſcientia pauciorum, quàm ſex, non facit rem notoriam, neque ſex, quando illi non ſunt maior pars illius congregationis, cuius reſpectu illud dicitur notorium. Peccata notoria depoſitione digna ſunt, Adulterium, Periurium, Homicidium, & falſum Teſtimonium. iuxta Card. in d. c. fin.

Et Epiſcopus, qui poteſt diſpenſare, dum eum ordinat hac intentione, non cenſetur diſpenſare ſaltem in foro exteriori, quia ſine cauſa non poteſt diſpenſare in ius cõmune, licet poſſit in ſuam Conſtitutionem ſine cauſa diſpenſare. Silu. tamen verbo irregularitas. q. 28. affirmatiuè reſpondet, ſi talis eſt intentio Epiſcopi ordinantis. ſed lege Bullam Sixti.

Item videtur dicendum de Prælato, qui ſuum ſubditum ad ſuſcipiẽdos ordines mittit, quod quamuis fortaſſe locum habeat in foro conſcientiæ interiori, non tamen in exteriori: nota Innoc. in c. veniens de filijs presbyt. in c. diuerſis de cler. coniug. qui dicit inter Papam, & Epiſcopũ hoc intereſt, quòd Papa præbẽs ei, quem ſcit iure humano ad id inhabilem, ipſo facto ſine diſpenſationis expreſſione cenſetur habilem facere, non autem Epiſcopus: Ratio huius diuerſitatis eſt, quia Epiſcopus non poteſt ſine rationabili cauſa diſpenſare, quod poteſt Papa, & intellige in iure communi, non autem in Conſtitutione Epiſcopi ſynodali, in qua poteſt Epiſcopus, qui eam conſtituit diſpenſare, vt dictum eſt. Hæc Nauar. c. 25. nu. 74.

Nullus, qui nō fuerit cum Epiſcopo per triénium commoratus, ſi ſibi ſubditus non ſit, ab eo ordinari poteſt c. Epiſcopus de ordin. coll. Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 8. de reform.

De titulo ad ordines requiſito.

NVllus clericus ad ſacros ordines promouendus eſt, niſi habeat patrimonium aſſignatum, ex quo viuere valeat, ne turpiter mendicare cogatur in ordinis ignominiam iuxtà tex. in c. Epiſcopus de præben. quod patrimonium vendi non poteſt, & debet eſſe tale, quod ſibi ſatis ſit ad vitam ſuſtinendam Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. qnod intelligas, niſi ordinatus ad titulum patrimonij conſequatur poſtea beneficium, tunc enim licitè poterit de patrimonio diſponere prout ſibi placuerit.

Et ſi Eps ordinās fuerit in culpa ordinando illum, quē ſciebat nullum habere titulum, ſuppleat ei neceſſaria: ſi verò ordinans non fuerit in culpa, ſed ordinatus doloſè decipiens Epiſcopum, tunc ipſo iure ordinatus eſt ſuſpenſus, Ant. de Butr. in c. non liceat de præben. Si verò ambo ſunt in cauſa, tunc eo caſu ordinans tenetur alere ſic ordinatum, qui remanet ſuſpenſus, & ſic intellige Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. de reform. & ſi ordinatus habet patrem diuitem, vel alium cōiunctum, à quibus poſſit vitæ alimenta exigere, Epiſcopus non teneretur eum alere, quia non eſt pauper, quod ſecus eſſet, ſi filius proprio exercitio poſſet ſibi victum quærere ſine clericatus indignitate: quapropter videant diligenter Epiſcopi, quos ad quem titulum promoueāt ad ſacros ordines, vt multa fugiant Inconuenientia, quæ inde ex eorum negligentia orientur, ſeq; ab huiuſmodi onere liberos reddant: clericus enim, qui ordinatur cum patrimonio, vel alimentis promiſſis, vel donatis ab aliquo; Pactus antequam ordinaretur ſe nō petiturum poſtquam fuerit ordinatus, eſt ſuſpenſus ab ordine ſuſpenſione papali; qui verò poſt ordinationem remittit, aut retro donat patrimonium, aut ius, quod illi fuerat donatum, vel promiſſum abſq; pacto ante ordinationem facto, non incurrit ſuſpenſionem Nauar. c. 27. nu. 158.

De

De reſidentia.

Beneficia, quæ aſſignantur in titulum, de iure communi exigunt reſidētiam, etiam ſi eſſent viginti ſolidorum, vt eſt caſus de præben. c. conquærente diſt. 54. Quocirca tenetur quiſq; beneficiatus in ſuo beneficio reſidere, quamuis ſit tenue, alias non reſidens ſine iuſta cauſa peccat m. & tenetur ad reſtit. fructuum non expectata ſententia, qui fructus dandi ſunt fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus, vt in c. extirpandæ. §. 1. de præben. & Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 1. de reform. Reſidere igitur eſt Eccleſiæ inſeruire, vnde tamen ſi fiat aliqua intermiſſio breuis, reſidere quis cōtinuè dicitur, verba .n. ciuili modo ſunt accipienda, ff. de ſeruit. l. ſi cui, &c.

Ad hanc reſidentiam conſtituti in dignitate præcipuè tenentur, & qui habent beneficia dependentia à præbendis, non autem qui habent beneficia ſimplicia, niſi ſit ſpeciali iure inductum, neq; qui habet plura beneficia cum diſpenſatione eſt diſpenſatus à non reſidendo, præſertim quādo commodè poteſt vtriq; inſeruire, vt in c. ità nos. ſecus autem vbi beneficia ſunt remota, quia tunc poterit, in quo maluerit reſidere, quādo Eccleſiæ eſſent æquales alioqui in digniori: cauſæ iuſtæ excuſantes à non reſidendo ſunt neceſſitas perſonæ, vt quia quis habet plura beneficia, & non poteſt in vtroq; reſidere; item ſi curatus mala valetudine afficiatur, tunc enim per ſubſtitutum poterit deſeruire c. ad audientiam. Item ſi peſtis vigeret in loco beneficij, Ripa in tract. de peſte 2. p. q. 2. Et Prælatus licèt poteſt renunciare beneficio, vbi tutò permanere non poteſt. c. paſtoralis. 7. q. 2. Item neceſſitate Eccleſiæ, vel vtilitas, vt ſi pro negocijs Eccleſiæ ſit abſens, quia tunc poteſt conſtituere Vicarium, & de licentia ſui Prælati.

Iuſta etiam cauſa eſt auditio Theologiæ ad quinquennium. c. cum ex eo. de elect. lib. 6.

Item perlectio eiuſdem donec durauerit etiam ſine licentia Epiſcopi. Item obſequium Epiſcopi quo ad duos Canonicos in vtilitatem Eccleſiæ ſuæ, non autem propriæ perſonę, niſi ex cauſa vrgenti, & Eccleſiæ non indigente ſeruitio ſuo

per-

perſonali. Item obſequium Papæ, vel honeſta conſuetudo; ita Nauarr. cap. 25. num. 121. qui addit compoſitionem circa fructus beneficij ipſo iure amiſſi ob non factam reſidentiam non prodeſſe; at per Bullã Pij Quarti, quæ incipit; Sanctiſſimus declaratur hoc eſſe faciẽdum de licentia Ordinarij.

Nota etiam, quòd fructus obuenientes tempore vacationis beneficij, debent conſeruari futuro Rectori, vel in vtilitatem Eccleſiæ, conuenti, & interim cuſtos eorum erit Capitulum. c. 1. de clerico ægrot.

Nota præterea nullum clericorum beneficiatorum ab Eccleſia reſidentiam exigente vltra tres menſes abeſſe debere. ſeſſ. 23. de reſidentia, c. quoniam autem. Concil. Trident.

Præterea clerici ſuperiores, qui ob aliquam cauſam ab Eccleſia ſua reſidentiam exigente abeſſe voluerint, debent cauſam in ſcriptis probare. ſeſſ. 23. Rubrica de reſidentia clericorum. cap. 6. Nam cum, & cap. 9. eadem omnino. Inferiorum verò clericorum curatorum abſentiæ cauſæ ab Epiſcopo ſunt cognoſcendæ, & probandæ, relicto idoneo Vicario ab Epiſcopo approbato, cum debita mercedis aſſignatione, eodem cap. 9. cap. eadem omnino.

Cauſæ etenim, quæ cogere debent quoſcunque ad reſidentiam, ſunt ad reſtituendam collapſam eccleſiaſticam diſciplinam, deprauatos in clero, & populo, mores corrigendos. Secunda, quia integritas præſidentium ſalus eſt ſubditorum, & vt attendant ſibi, & vniuerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit illos: & vt iuxta D. Pauli præceptum in omnibus laborent, & miniſteriũ ſuum impleant, quod nullo modo præſtare poterunt, ſi greges ſuos mercenariorum more deſerant. Sancta enim Synodus Trid. grauiſſimis Eccleſiæ incommodis commota, nihil Eccleſiæ Dei magis neceſſarium eſſe iudicauit, quàm Paſtorum præſentia, ad quod præſtandum Beatiſſimus Romanus Pontifex omni cura, & ſollicitudine ex officio ſui muneris curare debuit antiquos Canones ſuper hoc innouando, qui temporum, atq; hominum iniuria in deſſuetudinem penè abierant pœnis contra non reſidentes adhibitis, vt in Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. eadem. & c. ſi quis, ſub rubrica de reſidentia ſtatum eſt, quod Concilium ſeſſ. 23. c. 1. de reform.

corri-

corrigens multorũ Doctorum opiniones, quæ habentur apud Summiſtas, verbo Reſidentia, proſpiciensq́; in futurum ſaluti animarum, & obuiare cupiens fraudibus, ſic declarat, ſtatuit, & decreuit: Si quis autem inquit, quod vtinam nunquam eueniat contra huius decreti diſpoſitionem abſuerit, ſtatuit ſacroſancta Synodus, præter alias pœnas aduerſus nõ reſidentes ſub Paulo Tertio poſitas, & innouatas, ac mortalis peccati reatum, quod incurrit eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta illos ſibi retinere poſſe, ſed teneri, aut ipſo ceſſante per ſuperiorem eccleſiaſticum illos fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacunq; conuentione, vel compoſitione.

De Litteris dimiſſorijs.

SVſpenſione impropriè dicta quo ad alios ſuſpenſi ſunt omnes clerici peregrini, vel alienigenæ, qui publicè celebrare non poſſunt, niſi prius teſtimonium ſuæ ordinationis, quas litteras dimiſſorias vocamus, oſtenderint, vt habetur in c. 3. de cler. pereg. & Concil. Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 16. Nauar. c. 27. num. 153. ſecreto autem in loco occulto deuotionis cauſa poterunt celebrare; & eſt notãdum, quod licet ius antiquum in tit. de clericis peregrin. & Concil. Trid. vbi ſupra tantum agant de clericis peregrinis, hodie tamen in vniuerſum ſeruatur non tantum peregrinos, ſed etiam ignotos clericos .i. qui non ſunt eiuſdem Diœceſis, litteras dimiſſorias portare debere tum ſigillo cognito ſecundũ omnes; quòd ſi tale ſigillum incognitum eſſet, tales dimiſſoriæ debent habere quinque ſigilla Epiſcoporum, quod procedit ſi talium ſigillorum aliqualis habeatur notitia, pariterq́; ſigillantium iuxta mentem Armillæ, & gloſ. in c. quod ſuper his de fide inſtrum. & hoc procedit de rigore iuris, de conſuetudine tamen vnum ſufficit; in quo caſu Prælati, eorumq́; Vicarij debent eſſe diligentiſſimi ſcrutatores; multi enim ſunt falſarij, apoſtatæ, atque fugitiui, & quod peius eſt, celebrantes abſque aliquo ſuſcepto ordine. Duabus de cauſis litteræ

terę dimiſſoriæ, vel ad duos effectus conceduntur. Primò, ſolent cōcedi illi, qui aliquem ordinem eccleſiaſticum vult ſuſcipere, cum videlicet proprius Epiſcopus occupatus, alijſq; negotijs impeditus ordinationes non poteſt celebrare, & tūc remittit ordinandum ad alium Epiſcopum cum litteris, quibus fidem facit illum eſſe idoneum ad tales ordines ſuſcipiēdos. Secundò, & proprio modo litteræ dimiſſoriæ, vel cōmendatitiæ dicūtur illæ, quas ſuperiores tàm Epiſcopi, quàm Religionum Prælati concedunt ſuis ſubditis in aliam Prouinciam, vel Diœceſim proficiſci volentibus, quibus fidem faciunt tales nec excommunicatos eſſe, nec aliqua alia cenſura, vel irregularitate irretitos, de quibus quo ad regulares tranſeuntes de vna in aliam Prouinciam ſtrictiſſimè agit multis impoſitis pœnis S. D. N. Sixtus Quintus in Bulla illa, qua ꝓhibet inceſtuoſos, vel ſacrilegos filios admitti ad Religionem. verſ. Sed, & quia interdum.

Litteræ dimiſſoriæ ob eam cauſam ſunt inuētæ, quia Epiſcopi ſolent concedere ſuis ſubditis, vt ab alieno ordinatore poſſint promoueri ad ordines: vnde per has litteras patet non ſolum fieri commendationem ordinandi, ſed etiam per eas in alium Epiſcopum fieri propriæ iuriſdictionis delegationē; videntur enim Epiſcopi per has litteras officium ſuum alijs Epiſcopis concedere, vt habetur tex. in c. primatus. 71. diſt. & tex. in c. clericum. diſt. 72. & gloſ. notabilis in c. fraternitati. de cleric. non reſident. & multa alia iura, quæ ad hoc citat gloſ. verbo ſine litteris in d. c. priuatus.

Sed circa has litteras concedendas aliquot poſſunt occurrere impedimenta. Primum, ſi Epiſcopus, quod abſit, ſit ſuſpenſus, excommunicatus, interdictus, vel aliqua cenſura innodatus, non poteſt litteras dimiſſorias ad ordines concedere: & ſi ſit ligatus, eas concederet irregularis efficeretur, eo quod Eccleſiæ clauibus abuteretur. Item mortuo Epiſcopo Capitulū, ſede illa vacante, dimiſſorias ad ordines non poteſt concedere, vel alias quilibet in iuriſdictionem ſuccedens, niſi in duobus caſibus: Primò, ſi ſedes epiſcopalis vacauerit vltra annum: Secundus, ſi quis ratione obtenti, vel obtinendi beneficij ſit arctatus ad ſuſcipiendos ordines, alias Capitulū ex-

tra

Digitized by Google

tra dictos caſus dimiſſorias concedens ipſo facto ſubiacet eccleſiaſtico interdicto per Concil. Trident. ſeſſ. 7. de reform. cap. 10. Si verò alius particularis in iuriſdictionem ſuccedēs illas conceſſerit extra illos caſus, ipſo iure erit ab officio, & beneficio ſuſpenſus per d. Conc. ſeſſ. 23. cap. 10.

Quæ litteræ non expirant mortuo Epiſcopo concedente, vt probat Nauarr. in Apologia de redditibus Eccleſiæ q. 3. monitio. 8. num. 2.

Quis deniq; poſſit iſtas litteras ad ordines concedere, vide Conc. Triden. ſeſſ. 7. de reform. cap. 10. & 11. & ſeſſ. 23. cap. 8. & 10. Nauarr. cap. 25. num. 70. num. 155.

Notandum præterea has litteras non ſine expreſſione cauſæ eſſe concedendas: debent enim continere cauſas alicuius excuſationis, ob quam ipſe proprius Epiſcopus ordinare non poſſit. tex. in c. 1. de temp. ordin. lib. 6. Secundò non eſſe concedendas ad examinandum, ſed poſt factam examinationem, & approbationem, vt habetur in Conc. Triden. ſeſſ. 14. de reform. cap. 3. & ſeſſ. 23. cap. 3. & 10. Nihil enim valet illa clauſula, qua putāt Epiſcopi excuſari, dicentes, in quo ordinantis conſcientiam oneramus, quia tamquam non appoſita eſt cenſenda, & maiorem ipſi culpam contrahunt, quam ordinatores, vt ex tex. in c. ſi Epiſcopus. de præbend. lib. 6. Paris enim effectus eſt ordinare per ſe, vel dimiſſorias concedere, vt ex tex. in c. accidens de purgat. canon.

Notandū etiam facultatem omnē concedendi dimiſſorias clericis ſecularibus omnibus Prælatis Epiſcopis inferioribus, vt ſunt Abbates, Capitula, Collegia, &c. per Concil. Triden. Ablatam eſſe ſeſſ. 23. cap. 10. ſub pœna ſuſpenſionis. De ſecunda autem ſpecie litterarum dimiſſoriarum, quæ clericis iter facientibus conceduntur, fuit ſanctorum Patrum vetuſtiſſimum, & iuſtiſſimum inſtitutum in Concilio Niceno 318. Epiſcoporum, & in alijs Cōcilijs. Quapropter clerici ſine talibus litteris nunquam ſunt recipiendi ad miſſam celebrandam, vel alia miniſteria eccleſiaſtica exercenda, & ita præcipitur nouiſsimæ in Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 16.

Hæ litteræ concedendæ ſunt non tantum clericis minorib. iter agentibus, & Sacerdotibus, ſed etiam Diaconis, & Sub-

diaconis, vt probat expreſsè tex. in cap. 2. 74. diſt.

Qui recipit ordines ſine litteris dimiſſorijs ſui Ordinarij, ſi minores, nullam incurrit cenſuram, vel irregularitatem, peccauit tamen mortaliter; pro quo vide Bullam Sixti Quinti. Si autem Subdiaconatum, vel ſupra, eſt ipſo iure ſuſpenſus per extrauag. Cum ex ſacrorum Pij Secundi, quam citat Nauarr. cap. 25. num. 70. & Concil. Triden. ſeſſ. 23. cap. 8. & qui ſic ordinatus antequam à ſuſpenſione abſoluatur celebrauerit, vel in ordine miniſtrauerit, erit irregularis, cũ quo ſolus Papa diſpenſat, vt tenent omnes: vide Bullam Sixti, in qua aufertur poteſtas Epiſcopis diſpenſandi ſuper irregularitate ſic contracta.

Aduertant ergo Reuerẽdiſſimi Epiſcopi clericos ſæpè dimiſſorias quærere, non vt neceſſitatem habeant alio proficiſci, ſed vt ſuperiorum ſuorum agreſtes immites, atque elatas conditiones effugiant, ac deuitent, vt aliquãdo non ſine graui ſcandalo accidit; debent ergo boni Epiſcopi, ſi bonos miniſtros, & coadiutores voluerint ſe eſſe, ipſi in formam gregis, conſiderantes verba illa Eccleſiaſt. 32. cap. Rectorem te poſuerũt, noli extolli, eſto in illis, quaſi vnus ex ipſis, curam illorum habe, & conſidera vt propter illos læteris.

Quid autẽ fiet, ſi clericus obtentas ammiſerit dimiſſorias? Tunc per teſtes poterit probare ſe eſſe clericum &c. & aliud eſt iudicandum de clerico tranſeunte, aliud de cõmorari volente in aliqua Ciuitate Silu. verbo peregrinus, &c.

Quæ in ordine ſeruari debent.

De materia, & forma omnium Ordinum.

Materia ordinis oſtiariatus ſunt claues.

Materia exorciſtatus eſt liber exorciſmorum.

Materia lectoratus eſt liber lectionarius.

Materia Acolitatus eſt candelabrum cum cereo extincto, & vrceolis vacuis.

Materia Subdiaconatus eſt liber epiſtolarum.

Ma-

2 Materia Diaconatus eſt liber Euangeliorum.
3 Materia Sacerdotij eſt Calix cum vino, & aqua, & Patena cum Hoſtia ſuperpoſita.

2 Vbi notandum eſt non ſolum porrectionem materiæ eſſe de eſſentia ſacramenti ordinis, ſed etiam tactum illius ab eo, qui ordinandus eſt id, quod verba formæ oſtendunt, cum dicit Epiſcopus, Accipe claues, vel ceroferarium &c. quod exprimitur per verbum, & modum imperandi, & vſus ordinis per actũ, qui imperatur, quia ſacramentũ ord. principaliter conſiſtit in poteſtate tradita; quæ quidem per vſum innoteſcit, ſicuti potentiæ notificantur per actus. Ariſt. 2. de anima.

Quæ in Ordine requiruntur.

Forma Oſtiariatus eſt, Accipe poteſtatem aperiendi Eccleſiam, & ſacrarium, & claudendi infidelibus; & tũc imprimitur character iſtius ordinis, ſeu recipitur ordo cum porrectum inſtrumentũ illius ordinis, tanquam materiam ab Epiſcopo dicente formam illius, tangit manum ordinantis ad illum finem. Datq; Epiſcopus claues Eccleſiæ in manibus ordinandorũ, dicens; Sic agite, quaſi rationem reddituri Deo pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur.

Clauium igitur traditio, & verba præmiſſa ſunt huius ſacramenti ſubſtantialia, cætera ſunt ſolẽnitates. Hoc officium impleuit Chriſtus, quando ementes, & vendentes de templo eiecit. 26. q. 7. ex rationale diuin. offi.

Forma Lectoratus porrigẽdo lectionarium eſt; Accipe poteſtatem, & eſto verbi Dei relator, ſi fideliter, & vtiliter impleueris officium tuum, partem cum his, qui verbum Dei miniſtrauerunt, ab initio accipies: huic tradit Epiſcopus codicem, de quo lecturus eſt verba, vt Miſſale, ſeu Lectionarium, & huiuſmodi dicens; Accipe, &c.

Codicis traditio, & verba præmiſſa ſunt eſſentialia, hoc officium Chriſtus impleuit, quando in medio Doctorũ, librum Iſaiæ cap. 41. aperiens, legit; Spiritus Domini ſuper me.

Forma Exorciſtatus porrigendo librum exorciſmorum eſt; Accipe, & comenda memoriæ, & habe poteſtatem impo-

nendi manus ſuper energumenos, ſiue baptizatos, ſiue cathecumenos: Huic tradit Epiſcopus librum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi dicens Accipe &c.

Libri acceptio, & verba præmiſſa ſunt de ſubſtantia huius ordinis; Chriſtus hoc officium exercuit, quando de Maria Magdalena, & alijs eiecit dæmonia. Matth. 16. Luc. 7.

Forma Acolytatus, porrigendo candelabrū cum cereo extincto, & vrceolis eſt, Accipe ceroforarium cū cereo, & ſcias te ad accendenda luminaria Eccleſiæ mancipatum in nomine Domini; & pariter dat vrceolum dicens, Accipe vrceolum ad ſuggerendum vinum, & aquam in Euchariſtiæ ſanguinis Chriſti ſacramentum.

Verba præmiſſa, & vtenſilia ſunt huius ſacramenti eſſentialia, & ſubſtantialia. Chriſtus hoc officium ſe habere oſtendit, quando dixit, Ego ſum lux mundi, &c. Ioan. cap. 8.

Forma Subdiaconatus, Poſtquam amictus capiti eius impoſitus fuerit ab Epiſcopo, & manipulus in brachio ſiniſtro, & dalmatica indutus: Huic ab Epiſcopo datur liber Epiſtolarum dicendo; Accipe librum epiſtolarum, & habe poteſtatem legēdi eas in Eccleſia ſancta Dei, tàm pro viuis, quàm pro defunctis In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: Huic etiam ab Epiſcopo datur Calix vacuus cum Patena, & vrceolis cum aqua, & bacile, cum manutergio ab Archidiacono dicente; Videte cuius miniſterium vobis traditur; & ideò ſi vſq; nūc fuiſtis tardi ad Eccleſiā, ammodo debetis eſſe aſſidui, ſi vſq; nunc ſomnolenti, ammodo vigiles, ſi ebrioſi, ſobrij, ſi inhoneſti, caſti &c.

Præmiſſa verba, vtenſilia huiuſmodi ſunt huius ſacramenti eſſentialia: Chriſtus hoc officium exercuit, quando in Cana Galileæ conuertit aquam in vinum, & quando cœna facta miſit aquam in peluim, & lauit pedes diſcipulorum Ioan. 2. & 13.

Forma Diaconatus: Poſtquam Epiſcopus dixit, Accipe Spiritum ſanctum ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus eius in nomine Domini: & poſtquam dedit Stolam ſuper humerum ſiniſtrum, porrigendo librum Euangeliorū, ait; Accipe poteſtatem legendi Euangeliū in Eccleſia Dei, tàm pro

viuis,

viuis, quàm pro defunctis in nomine Domini Amen. Item Epiſcopus ponit manus ſuper caput illius dicens; Emitte in eum, quæſumus Domine, Spiritum ſanctum, &c. Item dat ei ſtolam; cum tamen dat librum euangeliorum ſecundum S. Thomam, tunc imprimitur character.

Stola, & codex euangelij cum verbis Epiſcopi ſunt eſſentialia huius ſacramẽti; Chriſtus hoc officium exercuit, quãdo poſt cœnam ſacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti Apoſtolis diſpenſauit, & quando Apoſtolos hortatus eſt, vt orarent. Matth. 26. & 4.

Forma Presbyteratus: Poſtquam Epiſcopus reflexerit ſtolam ſb humero ſiniſtro in dextrum in modum crucis dicendo; Accipe iugũ Domini; iugum enim ſuaue eſt, & onus eius leue. & poſtquam dedit veſtem ſacerdotalem, & conſecrauit manus dicẽdo; Conſecrare, & ſanctificare digneris Domine manus iſtas per iſtam vnctionem, & noſtrã benedictionem, porrigendo Calicem cum vino, & aqua, & Patenam cum Hoſtia ſuperpoſita eſt; Accipe poteſtatẽ offerendi ſacrificium Deo, Miſſaſq; celebrandi, tàm pro viuis, quàm pro defunctis, in nomine Domini: Deinde imponendo ambas manus ſuper caput illius, dicit; Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt. Petrus de Tarantaſio dicit, quod in impoſitione manũ imprimitur character, ſed ſecundum S. Thomam primum verius eſt, & communius.

Caſula cum Stola, Calix cum Patena, &c. ſunt huius ſacramenti eſſentialia: Hoc officium exercuit Chriſtus, cum poſt cœnam panem, & vinum in corpus, & ſanguinem conſecrauit, & diſtribuit Diſcipulis, dicens; Accipite, hoc eſt corpus meum, &c. Matth. 26.

Nota tamen ſi primum fuerit ammiſſum. i. porrectio Calicis præparati, totum debet reiterari, quaſi nihil factum ſit; ſi verò hoc fuerit obſeruatum, & aliquid de prædictis alijs fuerit ommiſſum, debet ſuppleri ab Epiſcopo in alia ordinatione, & interim ſic ordinatus non celebret, neque illo vtatur ordine.

Omnium prædictorum ordinum miniſter eſt Epiſcopus; & quam-

quamuis quibuſdam Abbatibus olim permiſſum ſit, vt minores ordines interdum adminiſtrarent; proprium tamen munus eſt Epiſcoporum Subdiaconos, Diaconos, & Præsbyteros ordinare.

Quamuis etiam plures ſint ordines, quia tamen omnes ordinantur ad vnum euchariſtiæ ſacramentum, ideo eſt tantum vnum ſacramẽtum ordinis, ſicuti etiam in euchariſtiæ ſacramento ſunt duæ materiæ, & duæ formæ, tamen non eſt niſi vnum ſacramentum euchariſtiæ; illa enim conficiunt vnum conuiuium, vt plures partes.

Oritur hic quæſtio non parua: An videlicet epiſcopatus ſit ordo: nam D. Thom. & alij Doctores in 4. lib. ſent. tractant hoc dubium, cum Magiſter ſent. dicat; Ordo Epiſcoporum quadripartitus eſt, videtur inferre epiſcopatũ eſſe ordinem; ſed D. Thom. diſtinguendo, dicit ordinem dupliciter ſumi. Primò, vt eſt ſacramentum, ſicq; omnis ordo refertur, ſeu ordinatur ad ſacramentum euchariſtiæ: cumq; Epiſcopus ſupra ſacramentum hoc non habeat maiorem poteſtatem, quã quicunque Sacerdos non habet hoc modo ordinem ſacerdotio altiorem. Si verò ſumatur vt eſt officium quoddam reſpectu quorundam actionum ſacrarum; tunc cum Epiſcopus habeat poteſtatem in Hierarchicis actibus maiorem, quam Sacerdos, ſic epiſcopatus impropriè dicitur ordo; attamen contra magnam dubitationem facit, quia poteſtas ſpiritualis ſi non eſt ordinis eſt iuriſdictionis. Diuus Bonauent. dicit Poteſtas ordinis principaliter ordinata eſt ad ſacramentorũ diſpenſationem, potiſſimè euchariſtiæ, in quo eſt ſtatus graduum, ac ordinum aſcendentium, ideò vltra ſacerdotium non eſt aliquis gradus ordinis, ſed intra hunc gradum, ac ordinem eſt diſtinctio dignitatum, & officiorum, quæ non cõſtituunt nouum gradum, ac ordinem, vt Archipresbyter, Epiſcopus, Patriarcha, Papa, & ſic epiſcopatus prout concernit ſacerdotij officium, rectè vocatur ordo; ſed prout diſtinguitur contra ſacerdotium, dicit dignitatem quandam, ſeu officium ei annexũ: nec nouus character ei imprimitur, nec noua datur illi poteſtas, ſed data ampliatur. Hinc ſicut non recipit alias claues, ita nec ordinem alium; hoc ſenſerunt Hugo, & Magi-

ſter

ster ſent. & eſt communis opinio, quòd in conſecratione ad epiſcopatum non imprimitur nouus character, maior quàm in ſacerdotio, ſed confertur illi eminentia quædam, quæ iugiter manet cum caractere ordinis etiam omni iuriſdictione remota. Si verò dixeris poteſtatem epiſcopalem eſſe poteſtatem iuriſdictionis, ſequitur, quòd munera Epiſcopi poſſint committi exequenda ab eo, qui non eſt Epiſcopus. Vnctio enim criſmatis ex commiſſione Papæ poteſt exerceri à presbytero, & minores ordines ab Abbatibus, & ſic poteſtas Epiſcopi in ea re non eſſet ordinis, ſed potius iuriſdictionis; ſed qa committi non poteſt niſi Sacerdotibus, ſicuti ea, quæ ſunt tãtum iuriſdictionis, vt excommunicatio, Indulgentiæ, & his ſimilia, idcircò dicẽdum erit huiuſmodi facultatem eſſe mediam inter facultatem iuriſdictionis, & ordinis; Verum poteſtas illa conferendi ſacros ordines nulli poteſt committi, neq; ab alio, quàm ab Epiſcopo poſſunt conferri, quia propinquiſſimè reſpiciunt corpus Chriſti. Sicuti ergo (vt inquit D. Thom. in 4.) ſolus Sacerdos, qui poteſt conficere verum Chriſti corpus, poteſt etiam abſoluere in foro conſcientiæ, & idoneum facere pœnitentem ad ſumptionem euchariſtiæ, ita hi ſacri ordines, præſertim presbyteratus, cum habeãt immediatum reſpectum ad verum Chriſti corpus, non poteſt hoc munus alteri committi, quàm Epiſcopo, ex quo videtur ſequi, poteſtatem hanc eſſe ordinis, non autem iuriſdictionis. Quod ſi huic rationi conceſſerimus, dicemusq; epiſcopatum eſſe ordinem, & ſuperiorem ſacerdotio, & ab eo diſtinctum, maior ſtatim ſuboritur quæſtio: nam ſi Diaconus non dum presbyter conſecretur in Epiſcopum per ſaltum, accipit hic characterem, & cõſecrationem Epiſcopi, cum non ſit presbyter, & poterit ea facere, quæ ſunt illius ordinis, puta conſecrare alios in presbyteros, cum tamen ipſe non ſit presbyter, quòd valdè abſurdum videtur: vnde quæſtio hæc valdè implicata remanet, ſed Durandus in 4. ſent. eam, vt mihi videtur, optimè ſoluit, putat enim epiſcopatum eſſe ordinem, non tamen diſtinctum à ſacerdotio, ſicuti ſacerdotium diſtinguitur à diaconatu, ſed ſicuti perfectum in eodem genere differt ab imperfecto, vt humano genere puer à viro. Sacerdos enim

Digitized by Google

eſt imperfectus Epiſcopus, & Epiſcopus eſt perfectus Sacerdos; perfecti enim eſt, ſecundum Ariſtotelem, poſſe tale facere, quale ipſum eſt, quod imperfectum non poteſt; ita Epiſcopus poteſt Sacerdotem conſecrare, quod facere non poteſt Sacerdos; ex quo ſequitur eum, qui non eſt Presbyter, non poſſe in epiſcopum conſecrari, ſicuti fieri non poteſt vir, qui prius non fuerit puer: quod ſi conſecraretur, nullam reciperet is conſecrationem, ſeu caracterem; & ideò fungi munere Epiſcopi non poſſet, ſed oporteret, vt is cōſecraretur prius in Sacerdotem, & poſtea in Epiſcopum, quæ ſententia Durandi vſui, & rationi videtur conſona.

Præterea Epiſcopus multa poteſt ſuper ea, quæ poteſt ſacerdos; poteſt .n. clericos ordinare, Virgines benedicere, Eccleſias dedicare, Clericos deponere, Synodos celebrare, Chriſma conficere, veſtes, & vaſa conſecrare, Chriſmate vngere, excommunicare, interdicere, & ſuſpendere; quæ omnia (vt diximus) pertinent ad actiones Hierarchicas in eccleſiaſtica Hierarchia; nec vlla eſt actio ex illis Hierarchica, quam non poſſit Epiſcopus ex ſui officio exercere. Archiepiſcopus tamen, Primas, & Papa habent in iiſdem Hierarchicis actionibus ampliorem poteſtatem, quàm Epiſcopus. Præterea cum Epiſcopus ſolemniter celebrat decem habet ornamēta ſupra Sacerdotem, Caligas, Sandalia, Crucem, Succinctorium, Tunicam, Dalmaticam, Chirotecas, Mitram, Annulum, & Baculum paſtorale: quæ omnia aliquid maius, & eminentius innuere volunt eſſe in Epiſcopo, quàm in Sacerdote, quorum omnium ſignificata habes in rationali diu. offic. Quæ verò ſunt communia indumenta Epiſcopis, & Sacerdotibus ſunt Amictus, Alba, Stola, Manipulus, Cingulum, Planeta.

De officio cuiuſcunq; ordinis.

Officium Oſtiarij eſt dignos ad Templum recipere, & indignos repellere.

Officium Lectoris eſt pſalmos, & lectiones legere, aut cantare.

Officiū Exorciſtæ eſt ſuper inquietos, qui à ſpiritibus immun-

mundis vexantur, aut à Dæmonibus agitantur, nomen Domini inuocare, adiuratum ſpiritum eijcere, vel compeſcere.

Officium Acoliti eſt portare funalia, & cereos in ſignum lætitiæ, vt fideliũ animi incitentur ad contemplandam euangelicam lucem, & ad mentem erigendam ad veram illam lucem, qui Chriſtus eſt.

Officium Subdiaconi eſt Calicem, & Panem ad altare portare, Vinum celebranti miniſtrare, Corporalia lauare, Epiſtolam legere, vel cantare, & quantum ſufficit de oblationibus ſuper altare ponere.

Officium Diaconi eſt pauperum curam gerere, Epiſcopis, & Presbyteris miniſtrare, Euangelium prędicare, ordinandos, & baptizandos offerre.

Officium Presbyteri eſt docere, ſeu prędicare, ſoluere, & ligare, conſecrare, & ſacramenta adminiſtrare.

Vel iuxtà Catechiſmum.

Oſtiarij munus eſt Templi claues, & ianuam cuſtodire, & adytu Templi arcere eos, quibus ingredi interdictum eſt: Ad ſanctum etiam Miſſæ ſacrificium aſſiſtere, curaturus ne quis propius accedat, quàm par eſt, ad ſacram aram, & ſacerdotem rem diuinam facientem interpellare.

Lectoris munus eſt in Eccleſia veteris, & noui Teſtamenti libros clara voce, & diſtinctæ recitare, & prima religionis Chriſtianæ rudimenta fidelibus tradere.

Exorciſtæ munus eſt nomen Domini inuocare in eos, qui ab immundis ſpiritibus obſidentur.

Acoliti munus eſt Miniſtros maiores, Subdiaconos, & Diaconos in altaris miniſterio aſſectari, eiuſq; operam dare, lumina deferre cum Miſſæ ſacrificium celebratur, prǽcipuè verò cum euangelium legitur, ex quo & ceroforarij alio nomine vocati ſunt.

Subdiaconi munus eſt Diacono ad altare inſeruire, ſacra lintea, vaſa, panem, & vinum ad ſacrificij vſum neceſſaria parare, Epiſcopo, & ſacerdoti aquam præbere, cum manus in Miſſæ ſacrificio lauant: Epiſtolam etiã, quæ olim à Diacono

in Miſſa recitabatur legere, tanquam teſtis ad ſacram aſſiſtente, & prohibere, ne ſacerdos ſacra faciens, à quopiam perturbetur.

Diaconi munus eſt Epiſcopum perpetuo ſequi, côcionantem cuſtodire, Epiſcopo, & ſacerdoti ſacra facienti, vel alias ſacramenta adminiſtranti præſto eſſe, in Miſſæ ſacrificio Euangelium legere, peruestigare quinam in vrbe piè, & religiosè, quiue ſecus vitam traducant: Etſi abſit Epiſcopus, & ſacerdos, Euangelium explanare, non tamē è ſuperiori loco, vt intelligatur hoc eius proprium munus non eſſe.

Sacerdotis munus eſt ſacramenta ritè conficere, & adminiſtrare, populum fidei ſuæ commiſſum iis rebus, & inſtitutis, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria erudire, & diuinum officium recitare. Hic eſt ſummus omnium ſacrorum ordinum gradus: & hic notandum eſt, duplex in ſacris litteris ſacerdotium adnotari, internum ſcilicet, & externum, ſacerdotium internum eſt, quo fideles omnes, poſtquā abluti ſunt ſalutari aqua baptiſmatis, ſacerdotes dicuntur, præcipuè verò iuſti, qui ſpiritum Dei habēt, & diuinæ gratiæ beneficio Ieſu Chriſti ſummi ſacerdotis viua membra effecti ſunt: Hi enim fide, quæ charitate inflammantur, in altari mentis ſuæ ſpirituales Deo hoſtias immolant, quo in genere bonæ omnes, & honeſtæ actiones, quas ad Dei gloriam referunt, numerandæ ſunt, iuxta illud Apoc. 1. & 5. 1. petri 2. & Rom. 12.

Externum verò ſacerdotium non omni fidelium multitudini (vt Hæretici ſomniant) ſed certis perſonis conuenit, qui legitima manuum impoſitione, ſolemnibusq; ſanctæ Eccleſiæ ceremonijs inſtituti, & Deo conſecrati ad aliquod proprium ſacrumq; miniſterium aſcribuntur, & hoc tantūmodo ſacerdotium ad ſacramentū ordinis ſpectat, de quo & nos ſequenti libro acturi ſumus.

Congregationis declaratio pro Epiſcopis.

CVm in ſacra Cardinalium Concilij Tridentini interpretatum Congreg. Romæ quinto Idus Decembris 1581. habita propoſitum fuiſſet dubium,

An Epiſcopi vigore priuilegij, de quo in c. fin. de pœnit. & remiſſ. poſſunt ſibi eligere in confeſſarium Sacerdotem eius non ſubditum, qui à proprio ordinario non fuerit adhuc ad formam cap. 15. ſeſſ. 23. admiſſus, ſeu approbatus ad audiendam cõfeſſiones, eligere potuiſſent, fruſtra nunc quærebatur, an hodie eis liceat ſibi eligere in cõfeſſarium ſacerdotem, qui non habeat ea, quæ præſcribuntur à Cõcilio Tridentino in d. c. 15. ſeſſ. 23.

Et ante Concilium id non licuiſſe affirmant glo. in c. omnis in verb. alieno de pœnit. & remiſſ. glo. in Clem. 1. verſ. ſpeciali de priuil. Panorm. in c. ſignificaſti in fin. n. 1. de for. comp. & in c. omnis nu. 14. & c. fin. de pœnit. & remiſſ. Archid. in c. porrectis nu. 17. diſtinc. 25. Paced. de Alazar. in Clem. de priuil. & ibidem Io. de Imol. num. 17. & Card. Zabarell. dec. 15. Cepol. Toloſ. 222. & ibi Stepha. Aufred. teſtatur de communi Canoniſtarum. Panorm. in Clem. dudum de ſepul. teſtatur de communi, licet ipſe communem opinionem non ſequatur.

Confirmatur etiam hæc opinio ratione, nam non eſt præſumendum Romanum Pontificem vigore dicti Priuilegij velle omnes Sacerdotes etiam imperitos in confeſſarios approbare, cum in generali conceſſione non contineantur ea, quæ in ſpecie Romanus Pontifex non eſſet conceſſurus, c. ſi Epiſcopus de pœnit. lib. 6.

Contrariam opinionem tenent Hoſtien. in ſumma de pœnit. verſ. cui confiteri nu. 14. Panorm. in Clem. dudum de ſepult. Collectores in c. omnis nu. 26. de pœn. & remiſſ. Steph. Aufrer. in add. ad Cappillam, Tholoſ. deciſ. 222. aſſerit hanc opinionem communiter obſeruari. Alcia. in c. placuit nu. 53. de pœnitentia diſtinct. 6. Ant. 3. par. tit. 17. cap. 9. Ang. in ver. confeſſio q. 13. verſ. 4. Silueſt. ver. confeſſor q. 1. Adria. in 4. de conf. ſſ. dubio 1. poſt nu. 5.[mo] ait vigore facultatis eligendi confeſſorẽ idoneum indifferẽter quæcunq; ſacerdotem adiri poſſe. Gabr. diſt. 17. q. 2. dub. 5. Palud. diſt. 17. q. 3. ar. 4. Canoniſtæ in ſumma verb. abſolutio. Theol. in 4. d. 18. Franc. à Vict. in ſum. ſacramentorum q. 15.

Pro hac etiam opinione non deſunt rationes, primò, quia

ad abſolutionem ſacramentalem duo requiruntur, poteſtas ordinis, & poteſtas iuriſdictionis; poteſtatem ordinis, quilibet ſacerdos accipit in ſua ordinatione, vt in extrauag. Io. 22. poteſtatem iuriſdictionis nanciſcitur ex officio paſtorali, ſi ſit ordinaria; vel delegata ex cõmiſſione, & ex priuilegio, etiam ipſimet pœnitenti conceſſo, quo datur ei poteſtas ſe ſubijciendi, cui voluerit; cũ itaq; in ſacerdote, & ex vigore priuilegij nihil deſit, licet à ſuo ſuperiore non ſit expoſitus ad confeſſiones audiendas, poterit ſeruire in hoc ipſi Epiſcopo. Secundo confirmatur hæc opinio ex cap. omnis de pœnit. & remiſſ. vbi, qui vult alteri confiteri, debet licẽtiam à parocho petere; ſed Epiſcopi vigore priuilegij, de quo in d. cap. fin. de pœnit. habent huiuſmodi licentiã, ergo poterunt alteri, quàm à probato confiteri, poſtremo probatur ex priuilegio Epiſcopis conceſſo, quo illis tribuitur facultas ſine ſui ſuperioris licentia eligendi prouidum, & idoneum confeſſorem, ſatis igitur erit ſi Sacerdos eligẽdus ſit diſcretus, & prouidus, non autem eſt neceſſe, vt habeat parochiale beneficium, vel quòd ſit expoſitus ad confeſſiones audiendas, nam ſi hoc voluiſſet Gregorius Nonus vtiq; expreſſiſſet, nec oportuiſſet addere verba illa, prouidum, & diſcretum, cum nulli cõmittatur animarum cura, qui non ſit prouidus, & diſcretus. c. cum in cunctis. §. inferiora. de elect. & poſſit quis eſſe prouidus, & diſcretus, quamuis parochiã non habeat, nec dum ſit approbatus ad confeſſiones audiẽdas; ne itaq; priuilegijs verba ſit otioſa. Pariſ. conſ. 12. n. 182. & 183. dicendũ eſt propoſita verba ideò appoſita fuiſſe, vt indicarent in eligentis Epiſcopi arbitrio eſſe facultatem eligendi quemcunq; Sacerdotem.

Nec obſtat ratio pro prima opinione, quia quilibet electus ad aliquod officium præſumitur idoneus ad illud. Alciat. in tract. de præſumpt. reg. 3. præſumpt. 19. Pariſ. conſ. 150. nu. 14. quare Sacerdos vigore priuilegij electus in confeſſarium ad illud munus idoneus præſumitur.

His itaq; à decem Cardinalibus, qui in dicta congregatione interfuerunt, ritè perpenſis quinque ex illis exiſtimarunt hodie quoq; non eſſe neceſſarium Epiſcopis eligere Sacerdotem approbatum ex d. cap. 15. ſeſſ. 23. cum ibi Concil. Trid.

men-

mentionē tantum faciat de Sacerdotibus regularibus; quorum approbatione nimium ſibi odioſa à ſuis ſuperioribus facta, Epiſcopi non continentur. Panorm. in c. non poteſt. nu. 3. de re iudic.

Non obſtat clauſula priuilegiorum derogatiua in d. c. 15. appoſita, quia per derogationem priuilegiorum non cenſetur derogatum priuilegijs clauſis in corpore iuris. Dec. conſil. 165. num. 4.

Minus obſtat, quod tradit Franciſcus à Victoria in ſumm. ſacram. q. 155. cum illius ſententia, nec authoritate, nec ratione fulciatur.

Reliqui verò Cardinales conſiderantes, quod ex d. Decreto Concil. Tridon. Sacerdos non approbatus redditur inhabilis ad confeſſiones audiendas, opinati ſunt hodie Epiſcopis vigore priuilegij Sacerdotes ſibi non ſubditos, non approbatos non poſſe aſſumere ad illud munus ſine approbatione. Cum itaq; hincinde Cardinalium fuerint pares ſententiæ, conſultus Romanus Pontifex reſpondit in deciſione huius dubij, tutius eſſe adhærere Decreto Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 15.

LIBER SECVNDVS

DE EPISCOPIS.

VARII ſunt gradus ſacerdotij & ſi vnus ſit ſacerdotij ordo, qui varios habet dignitatis & poteſtatis gradus, quorum primus eſt eorũ, qui Sacerdotes ſimpliciter vocãtur, de quo, quia in quarto libro multa dicturi ſumus in hoc ſecundo libro agemus de ſecũdo gradu, qui eſt Epiſcoporũ eorũ videlicet, qui ſingulis epiſcopatibus præpoſiti ſunt, vt non ſolũ cæteros Eccleſiæ miniſtros, ſed fidelem populum regant, & eorum ſaluti ſumma cum vigilantia, & cura proſpiciant: quare in ſacris litteris paſtores non ſæpius appellantur, ſed etiam Pontifices accepto ab Ethnicis nomine, qui principes ſacerdotum Pontifices appellare conſueuerunt. *Dicuntur ſpeculatores*, quia propterea ex inſtitutione Clementis Primi Cathedra, ſiue locus in Eccleſia altior cæteris collocantur, vt ſuperintendant, & populum cuſtodiant, omneſq; conſpiciãt, & ab omnibus videantur. Faldiſtorium autem, ſuper quo orantes procumbunt, & ſedent Epiſcopi ſpiritualem iuriſdictionem annexam pontificali deſignat; quam non niſi pro tribunali ſedentes exercere debent, iuxta illud Domini dicẽtis ſuper Cathedram Moyſi &c. Matth. cap. 23. Scabellum verò temporalem poteſtatem deſignat, quæ ſpirituali ſubijci debet. Dicuntur Præſules, quoniam in concilio præſident: Dicuntur Antiſtites, quia ante alios ſtantes præeminẽt populo; vel ab anti, quod eſt contra, vt Hæreticis contradicant, vt paſtores lupis.

Quare cum Epus, & animarum cura curator futurus ſit dux populi, & anteſignanus ſpiritualis aduerſus huiuſmodi principes, idcirco boni paſtoris officium erit, vt ſit ſanctus, prudens, diligens, fortis, & ſapiens; ex his enim virtutibus velu-

ti ex fontibus cætera virtutum officia, quæ in eo requiruntur, emanant? De quibus vt ordine diſſeramus, primo loco ſeſe offert ſanctitas, quod ex verbis Domini ſatis apertè colligere poſſumus, qui cum de meritis eligendi Paſtoris ageret vnam cæteris prætermiſſis exigit charitatem; Vbi enim charitas, ibi & ſanctitas omnis, ac vitæ puritas eſt; adeo vt quantum quiſque habeat charitatis, tantundem habeat & virtutis; Nam vt Diuus Bernardus docet ſuper Cantic. Quantitas vniuſcuiuſque animæ æſtimantur ex menſura charitatis, quam habet, dicente Apoſtolo pri. Corinth. 13. Si charitatem non habuero nihil ſum: de qua Concil. Trident. ita monet Epiſcopos. Nihil eſt (inquit) quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui ſe diuino cultui dedicarunt. Hæc ſanctitatis præſtantia facilè colligitur ex ſtatu, nomine, & officio Epiſcoporum, ex ſtatu, quia in perfectiſſimo Eccleſiæ ordine conſtituti ſunt; Apoſtolorum.n. ſucceſſores ſunt, quos in ſummo Eccleſiæ cardine poſitos eſſe conſpicimus. Sicut.n. diuina prouidentia factum eſt, vt ſicuti corpora cœleſtia, quæ cæteris corporibus regendis propoſita ſunt; tantum alijs pulchritudine, nobilitate, & diuturnitate, quantum officio excellunt, ita neceſſe eſt, vt qui in Eccleſia cæteris hominibus regendis præficiuntur, quantum eos ſuperant honore, tantum vitæ probitate præcellant. Paſtores.n. eos Dominus appellauit, quibus paſcendi oues ſuas officium in Petro committit. Tantum ergo (inquit D. Gregorius) in paſtor, debet actionem populi actio tranſcendere præſulis, quantum diſtare ſolet à grege vita paſtoris: Horum.n. paſtorũ munus eſt Deo cooperari ad animarum ſalutem, dum aut malos reuocare à malis, aut bonos reddere ſtudent meliores. Qua ergo ſanctitate pollere debet, qui ſua ſanctitate alios efficere ſanctos voluerit? Sal etenim, qui cætera condire ſolet, ſalſiſſimus eſt, & ignem, qui corpora frigida calefacit, calidiſſimum eſſe oportet; ita qui alios efficere ſanctos voluerit, ſanctiſſimus ſit neceſſe eſt. Quæ cum ita ſint, cum Epiſcopus tot nominibus ſanctitates vitæ cæteros debeat anteire, quid magis indignũ, quàm in tam inſigni dignitate viles, & vulgares mores deprehendi?

hendi? hoc enim illud eſt, quod in Leuitico cap. 21. prohibuit Dominus, cum iuſſit ne ſummus Sacerdos ſcortum duceret in vxorem; is enim ſcortum ducere dicitur, qui communem omnium vitam, & populi mores conſectatur; Nam ſcortum communis eſt vxor; quare indignum certè quidem eſt, vt eius ſit vita communis, cuius eſt dignitas ſingularis. Monſtruoſa, inquit D. Bernardus ad Eugenium, res eſt gradus ſummus, & animus infimus; ſedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otioſa, ſermo multus, & fructus nullus, vultus grauis, & actus leuis, caput canũ, & cor vanum, ingens auctoritas, mutans ſtabilitas; quod etiam vir ſanctus tractans illud prouerbiorum 25. Cœlum ſurſum, & terra deorſum dicit: Negligentia Prælatorum hanc confuſionem induxit, vt in illis ſit terra ſurſum, & cœlum deorſum pedes ſupra, caput infra, facies retro, & interiora exterius effuſa ſunt, Deus ibi conculcatur, & terra deficiatur; diabolus honorificè recipitur, Deus verò contumelioſè repellitur, quę quidem portenta, ita à viro ſancto exponuntur: terra, inquit, ſurſum eſt, & cœlum deorſum, vbi terrena cœleſtibus, & ima ſummis præponuntur; pedes ſunt ſupra caput, vbi viri ſpirituales deſpiciuntur, homines verò terrena ſapientes in honore habentur, facies eſt retro, cum in operibus, quæ videntur bona, vtilitas terrena potius, quàm merces æterna requiritur, interiora effuſa ſunt, cum bona interna animi negliguntur, & exteriora, & quæ ſunt corporis diliguntur, Deus conculcatur, & terra deficiatur, vbi deficit charitas, & regnat cupiditas. Diabolus honoratur, & Deus contumelijs afficitur, vbi raptores, & vſurarij cum honore recipiuntur, & pauperes negliguntur; quæ omnia monſtra ex vnius paſtoris vita deformi oriuntur. Nec mirum eſt, quia quemadmodum ſi primus Motor cœleſtium orbium à ſolito curſu aberraret omnia neceſſario, quæ in hoc inferiori mundo ſunt, perturbarentur: Ita cũ Epiſcopus ſit velut prima cauſa, primusq; motor omniũ, quæ in Dei Eccleſia ſunt, vitium quod in eo eſt, vt per omnia eccleſiaſtici corporis membra, diffundatur, totq; animarum naufragia fiant, neceſſe eſt; ex quibus omnibus apertè colligitur, quàm ſit neceſſaria in magiſtris ſanctitatis vitæ probitas;

tas: Hanc ſanctitatem ſequitur prudentia, quæ & ipſius charitatis, & omnium virtutum auriga eſt. Ad hanc enim ſpectat virtutes omnes dirigere, mediumq; in eis definire, & ipſius charitatis feruorem, ne in furorem degeneret, velut fręno quodam coercere. Hæc virtus omnibus, ſed præſertim principibus maximè neceſſaria eſt. Ad Principem enim ſpectat homines ipſos conuenientibus medijs in ſuos fines dirigerę: vnde quemadmodum natura ipſa corporibus animãtium oculos dedit, quibus cætera corporis membra certa ratione dirigerentur; ita in corpore Reipublicæ Princeps, & in Eccleſia Epiſcopus inſtar oculorum eſſe cernuntur, qui cætera eccleſiaſtici corporis membra ad certiſſimam diuinæ legis normam debent dirigere. Speculatorem.n.vocat Dominus Epiſcopum cum dicit; Fili hominis ſpeculatorē dedi te Domui Iſrael &c. Ezechiel 3. Eſt nanque virtus hæc adeo Principibus neceſſaria, vt eadem in libris Prouerbiorum cap. 8. de ſeipſa dicat, Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Vnde meritò D.Gregorius in Paſtor: aduerſus eos, qui huius virtutis præſidio ſunt deſtituti, paſtoris officium inuadunt ſic ait, Nulla res doceri præſumitur, niſi intẽta prius meditatione diſcatur. Ab imperitis ergo paſtorale magiſterium qua temeritate ſuſcipitur, quando ars eſt artium regimen animarum? Quid enim ex hoc conſequi neceſſe eſt, niſi quod à Domino dictum eſt, Matth. 15. Cœci ſunt, & duces cœcorum.

Poſt prudentiam ſequitur diligentia in rebus agendis, & pia paſtoralis curę ſollicitudo, quę eſt veluti ſtimulus quidam rerum gerendarũ, quæ adeò paſtoribus neceſſaria eſt, vt Apoſtolus officia ſingulis Eccleſiæ gradibus conuenientia diſtribuens, paſtori tribuit ſollicitudinem, his verbis; Qui præeſt in ſollicitudine, ad Rom. 12. Vnde ſicuti non eſt ſatis Dei legem audire, niſi quæ lex præceperit exequaris; ita non ſatis eſt ſi prudentiam habeas, qua agenda diſcernas, niſi diligentiam adhibeas, qua decreta perficias.

Sed quia prudentia ſæpè decernit ardua quædam propter virtutẽ eſſe aggredienda, manuq; ad fortia mittendam; propterea prudentiæ omnes, fortitudo neceſſaria eſt; ſæpe enim

Eccleſiæ iura ab iniurioſis defendenda, ſæpè amiſſa bona recuperanda, permulta quoque potentibus viris, quæ iniuſtè exigunt neganda; multorum vitia obiurganda; immò ſæpè his temporibus cum hæreticis, & hæreticorum fautoribus eſt decertandum. Ad quod præſtandum, neque ſola ſufficit prudentia, neque putes habere vires diligentia, ſi fortitudinis præſidio ſit deſtitutus, quod ſapiens affirmauit his verbis; Noli quærere fieri iudex, niſi virtute valeas diſrumpere iniquitates Eccleſ. 7. Præterea ſi ad Epiſcopum pertinet alios erudire, quomodo id, ſi doctrina careat, poterit efficere? Sicuti .n. fieri non poteſt, vt Sol obſcurus ſit, & oppreſſus caligine, mũdum illuminet; ita neque Doctoris munere perfungi poterit, qui ignorantiæ tenebris fuerit inuolutus: hoc etenim Dominus voluit indicare, cum dixit; Si lumen, quod in te eſt tenebræ ſint, ipſæ tenebræ quãtæ erunt? Matth. 6. Quare Epiſcopo valde neceſſaria eſt ſcientia, quæ ipſam prudentiam dirigat in agendo. Prudentia enim, & ſcientia duo ſunt velut oculi, quibus humana vita dirigitur, & illuſtratur: nam vt ager, quamuis natura ferax, ſine cultura tamen fructuoſus eſſe non poteſt; ſic neque ſine doctrina animus: quid præterea in officio paſtorali eſt, quòd ſcientiæ luce, & ſplendore non egeat? ad iudicanda enim dogmata fidei, ad lites Eccleſiæ dirimendas, ad populum inſtituendum, ac denique ad diſcernendum inter lepram, & non lepram, ita ſcientia neceſſaria eſt, vt ſine illa nihil magis poterit definire, quàm ſine oculis caput vellet de coloribus iudicare. Epiſcopus Græca vox eſt ab Epi, quod eſt ſupra, & ſcopos, quod ſonat intentionem compoſita; quare Epos ſuperintendẽtes rectè poteris appellare, quod illis, quibus præficiuntur, ſuperintendãt. Epiſcopus igitur nomen eſt operis, non honoris, vt intelligat non eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit non prodeſſe. c. qui epiſcopatum. 8. q. 1. & qui quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, mercenarij ſunt, non paſtores.

Epiſcopi igitur à Romano Pontifice ſunt promouẽdi præhabito de illis perdiligentem inquiſitionem examine, iuxta formam in prouincialibus Synodis præſcribendam, vt ſeſ. 24. Concil. Trid. c. quoniam. de promou. Epiſcopis.

Epiſcopi ſunt presbyteri ſuperiores, & ad eos pertinet miniſtrorum Eccleſiæ ordinatio, confirmationis collatio, & Eccleſiam Dei regere; & qui contrarium dixerit, excommunicatur. ſeſſ. 23. c. quoniam. Rubrica de ordin. c. ſi quis.

Epiſcopi tenentur ſe ſuo muneri conformes reddere. ſeſſ. 25. c. optandum.

Epiſcopi tam in choro, quàm in proceſſionibus, capitulo, & in alijs locis, & actibus primum locum, quem ſibi elegerint, & præcipuam rerum gerendarum auctoritatem habere debent, ſeſſ. 25. c. epiſcopis. de dignitate prælatorum.

Epiſcoporum officium eſt Baſilicas conſecrare, Altaria vngere, Criſma conficere, Ordines conferre, Virgines benedicere. c. perfectus. § ad epiſcopum. 25. d. & c. quamuis. 68. diſt. ſed eorum principalis dignitas in eo ſita eſt, quòd locum tenent Apoſtolorum. c. car. epiſcopi. & c. quorum vices. 68. diſt. ex Damaſo Papa, & Vrbano: quod etiam D. Auguſt. in pſal. 44. ſic exponens, dicit: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij; patres, inquit, fuerunt Apoſtoli, filij ſunt Epiſcopi: & propterea ſummus Rom. Pōt. vocat Epiſcopos fratres, & Cardinales, qui nō ſunt Epiſcopi vocat filios, vt patet in multis locis, & præcipuè in textu in c. dilecto filio de ſupplen. neglig. prælat. & in c. in pſentia. de ꝓbat. § dilectus filius. & in c. licet. 3. de teſtibus. & in extrauag. 1. de empt. & vendit. in cōibus. Cœtus verò Cardinaliū, qui ſunt ſex Epiſcopi, Cardinales oēs vocantur fratres, vt in c. Geneſi, & c. Eccleſia. in fin. capitulorum. de elect. qui ſex epiſcopi ſunt, Hoſtienſis, Portuenſis, ſiue ſanctæ Rufinæ, Sabinenſis, Tuſculanenſis, Praeneſtinus, & Albanenſis; qui epiſcopi, ſicut & alij omnes dicuntur Reuerendiſſimi, quia hoc titulo eos nominauit Iuſtinianus in pluribus locis, & conſtitutionib. & habetur l. ſi quis, & l. cum lege, C. de epiſcop. & cleric. ibi diſcutiendo à viro Reuerēdiſſimo, locorum Antiſtiti, & cum legē Lodnina, viris Reuerendiſſimis epiſcopis; & Gregorius Papa in c. prælatum. 88. diſt. vocat epiſcopum Reuerendiſſimū fratrem. Epiſcopus itaque ſuperintendens, vel ſpeculator interpretatur, qui pro viribus curare debet, ne quis culpa ſua de Eccleſia pereat; fruſtra nāque laborat præpoſitus, qui munus ſuum probè adminiſtrās,

 omni-

omnibus gratus eſſe, omnibusq; probari ſe poſſe deſiderat; Quis.n. inter Reges Dauide, aut ſanctior, aut iuſtior, aut animoſior, aut prudentior? tamen toto corde vniuerſus Iſrael Abſalonē aduerſus patrem cōiurantem ſequebatur. 2. Reg. 16. Quis verò Moyſi in illa virtutis laude poterit comparari? quem Dominus fideliſſimum in omni domo ſua prædicauit, qui inter cæteras virtutes manſuetudine cūctos homines ſuperauit? Sed quoties aduerſus illum rebellis populus cōſurrexit? quoties lapidibus obrutus eſſet, niſi fuga ſalutem quæſiuiſſet? nec rude tantum vulgus aduerſus eum concitatus eſt, ſed in ſeditione Core. 250. proceres ſinagogæ cum illo aduerſus Moyſem conſpirarunt. Quid de Chriſto Domino referam? qui Diſcipulos ſuos ita his verbis præmonuit, Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis. Non eſt Diſcipulus (inquit) ſupra Magiſtrum: Matth. 10. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si ſermonem meum ſeruauerunt, hoc eſt inſidiando, & veſtrum ſeruabunt: Non moueant igitur illum conuitia perditorum, quo à certa regula deflectere videatur epiſcopus, quam Paulus Apoſtolus inſtituit, dicēs; Si hominibus placere, Chriſti ſeruus non eſſem; ad Galat. 1. quod vt iam dictum eſt ad virtutem fortitudinis ſpectare cognoſcimus. Quapropter cum munus epiſcoporum, & regimen animarum ſit onus maximum, etiam Angelicis humeris formidandū, ita vt potiore iure, quam Iſraelitici populi ductor, & cuſtos clamare ad Dominum poſſint, Cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi ſuper me? Geneſi 26. Meminerint propterea, integritatem præſidentium, ſalutem operari ſubditorum; videantq; quomodo ſedeant, & ne vacuum nomen epiſcopi teneant; non enim ſunt ſanctorum filij, qui tenent, & occupant loca ſanctorum, ſed qui eorum opera ſtudioſè exercent, & imitantur, c. non eſt. diſt. 40. ſciantq; non cathedrā facere epiſcopum, ſed epiſcopum cathedrā; non locum item ſanctificare epiſcopum, ſed epiſcopum locum; Qui benè ſedet ſuper cathedram, honorem accipit cathedra, qui verò malè, iniuriam facit cathedræ; Et nouerint non illum, qui maiori fuerit dignitate inter homines eſſe propterea iuſtiorem, ſed illum, qui fuerit iuſtior, eſſe meliorem, & maiorem; is enim

inter eos, quibus pleraq; omnia ſunt æqualia excellere põt, qui reliquis eſt virtute ſuperior. c. fin. 40. diſt.

Caueat item Epiſcopus ne peccatis aliorum communicet, vt idoneos repellendo minus dignos, & minus vtiles eccleſiæ promoueat, ſed quos in Domino digniores, & eccleſiæ vtiliores iudicauerit, nec præcibus, nec humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus moueatur; ſed eos tantum curet maximè ad eccleſiæ regimen eligendos, qui digni fuerint, quorumq; prior vita, omniſq; ætas à puerilibus exordijs vſque ad perfectiores annos per diſciplinæ ſtipendia eccleſiaſticæ laudabiliter acta teſtimonium præbeat, ſecundum venerabiles beatorum patrum ſanctiones aſſumantur, vt in cap. 1. ſeſſ. 6. ſancta Tridentina Synodus decernit, & iubet. Curetq; ea omnia præmanibus, ac præoculis ſemper habere, & obſeruare, quæ ſibi conceduntur, prohibentur, ſeu præcipiuntur in Concilio Tridentino; ex quibus multa huc referenda curauimus, ex ſingulis ſeſſionibus excerpta, prout in ipſo Concilio videre licebit. Noſce.n. debet Epiſcopus, non ſolum in doctrina ea, quæ de morib. eſt, generales canones, & niſi ad ſpecialia deſcendas, parum eſſe vtiles; non enim tantarũ rerum momenta, quibus animarum cura, & ſalus continetur, fine maximarum virtutũ officij ſuſtentari poſſunt; inter quæ principem ſibi locum vindicat munus concionandi, & populum inſtituendi, quo mentes hominũ, denſiſſimis ignorantiæ tenebris oppreſſas, illuminare, ac diuinis legib. informare poſſit. Quemadmodum.n. in cœleſti Hierarchia, ſuperiores Angeli inferiores illuminant; ita in eccleſiaſtica epiſcopi, qui in ſupremo eccleſiæ cardine conſtituti ſunt, cæteros diuinis & humanis legibus informare debẽt, populumq; ſibi commiſſum à vitijs ad virtutem vocare, & tanquam dominici gregis canes, & cuſtodes aduerſus lupos, ac funeſta perditorum vitia oblatrare debent. Ad quod munus, quaſi vinculo aſtringantur epiſcopi ex 33. Ezechielis capite apertiſſima ſimilitudinẽ ab ipſo Deo demonſtratum eſt; & 34. capite de malis paſtoribus conqueritur Deus. Paſcat ergo verbo, paſcat & exemplo Epiſcopus oues ſuas; nam exemplis magis mouentur homines, quàm verbis: loqui certè quidem facilè eſt, at præſta-

re

re, difficile; eũ(inquit Seneca) Doctorem elige, quem magis admireris, cũ videris, quã cũ audieris, cuius vita, & conuerſatio talis ſit, vt oẽs motus & greſſus, atq; vniuerſa illius opera notabilia ſint, ita vt quicquid agit, quicquid loquitur, doctrina ſit populorũ: ſic enim (inquit Chriſtus) luceat lux veſtra corã hominibus, vt videant opera veſtra bona &c. Matt. 5.

Inuigilet præterea Epiſcopus ſuper gregẽ ſibi commiſſum, eumq; ſtudioſè quærat, cognoſcat, ac viſitet, eorũ morbis, ſi quos habet, medeatur, pericula, pabula, cuſtodes intelligat, & de omnibus, quæ illi neceſſaria iudicabit, accuratè prouideat. Bonus.n.paſtor proprias oues nominatim vocat, ante eas vadit, Ioan. 10. & ita omnibus quaſi ſingulis, & ita ſingulis quaſi omnibus intendit: quod Dominus per Ezechielem cap. 34. ſatis apertè oſtendit, cum dixit. Ecce ego ipſe requiram oues meas, & viſitabo eas, ſicuti viſitat paſtor gregem ſuum &c. Quod quidem munus viſitandi, maxima æquitate, & prudentia ſibi eſt exequendũ: nam viſitans Epiſcopus gregem ſuum, illius mores exquirit, Baſilicas reparat, diſſidia componit, concubinarios caſtigat, ludos legibus prohibitos propulſare conatur, bonos viros fouet, malos corripit, inopes ſubleuat, vitia publica eliminat, & morbidas oues, ne ſuo contagio cæteras inficiant, à reliquo grege ſeparare contendit. Et cum multa in viſitationibus occurrant, quæ epiſcopi auctoritatem, dignitatem, & poteſtatem requirunt, quibus nullo modo deeſſe debet, cum id ſibi ex officio præſtandũ ſuperſit: modum hic, ac veluti inſtructionem quandam viſitandi, non ab re cenſuimus, conſcribendam, quæ ſibi tanquam regula inſeruire poterit, vt facilius ſuo viſitandi munere fungatur epiſcopus.

Inſtructio viſitationis.

PRimò nanque loco videtur Synodus Diœceſana inſtituẽda, qua antiqui Canones Diœceſani confirmentur; & ſi quid pro temporis, & morum exigentia fuerit antiquandum, vel addendũ, id fiat conſultè, de qua re licebit videre Conciliũ Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. de reform. ſeſſ. 25. cap. 2. cap. cogit.

In Synodo autem primaria ratio eſt habenda hæreſum, & prouidendum, vt eccleſia in puritate, ſinceritate fidei orthodoxæ conſeruetur, & confirmetur. Nihil verò agatur de dogmatibus, quaſi velit de his ſtatuere (quod eſt ſummi Pontificis, & Concilij generalis) ſed ſimpliciter edita legitimè ſuſcipiat.

Peracta Synodo, viſitatio generalis eſt inſtituenda, præſertim ex præſcripto canonum diœceſanorum, & aliorum, qui ad hunc finem conducere videbuntur.

De officio Inquiſitoris fidei nihil dicimus, quandoquidem ſunt in eo Iudices conſtituti Apoſtolica authoritate, qui pari iure in illo verſantur; nihilominus erit epiſcopi animaduertere, quando neceſſitas illud exigat, & ſi Inquiſitores in aliquo deficiant, erit ad ſummum Pontificem referendum.

Epiſcopus tenetur ſingulis annis Diœceſanos viſitare, vt habetur 10. q. 5. Decreuimus. & in Conc. Trident. ſeſſ. 24. c. 3. & Archiep. Floręt. in ſumma par. 3. tit. 20. cap. 5. cum reliquis ſummiſtis, Verbo Viſitatio, multa refert in hanc ſententiam.

Prælatus viſitaturus ſuam Diœceſim debet excipi debita ſolennitate in omnibus locis, de qua re licebit legere Martinum de Irias in principio ſui libelli de ordine viſitandi Eccleſiam, & Praxim Pauli Salodij de viſitatione, in qua multa habentur, quæ ſi non omnibus ſaltem pluribus pro hoc munere exequendo, rectèq; obeundo prodeſſe poterunt.

Cum primum venerit Prælatus, ſeu Viſitator in Vrbem, aut Oppidum, de quo inſtituẽda eſt Viſitatio, publico edicto præcipiatur omnibus ſub pęna excommunicationis deferre ad Prælatum publica peccata, ſcandala, ac reliquos abuſus pertinentes ad eccleſiaſticam iuriſdictionem. Sciat primo qui nam exempti ſunt, eos diligẽter inquirat an rectè à ſuis Prælatis gubernentur, quod ſi nullo pacto emendari velint, ad Sanctiſſimũ P. N. referat, in quo tamen caſu poſſit illos corrigere: lege Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 8. inſtituatur viſitatio generalis ex ſequẽti formula per idoneos miniſtros ſingulos ſingularum regionum, ſiue partium Vrbis, quibus etiam diuidatur diſtrictus: ex relatione Viſitatorum poterit inſtitui re-

formatio, & ſi expedire videretur, iiſdem ipſis Viſitatoribus committi exequenda.

Inſtituantur obſeruatores per ſingulas regiones, ſiue parochias viri probati, qui referant ad Commiſſarios regionum, ſiue ad ipſum Epiſcopũ, ſi quid ex forma viſitationis, & reformationis non obſeruetur, vt ij poſſint ad Prælatum, ſiue eius Vicarium referre, vel etiam iuxta acceptã facultatem emendare, ſi quid fuerit emendandum.

Viſitatio generalis verſabitur primo circa perſonam ipſius Prælati, ſeu Viſitatoris.

Secundo, circa clericos omnes, tàm ſimplices, quàm curatos, & circa curam illorum, vbi de confeſſario, & concionatore aliqua ſubijciemus.

Tertio, verſabitur circa res eccleſiaſticas omnes.

Quarto, circa Monaſteria, tàm Monialium, quàm Monacorum, quæ Epiſcopo ſunt ſubiecta: Reliqua curabit viſitari à ſuis prælatis, & reformari, ſi reformatione indigebunt.

Quinto, circa Hoſpitalia.

Sexto, circa ſcholas, pedagia, & qui illis præſunt.

Septimo, circa Oratoria, & Congregationes, quæ ex pietate, & deuotione potiſſimum ſecularium ſolent inſtitui; tùm etiam circa miniſtros prælati, quales ſunt Iudices, Notarij, & id genus alij.

Octauo, circa Meretrices.

Nono, circa Hæbreos.

Decimo, & vltimo aliqua annotabuntur circa populum, de quibus ſuis in locis dicemus.

Hæc quæ hactenus recenſuimus ad iuriſdictionem eccleſiaſticam, & curam epiſcopalem vnitè, atque immediatè attinẽt, ſiue crimina ſpectes, ſiue perſonas.

Circa perſonam prælati, ſeu viſitatoris in primis exemplo prouocet, & ædificet omnes, & curet eſſe talis, qualis deſcribitur à D. Paulo in epiſtola ad Titum cap. 1. & ad Timot. cap. 3. Cuius etiam familia ſit morigerata, & religioſa.

Circa ſimplicem clericum hæc poterunt interrogari.

Primo, cuias ſit.

Secundo, quibus ſtudijs operam dederit, ſub quibus præceptoribus, & quantum in illis profecerit. Ter-

Digitized by Google

3. Quàmpridem ſit factus ſacerdos.

4. A quo ordine ſuſceperit.

5. Oſtendat titulos ſuæ promotionis.

6. Cuius licentia.

7. Ad quem titulum.

8. An abſque impedimento: Potiſſima enim impedimẽta ſunt hæc.

1. Si per ſimoniam propriam, vel alienam ſuſceperit ordines.

2. Si patiatur defectum natalium, & non fuit in eo diſpenſatus, de quo eſt c. 1. de filijs presbyterorum.

3. Si irregularis, ſolus Pontifex poterit diſpenſare; de quo lege Io. Andr. in c. 1. de Bigamia.

4. Si extra tempora, & ſine litteris dimiſſorijs: ipſo enim iure eſt ſuſpenſus; & ſi celebret eſt irregularis.

5. Si illegitima ætate; de quo vide Conc. Trident. ſeſſ. 24. per totum: Item vide Bullam Sixti Quinti editam contra clericos male promotos.

6. Si fuerit publicè pœnitens.

7. Si eodem die plures ſacros ordines ſuſcepit.

8. Si excommunicatus; de quo vide c. ſi celebrat. de clerico excommunicato.

9. Si defectum habeat notabilem, de quo eſt c. ſi euangelico 55.

10. Si laborat morbo caduco, de quo eſt c. maritũ 33. diſt.

11. Si furtiuè ordinem ſuſceperit; de quo lege c. innotuit de eo, qui ordinem furtiuè ſuſcepit.

12. Si per ſaltum, de quo eſt caput primum de clerico per ſaltum promoto, vide Bullam Sixti Quinti.

13. Si in ordine ommiſſa ſunt aliqua, quæ ſint de ſubſtãtia, vel de præcepto; vide Summiſtas verbo ordo.

14. Si in peccato mortali ſuſcepit ordines.

15. Si accepit ordines ignarus; de quo lege c. illitteratos 36. diſt. & extrauag. ſecundam de ſimonia; ſunt & alia impedimenta, de quibus alibi diximus, cum de peccatis clericorum quo ad ordines ageremus, cum de ſuſpenſione, & in officio examinatoris multa adnotauimus.

Quo ad mores hæc poterunt interrogari.

1. An ſit ſanæ doctrinæ.

2. Num ſciat aliquod peccatum commiſiſſe, de quo ſit infamia, vel ſcandalum.

3. Num ſit concubinarius, an apoſtata, aleator, vel vſurarius; de quo lege Toſtadum in ſuo lib. contra concubinarios ſacerdotes, & Concil. Trident. ſeſſ. 21. cap. 14.

4. An ſit blaſphemus, an frequenter iuret, & facile, & an ſit litigioſus, vel rixoſus.

5. Cum quibus hominibus conſuetudinem habeat.

6. Num familiaritatem habeat cum mulieribus, & cum illis ſimul cohabitet, etiam ſi nihil de eo audiatur, præterquã cum matre, & amita; de quo ſupra dictum eſt conditione ſeptima, lege diſt. 7. c. de cohab. cler. & mulier.

7. An frequentet monaſteria monialium ſine cauſa, lege c. monaſteria de vita, & honeſt. cleric.

8. Si incedat in habitu, & tonſura; de quo vide c. ſi quis de vita, & hon. cleric. & Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. & poſtremo Bullam Sixti Quinti.

9. Si vorax vino, & gulæ indulgeat, vel canponetur, vel ſit lanio; de quo lege Clem. de vita, & hon. cleric.

10. Si turpe lucrum ſectetur, aut mercaturam exerceat, & alia ſecularia negotia gerat; de quo lege cap. 2. ne cleric. vel monaci.

11. An exerceat officium Medici ſine facultate ſummi Pontificis; de quo vide c. tua de homicid. quamuis in vſum pauperum poſſit, vbi non ſequitur deformatio alicuis membri, vt vult Silu. verbo Medicus q. 2.

12. An benedicat menſam; de quo lege cap. non liceat 44. diſtinct.

13. Si ſolet noctu armatus, vel in triuijs ambulare.

14. Si perſonatus incedat, aut tales indecentes actus agat, vide c. nullis 44. diſt.

15. Si ludis prohibitis deditus fuerit, ſi interfuerit duello; lege c. 2. clerici de vita, & hon. cleric. & c. ſententiam ſanguinis. ne clerici, vel monaci, vide etiam Bullam Pij V.

16. Si abſtinuerit ſine rationabili cauſa à celebratione Miſ-

ſæ,

ſe, quamuis nullã habeant obligationem ſaltem ter, aut quater in anno feſtis principalibus; de quo lege ſanctum Tho. 3. par. q. 81. ar. 10. & Ricardum in 4. diſt. 13. ar. 2. q. 11.

17. Si clericus moriatur retinendo domi concubinam; de quo lege Doctores Theologos in 4. diſt. 9.

18. Si clericus concubinarius, aut fornicator celebrauerit, non prius facta pœnitentia, peccat mort. & eſt ſuſpenſus, & ſi celebrat, fit irregularis; de quo lege cap. ſi quis ſunt 81. diſt. & cap. 1. de ſent. & re iudic. lib. 6. quod dicendum eſt de Diacono, & Subdiacono. Vide c. ſi quis ead. diſt. 81.

19. Si tempore interdicti audiuerit diuina officia, & eo tempore celebrauerit, fit irregularis: Item videtur dicendum ſi celebrauerit ſcienter in Eccleſia polluta ſanguine, vel ſemine humano; de quo lege cap. is, qui in principio, & §. 1. de ſenten. excom. lib. 6. peccat quidem, ſed non eſt irregularis, vt notauimus inde peccatis clericorum ad mentem Nauarrij, vbi alia multa poterit Epiſcopus videre, quæ hic cõſultò omittimus, ne eadem repetamus: debet. n. prudens Viſitator ſcire multa hic dici, quæ non ſunt punienda niſi publicè pateant.

Notet præterea caſus, quibus eccleſia dicatur polluta, vel interdicta, quorum primus eſt, cum intra eccleſiã ſanguis cum iniuria effunditur, ſiue eccleſia fuerit conſecrata, ſiue non; de quo lege c. cum eccleſijs, de conſecr. diſt. 1. & cap. propoſuiſti de conſecr. Eccleſia. n. conſecrata debet iterum ab Epiſcopo benedici cum aqua benedicta. Sunt qui dicant per aquam ab Epiſcopo benedictam ab alio quouis Presbytero aſperſam ſuper locum pollutũ ſufficere; ſi autem non ſit cõſecrata, quiuis ſacerdos poteſt eam iterũ benedicere, de quo eſt aqua de conſecrat. Eccleſ.

2. Quando effunditur voluntariè ſemen hominis, intellige dummodo publicè illud ſciatur.

3. Cum ſepelitur aliquis excommunicatus, de quo lege c. conſuluiſti de conſecrat. Eccleſ.

4. Cum in eccleſia ſepelitur infidelis, quo caſu raduntur parietes Eccleſiæ; de quo vide in Decretis.

5. Cum eccleſia conſecratur, aut benedicetur per Epiſcopum publicè excommunicatum, de quo eſt arg. dicti c. conſuluiſti cum notatis à Panhorm.

6. Quando parietes eccleſiæ reficiuntur; de quo lege gloſ. in de conſecr. eccleſ. quamuis Nauarrus contrarium ſentiat in ſua ſumma c. 23. nu. 251. vbi notatum eſt, quoties eſt polluta, cęmeterium illi coniunctum iudicatur etiam pollutum; de quo lege Nauar. vbi ſupra.

Præter hæc, quæ dicta ſunt, poterit inquiri, an ſciat defectus, qui committi ſolét in adminiſtratione ſacramentorum, præſertim in faciendo ſacro, de quibus ſunt aliquæ Rubricæ in Miſſali nouo, & apud Summiſtas verbo Miſſa, de his agemus nos in quarto libro.

Nullus ex externis ſacerdotibus, vagis, & peregrinis Miſſam celebrare permittatur, niſi conſtet illum per litteras dimiſſorias ſui Ordinarij eſſe ſacerdotem, & probatæ vitæ, & ad hoc deputetur examinator, qui hæc omnia diligenter inquirat. Deceptus .n. certè fuit olim Vincentius Torſaninus Epiſcopus Arimini à quodam ſcelerato, & perditiſſimo viro, qui cum falsò affirmaſſet ſe eſſe ex Ieſuitarum familia trãſmiſſum in patriam recuperandæ ſanitatis gratia, inter alia facinora hoc maximum ſcelus cõmiſit, quòd cum nullum haberet ordinem eccleſiaſticum; auſus tamen eſt vir impudentiſſimus, & ſacrum facere, & multorũ confeſſiones audire, aliaq; multa facinora perpetrare, quia credulus nimis, & incautus Epiſcopus, cum non vidiſſet prius eius obedíẽtiam, & litteras dimiſſorias, quas ipſe mendax, & improbus non habebat, hæc omnia ſcelera perpetrandi occaſionem dedit.

Circa Parochum, aut alium Clericum habentem beneficium.

PRæter interrogationes ſuperiùs factas ſimplici ſacerdoti, poterit parochus interrogari alijs interrogationib⁹ magis illi conuenientibus.

Primò, an ante 14. annũ ſuæ ætatis obtinuerit beneficium eccleſiaſticum, etiam ſi initiatus ſit prima tonſura, & in minoribus ordinibus conſtitutus; de quo ſupra in primo libro, vide Concil. Triden. ſeſſ. 23. cap. 6.

2. A quo officium, ſiue beneficium acceperit, & quomodo, quaue conditione, vel ſtipendio.

3. An

3. An habeat Eccleſiam parochialem, & quam.

4. An ſciat, quod ſit officiũ parochi, quod verſatur in hoc, vt habeat immediatam curam animarum vnius Eccleſiæ ſub ſuo Epiſcopo, ſacramenta adminiſtrandi, populum inſtituendi in his, quæ neceſſario quiuis ſcire tenetur in officijs eccleſiaſticis celebrandis, & in rebus Eccleſiæ conſeruandis.

5. Interrogetur quot beneficia eccleſiaſtica habeat, & ſi plura, an ſint incompatibilia; de quo vide Concil. Trid. ſeſſ. 7. c. 3. & 4. & ſeſſ. 24. c. 17.

6. An plura habeat beneficia ſine diſpenſatione Summi Pont. de quo lege S. Thom. quol. 8. ar. 13. & quol. 9. ar. 15. & videndum eſt, an ſit benè diſpenſatus, an dixerit veritatem pro obtinenda diſpenſatione, ne aliquam cenſurã incurrerit.

7. An habeat verum titulum, an expeditas Bullas.

8. An reſideat in ſuo beneficio; de quo lege Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 1. & 2. de qua reſidentia diximus in libro primo.

9. An intra annum ſuſceperit ſacros ordines; de quo lege c. licet. & cap. non, de elect. lib. 6. & Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 11. 12. & 13. & an ante legitimã ætatem obtinuerit beneficiũ curatum ſine præuia diſpenſatione, quia ſic nulla eſſet collatio; de quo lege §. inferiora, & cap. cũ in cunctis de elect. Vide quoq; Bullam Sixti Quinti. Idem cenſendum eſt de eo, qui patitur defectum natalium, de quo eſt c. 1. & 2. de filijs presb. lib. 6. & Bulla Sixti Quinti.

10. Si per ſimoniam propriam, vel alienam obtinuerit beneficium, lege c. fin. de ſimonia.

In recitandis Horis Canonicis fatentur Doctores diuerſas fuiſſe conſuetudines Eccleſiæ, vt refert Petrus de Soto de Annexis ſacramento ordinis lect. 6. in finem, & tandem eo ventum eſt, vt officium ſit diſtributum in ſeptem Horas canonicas, & ad eas perſoluendas aſtricti ſunt ab ipſa eccleſia omnes in ſacris conſtituti, & habentes beneficia, non monachi profeſſi, de quo extat tit. de celebrat. Miſſ. in Decretalibus cap. 1. citat Concil. Agatenſe diſtinctè loquens de ſeptẽ Horis canonicis, de quibus & nos in libro quarto multa dicemus.

Innocentius etiam Tertius in cap. dolentes eodem titulo

dili-

diligenter præcepit. De ratione, & ſignificatione ſtatũ Horarum lege Hug. de ſancto Victore lib. de miſterijs eccleſiæ cap. 3. & 4. de quibus inferius lib. 4.

11. Si non recitauit quotidie Horas canon. non facit fructus ſuos, & pro rata tenetur reſtituere, de quo vide Concil. Lateranenſe ſub Leone Decimo ſeſſ. 9. cap. ſtatuimus, & declaratur à Conſtitutione Pij Quinti.

12. Si ignorat neceſſaria ad ſuum officium ſubeundum, tenetur illud relinquere; de quo lege cap. non eſt. q. 1.

13. Si temporibus, quibus debebat, non adminiſtrauerit ſacramenta confeſſionis, & Euchariſtiæ, de quo vide arg. cap. omnis vtriuſque de pœnitẽ. & remiſſ. etiam tempore peſtis; de quo lege Maiorem in 4. diſt. 13. q. vltima, & habetur in ſermone de fuga peſtis.

14. Si parochianus ex iuſta cauſa petierit facultatem eligẽdi alium confeſſarium idoneum, & non illi conceſſerit, vide S. Thom. in 4. diſt. 17. q. 3. ar. 3.

15. Si interfuerit alicui matrimonio clandeſtino, lege Cõcil. Triden. ſeſſ. 24. cap. 5. cum inibitio de cland. deſponſ.

16. Si benedixerit ſecundas nuptias, de quo lege c. 1. & cap. vir. de ſecundis nuptijs.

17. Si benedixerit ſponſis temporibus ab eccleſiã prohibitis ante carnalem copulam, vide c. cum oportet cum duobus ſequentibus 33. q. 4.

18. Si benedixerit ſponſis, inter quos erat impedimentum affinitatis, aut ſimile aliud, vide arg. c. 1. ad Rom. & cap. 12 de officio deleg.

19. Si non benedixerit ſponſis quando erat opus adhibendo diligentiam, vt ſacramentũ matrimonij ritè celebraretur.

20. Si adminiſtrauerit ſacramentum Euchariſtiæ infirmo, qui patiebatur vomitũ, vide Alexãdr. de Ales 4. parte tit. 13.

21. Si dederit eccleſiaſticam ſepulturam ei, qui in publico peccato ſit mortuus, vide c. quibus 13. q. 11.

22. Si eius negligentia aliquis parochianorum ſit mortuus ſine confeſſione, & cõmunione, vide Alex. de Ales vbi ſupra.

23. Si permiſerit vt in ſua eccleſia publicentur falſæ Indulgentiæ lucri gratia, vide c. cum ex eo de pœniten. & remiſſ. C. cum abuſ. eod. tit.

24. An

24. An omnibus diebus Dominicis, & feſtis celebrauerit vt tenetur, de quo eſt arg. cap. Miſſ. de conſecrat. diſt. prima, quamuis Sotus de iuſtitia, & iure lib. 9. q. 3. ar. primo, putet teneri, & ſatisfacere parochiæ celebrando quoties decenter poteſt.

25. Num officia eccleſiaſtica, ad quæ tenetur, celebret, ſiue ſint quotidiana; ſiue feſtis tantum diebus, ſiue ſolemnia, vt ſunt fontium conſecrationes candelarũ, ramorũ, & cinerum.

26. Num prompte adminiſtret ſacramentum baptiſmi, pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis, vocatus, & num ritè, & cum ædificatione hæc, & reliqua ſacramẽta miniſtret.

27. Num infirmos viſitet, vt ſciat qua diſpoſitione ſint conſcientiæ, præſertim ſi periclitarentur.

28. Num moribundos iuuerit.

29. An Doctrinam Chriſtianam doceat, & prius interrogetur num ipſe ſciat, hoc eſt, articulos fidei, præcepta decalogi, peccata capitalia, opera miſericordiæ, virtutes, & reliqua, ita vt pueros, & rudes homines poſſit docere.

30. An populo denunciet ieiunia, & feſta.

31. An habeat lumen perpetuum ante Sacramentum Euchariſtiæ.

32. An aquam benedictam.

33. An ſepulturas eccleſiaſticas ritè adminiſtret.

34. Num aliquid pro celebratione Miſſæ, & aliorum ſacramentorũ adminiſtratione exigat, vel paciſcatur quoquo pacto, quod ſpeciem habere poſſit ſimoniæ, aut auaritiæ.

An eijciat dæmones ſine facultate Ordinarij, & tũc vitetur omne genus ſuperſtitionis; de quo lege Alfonſum Toſtat. in Matth. cap. 8. 3. par. & cap. 17. 4. par. & queſt. Peregr. c. 3. quin. decadis, & deinceps vſq; in finẽ cap. 8. tertiæ decadis 4. 1. &c.

Publica peccata publicè arguat, ſi id magis expedire videatur, eaq; curet emendari, priuataq; familiari increpatione curet emendatione ſanari.

36. An paces inter ſua parochiæ homines conciliauerit in Chriſto. cap. ſtudendum, & cap. placuit, & cap. præcipimus diſt. 90.

37. An neglexerit inquirere ſi ſit aliquis in ſua parochia, qui

qui ſit malæ vitæ, aut ſuſpectæ doctrinæ, ita vt nullam, aut minimam videatur habere curam animarum.

38. Num dederit operam, vt ſemel in anno ſaltem confiteantur & communicent hi, qui ſunt ſub ipſius parochiæ cura, vide c. omnis vtriuſq; ſexus, & an notauerit, & detulerit eos, qui non fecerint.

39. Num pauperibus verecundis, tùm alijs (ſi quod in ſe est) procurauerit eleemoſynas iuxta cap. fratrem noſtrum, & cap. non ſatis, & cap. eſt probanda 28. diſt.

40. Num benè cognoſcat materias, & formas omnium ſacramentorum; num etiam cognoſcat diſcrimen inter eſſentialia, & cerimonialia in omnibus ſacramentis.

41. Interrogandus eſt præterea ſeparatim quomodo ipſe in audiendo confeſſiones interroget pœnitentem, & quam ab eo exigat præparationē, vt ritè quis confiteatur, & qualis requiratur attritio, ſeu contritio.

Item quando erit integra confeſſio, & quibus caſibus ſit iteranda.

42. An nouerit canones pœnitentiales, & quam habeat formulā abſoluendi à peccatis, & ab excommunicatione, & an prius abſoluat à peccatis, quàm ab excommunicatione, an è contra prius ab excommunicatione, quàm à peccatis, & quare id faciat; quas ſatisfactiones iniungere ſoleat, an æquè omnibus pœnitentibus.

43. An ſoleat vota commutare, & quando illa commutet.

44. An ſciat differentiam inter peccatum mortale, & veniale, quaſque circunſtantias teneatur pœnitens confiteri de neceſſitate; quas verò de congruitate.

45. An ſciat quam ſtrictè ſeruandum ſit ſigillum confeſſionis, & quænam cadant ſub ſigillo, de quo in quarto lib. plura habes, vbi etiam multa de ſcientia confeſſarij.

46. Quam frequenter ipſe confiteatur, & cui, & quæ præparatio ſit illi neceſſaria, vt Miſſam celebret, vel alia ſacramenta miniſtret, de quo lib. 4. requiritur.n.ad Miſſæ celebrationem, & ad ſumptionem Euchariſtiæ ſacramentalis confeſſio, ſi conſcius quis ſit peccati mortalis, & non deſit copia cōfeſſarij, quia ſi deſit, ſat erit contritio cum propoſito ſtatim confitendi.

47. Quòd

47. Quod officiũ recitet priuatim, & quomodo in eo recitãdo ſit inſtructus, & qua animi attentione, & deuotione illud dicat; de quo vide Summiſtas verbo horæ canonicæ, & præſertim Nauarrum de horis canonicis; de hoc fuſius in quarto libro dicetur.

48. An ſciat cantare, & officia eccleſiaſtica publicè celebrare.

49. An habeat libros, & quos habeat, inſpiciendum eſt, profani an ſint, an eccleſiaſtici, vtiles an inutiles, quia debet habere ſaltem Bibliam, Manipulum Curatorũ, Summam aliquam, Sacerdotale, & alios iuxta qualitatem perſonæ, & officij; an habeat libros ſpirituales, in quibus cum vacat occupari deberet; quomodo tempus quotidianum tranſigat, & ſimilia.

50. An litem forenſem proſequatur, vel cauſas agat pro ſe, vel pro alijs.

51. An ſciat feſta mobilia.

52. An ſciat ritè omnes ceremonias Miſſæ, quæ deberent eſſe vniformes in tota Diœceſi, iuxta noui Miſſalis ritum.

53. An congregationes caſuum conſcientiæ fiant; an ipſe illis interſit, & quoties in anno: an audiat lectiones caſuum conſcientiæ, & quoties in hebdomada; ſi legantur, ſin minus curet Epiſcopus, vt legantur, ſi id commodè fieri poterit, ſicut curabit etiã, vt ſaltem diebus feſtis concio habeatur, præſertim in præcipuis Eccleſijs.

54. Num ſciat caſus reſeruatos Epiſcopo, & Pontifici; vbi notandum, nomine caſus reſeruati, Pontifex nihil reſeruat niſi excommunicationem eccleſiaſticam; cenſuræ autem Papæ reſeruatæ recenſentur in Bulla Cœnæ Domini, & in iure communi: & ſi quos præterea ſummi Pontifices ſibi reſeruãt. Epiſcopo autem aliud eſt reſeruari excõmunicationes, aliud caſus excommunicationes reſeruatæ epiſcopo ſunt quinque; prima eſt, quæ incurritur per leuem clerici percuſſionem; ſecunda, quam fert epiſcopus, & ſibi reſeruat; tertia eſt, quæ eſt reſeruata Papæ, à qua in articulo mortis non poteſt abſoluere inferior epiſcopo aliquis, ſi tamen ſit copia epiſcopi; quarta, quæ incurritur propter communicationem in crimi-

ne; quinta eſt illa; à qua eſt quidem abſolutus in articulo mortis ab inferiori, & tamen ſi conualeſcat, debeat ſe praeſentare epiſcopo.

Caſus verò reſeruati epiſcopo ex communi Doctorum ſententia ſunt tres, primus eſt peccatū, propter quod incurritur irregularitas; ſecundus incendiū domorum, vel ſegetum &c. tertius eſt peccatum, cui imponitur publica pœnitentia.

Caſus autem reſeruati epiſcopo ex generali ferè conſuetudine ſunt tres; primus, homicidium voluntarium, vel mutilatio; ſecundus, crimen falſarij, vel eius, qui falſo teſtificatur; tertius eſt libertatis, vel immunitatis Eccleſiæ violatio: alios verò caſus ſolent ſibi Epiſcopi reſeruare, vel ex conſuetudine, vel ex ſpeciali cōſtitutione, de quibus oportet ab ipſis epiſcopis intelligere.

55. An ſit irregularis ex aliqua cauſa: vbi eſt animaduertendum irregularitatem multis modis incurri.

Primo, ex crimine quadrupliciter, videlicet;

Primo, ex ſimonia in ordine.

Secundo, ex furto in ordine, vbi quis ſe furtiuè ingerit.

Tertio, ex miniſterio in ordine non ſuſcepto.

Quarto, ex contumacia non ſeruandi pœnas eccleſiaſticas.

Secundo, ex non crimine verò tribus modis.

Primo, ſi eſt ſeruus.

Secundo, ſi eſt nothus, ſeu illegitimus.

Tertius, ſi turpiter mutilatus, vel deformis.

3. Ex duobus, quæ cū crimine, & ſine crimine eſſe poſſunt, puta homicidiū, ſub quo mutilatio, mortuus eſt, & bigamia.

Multi alij caſus ponentur inferius, cum de ſuſpēſione, & irregularitate agemus.

Super irregularitate, & ſuſpenſione poterat hoc tempore diſpenſare Ordinarius loci; de quo vide Concil. Triden. ſeſſ. 24. cap. 6. ſed poſt Bullam Sixti Quinti non poteſt in multis, vt in ea videri poterit.

De

De Concionatoribus.

NVllus concionetur niſi prius ſit examinatus; nec ſine licentia; de quo vide Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. Concionatores debent eſſe catholici, & pij viri, quorum vita magis moueat, quam eloquentia, & doctrina. Curent propterea Epiſcopi ne culpa ſua hoc tam ſanctum, neceſſarium, grauiſſimumq; cōcionandi munus his præſertim temporibus cōtemnatur, ab illisq; exerceatur, qui cum nec ſpiritu, nec doctrina benè muniti exiſtant, alios docere præſumunt, voluntq; magiſtri ab alijs exiſtimari antequam diſcant. Veteres.n.ac ſancti illi Patres, quo magis ſcientia, & ſanctitate pollebant, eo amplius prædicationis pondus humeris ſuis imponere formidabant; lege Ambroſium in prima parte ſuorum officiorū lib. 1. & videbis quibus hoc concionandi munus ſit committendum. Adoleſcentibusne? qui nec annorum maturitatem, nec ſcientiæ tempus ſpectantes ad tremendum prædicationis munus anhelant auaritia potius acti, quàm pietate, & charitate ducti; an verò viris maturitate, ſanctitate, & eruditione ornatis? Multi.n.ſunt, qui vt quamprimum pubertatis annos attigerint, ſtatim ſe aliorum Doctores oſtentare non verentur. Quare multis prætermiſſis hoc vnum admoneo verbi diuini concionatorem, vt quantum in ſe fuerit, vt ſi non aliam ob cauſam, ſaltem propter euangelicæ doctrinæ dignitatem, non vtcunque, ſed vt conſumatus verbi Dei relator ad concionandū accedat. Curetq; Epiſcopus ne falſa, & inutilia concionentur, ſed iuxta præceptum euangelicum Marc. cap. 16. & ſi multum in his excederent, corrigantur. Curet etiam ne in concionibus admiſceantur res fabuloſæ, & iocoſæ, quibus populus ad riſum potius, quàm ad deuotionem excitatur; de quo lege D. Anton. 3. par. tit. 18. cap. 4. Multo minus prædicent falſas prophetias, & incerta miracula non proponant populo, vt conſtat ex prohibitione Leonis Decimi in Conc. Lateranē. Non multùm etiam reprehendant viros eccleſiaſticos coram laicis, & præcipuè Prælatos; de quo vide cap. laicos. 11. q. 7.

& Clemen. 1. §. quibus de priuileg. laici.n.plus iuſto hac re delectantur.

Vbi eſt ſciendum ſummum Pōtificem vbiq; locorum prædicare poſſe, quoniam ad eum vniuerſalis Eccleſiæ pertinet cura; ita habes 19. diſt. can in memoriam. Immo etiam de eadem plenitudinis poteſtate poteſt cuilibet munus prædicādi committere; vt habetur de off. deleg. c. quoniam apoſtolicam.

Epiſcopos verò in ſua Diœceſi, & in qualibet alia prædicare poſſe, niſi per alios Epiſcopos in proprijs Diœceſibus prohibeantur. Apoſtolis.n.quibus dictum eſt, Prædicate Euangelium omni creaturæ, ſuccedunt Epiſcopi; quod munus pdicandi alteri demādare non poſſunt, niſi in ſuis Diœceſibus; ita habetur 16. q. 7. can. nullus omnino.

Rectores Eccleſiarum curam animarum habentes munus prædicandi ſuis tantum parochianis exercere poſſunt per ſe, ſi idonei videbuntur; ſi verò vel propter ignorantiam, vel aliam quamcumq; legitimam cauſam ab Epiſcopis prohibeātur, non poſſunt alteri hanc curam, niſi probatis viris, & notis de conſenſu Epiſcopi committere; in cap. excommunicamus. §. quia verò de hæret. Regularibus datur modus prædicandi à Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 24. cap. 4.

Tria præterea ſunt, quæ in Concionatore præcipua requiruntur, primum eſt ætas, quæ à canonibus eſt triginta annorum, exemplo Ioannis Baptiſtæ præcurſoris Domini, qui ante trigeſimum annum nunquam eſt auſus prædicare: & Chriſti Domini, qui cum eſſet Dei ſapientia, & in quo omnes theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ Dei erant reconditi; nunquam tamen hoc ſacrum munus exercuit; niſi in anno trigeſimo ſuæ ætatis: ſed his temporibus ſatis erit, ſi eam ætatem attigerit, quæ ad curam animarum exercendam requiritur, quæ eſt 25. annorum; Videre licet 78. diſtin. can. presbyter, vbi de his agitur.

Secundum eſt vitæ probitas, ac ſanctitas: Diuus.n.Gregorius dicit, Cuius vita deſpicitur, reſtat vt eius quoque oratio contemnatur: & peccatori dicit Dominus Pſal. 49. Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum, &c. Ter-

Tertium eſt ſana doctrina, cum dicat Apoſt. Roman. 10. Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Qui.n.præter authoritatem ab Apoſtolica Sede, vel catholico loci Epiſcopo ſuſceptum publicè, vel priuatim prædicationis munus vſurpare præſumpſerint, excommunicationis vinculo innodatur, & niſi quamcitius reſipuerint, alia competenti pœna puniuntur. Hæc ex Innocentio Tertio in titulo de hæret. cap. cum ex iniuncto.

Circa Eccleſiam.

VIſitator in primis debet inuiſere templa materialia, ſi minentur ruinam, aut indigeat aliqua reparatione tam in capellis, quàm in altaribus, ſcamnis, & ianuis, & curet diligenter, vt omnia reficiantur.

Videat an Eccleſia habeat decens cœmiterium, cuius magnitudo quanta eſſe debeat, vide in decreto 18. q. 4. præterea vt ſit diſtinctum, ac ſeparatum ab omnibus rebus profanis, ne inde naſcatur aliqua immunditia Eccleſiæ.

Inuiſendum eſt campanile cum campana.

Interroget an ſciat fundationẽ Eccleſiæ, & obligationem, ſi quam habet tota Eccleſia, vel capella aliqua illius Eccleſiæ præter ea, quæ eſt omnium parochiarum communia.

An ſciat patronum Eccleſiæ, & eius titulum.

An ſciat Eccleſiam eſſe conſecratam, vel benedictam.

An conſecrata altaria, vaſa, & an corporalia, veſtes, & reliqua id genus ſint benedicta, quæ omnia diligenter inquirat, vt inde ſciatur, quid deſideretur in his, & prouideatur.

Deinde inuiſendum Euchariſtiæ Sacramentum, nam decẽter ſit collocatum; locus accommodatus eſſet in maiori altari intra decens tabernaculum, vt introeuntes Eccleſiam ob oculos habeant ſanctiſſimum Sacramentum, an ſit ſupra altare conſecratum; per altare intelligimus aram accommodatam cum ſuis corporalibus intra tabernaculum.

Quando renouentur particulæ: Debent.n. renouari 18. quoque die, vel 15. aut ad ſummum tertia quaque hebdomada, imo frequenter, ne ſpecies corrumpantur, & ſi in aliquo

ſit

ſit erratum, corrigatur iuxta decretum, de quo eſt cap. ſtatuimus. de cuſtodia Euchariſtiæ aurea, vel argentea deaurata.

Videat vaſa, in quibus eſt repoſitum triplex oleum cathecumenorũ, chriſma, & infirmorum, vt ſint benè cooperta, & clauſa, & tempore, quo oleum renouatur, vt vaſa purificentur cum aqua calida ſuper pilam vbi baptizantur infantes, aut ſupra ſacrarium ſi adeſt, quod ſi non adeſt, iubeat vt ſtatim fiat ad reponendos cineres rerum ſacrarũ combuſtarum, aquam, & alia id genus ſacra.

Interroget an ſint quotannis renouata, præſertim chriſma, quod eſt oio ſingulis annis innouandum, nec veteri vtẽdum.

Interroget an habeat librum, in quo notetur dies, menſis, & annus eorum omnium, qui baptizantur, & ſeparatim nomina eorum, qui ſunt confirmati.

Num etiam habeat alium libellũ, in quo contineantur ſtatuta aliæ viſitationis.

An habeat Reliquias, & ſi habet, num ſint in loco decenti repoſitæ nullam admittendo nouitatem.

Viſitet veſtimenta ſacerdotalia num ſint munda, & nitida, & ſi aliquid deſit, curet vt de nouo fiat; ſin autem contrita ſint, comburantur; & cineres in ſacrario ſepeliantur; de quo cap. quæ ſemel, & cap. quando 19. q. 3.

Interroget poſtremò de redditibus Eccleſiæ, quos habeat, & à quo exigantur, & quomodo.

Quænam ſint præterea emolumẽta, quæ ex miniſterio plebani colligi ſolent; an aliquis eas alio auertat, occupet, aut malè alienet; ſi quid habeat fabricæ reditus, vel eleemoſynæ, & quomodo fideliter erogetur.

Inuiſenda præterea domus, prædia, villæ, & alia bona omnium Eccleſiarum, ne aliquod damnum illis inferatur à ſuis emphyteotis, aut alijs, qui curam habent talium bonorum.

Et tandem inquirat, an habeat inuentariũ omnium rerum ſuæ Eccleſiæ, quod omninò cõſiciendum curabit.

Cir-

Circa Monaſteria Monialium.

CVret Epiſcopus, vt per viros idoneos ſaltem duos, alterum religioſum, alterum ſecularem Sacerdotem, vtrunque pium, & doctum viſitentur, ac reformentur iuxta rationem ſuæ regulæ, ac ordinis inſtituta.

Curet, vt ea, quæ ſtatuta fuerint, diligenter obſeruentur, vt hoc pacto proficiatur in veritate, ac perfectione religionis.

Præficiantur prouidæ, ac eximiæ ſuperiores ſuæ Religionis legitima, & canonica electione

Adhibeantur idoneæ miniſtræ, & prudentes, & pij confeſſarij, quibus adiungantur concionatores docti, & deuoti.

Miniſtri externi ſint pij, & probati viri.

Colloquia Monacharum prohibeantur, præterquam cum parentibus, fratribus, ac miniſtris monaſterij, & cum his prohibeantur ſuperflua, & otioſa.

Nè ſeculares puellæ, vel mulieres cum monialibus habitent, niſi ſeparata habitatione, vbi cum illis probatiſſimæ, quæ vt monachæ colloqui poterunt.

Hæc reformatio deberet conſeruari per annuos Viſitatores.

Quod autem Epiſcopus teneatur viſitare huiuſmodi monaſteria, lege cap. in ſingulis, & cap. ea quæ de ſtatu monachor. & cap. periculoſo eod. tit. in 6. & in Clem. attendētes. Hoc ipſum monemus in viſitatione religioſorum, qui ſunt ſub Epiſcopi iuriſdictione. Licebit etiam legere ea, quæ decreta ſunt in Concil. Triden. ſeſſ. 25. per totum, quæ plurimū conferunt ad præſens propoſitum.

Circa Hoſpitalia.

HOſpitalia viſitentur, & ſi quid eſt dignum reformatione, ſummo ſtudio, & cura fiat; de quo lege Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 8. & 9.

Gubernentur verò per Præpoſitos, qui non pendeant à temporali ſtipendio, quo ad eius fieri poterit.

Mini-

Miniſtri item (ſi fieri poterit) amore Dei ſeruiant, ſint ſaltem iuuenes honeſti, & pij.

Confeſſarius item ſit vir pius, & probatæ vitæ, qui non tãtum audiat confeſſiones infirmorum, ac alijs miniſtret Sacramenta, ſed iuuet etiam moribundos, ſepeliatq; mortuos; ſed etiam ſpiritualibus exhortationibus, & documẽtis in doctrina Chriſtiana, eos curet viuere in Domino.

Circa Scholas.

QVi docent iuuentutem, ſint non ſolum probatæ doctrinæ, ſed etiam vitæ, & illud occultè eſt in eis aduertendum, ne quid hauſerint doctrinæ, quæ ſuſpecta ſit de hæreſi vllo pacto; & propterea inquirat Epiſcopus quomodo doceant, an profeſſionem fidei fecerint, & vbi, & coram quo.

An auctores honeſtos, & vtiles interpretentur, & quos.

An ipſi, vel ſcholares habeant libros prohibitos, vel ſuſpectos, & videantur libri, & habeatur index illorum.

An doceant ſuos diſcipulos Doctrinam Chriſtianam, & an ipſi ſciant: an ſit alij loco illorum, qui obſeruent ea omnia, quæ conſtituuntur in Concilio Lateranẽ. ſub Leone Decimo, & in Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 18.

An exemplis, & monitis diſcipulos ad pietatem, & præcipuè ad Eccleſiarum frequentiam, & ad Miſſas, concionem, & diuina Officia audienda, ac ſacramenta frequentanda hortentur.

Circa Oratoria, & alias congregationes, quæ ſecularium deuotione ſunt inſtituta.

EPiſcopus, ſiue eius Vicarius viſitabit Oratoria, Montes pietatis, Collegia, laicorum Confraternitates, ac cæteras Eccleſias, ac pia loca illi ſubiecta, quæ ſub colore pietatis aliquando conuertuntur in contumeliam multorum malorum, quæ omnia eſſent diligenter inquirenda, & tollenda, ſi talia inuenerint iuxta decretum Concil. Trid.

Trid. ſeſſ. 23. cap. 8. & 9. & in poſterum non erigantur alia ſine facultate ordinarij.

Miniſtri ſint docti, pij, & non lucri amatores, ſed zelo iuſtitiæ moueantur.

De Notarijs.

AN ſint periti in arte ſua.

An ſint, qui obſcurè dicent, præſertim in legatis pijs, de quo lege Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 10.

An informent renunciantes de clauſulis neceſſarijs.

An iuramentum ſeruent: An legata pia denuncient.

An officium ſuum amore, odio, cupiditate, timoreuè remotis fideliter exequantur ſecundum bonam conſcientiam.

Circa Meretrices.

CVret ne Meretrices paſſim inter Matronas honeſtas habitent; ſed in vnũ locũ, ſiue plura concludantur.

Ne puellas habeant pro ancillis, quas poſtea haud dubiè proſtituerint.

Nulla mulier habens proprium virum mereticari permittatur. Mulieresq;, quæ à ſuis viris diſceſſerint, & adulteris adhęrent, ſi tuto poſſint viris reconciliari, id fiat, ſin minus, in monaſterium concludantur, damnatis adulteris, vt illas in monaſterio alant.

Curent ne ſint lenones, vel leenæ, & vt meretrices ſolæ non ambulent per Vrbem, & non abſq; ſuo habitu, nulliq; meretrici concedatur rheda, nec equus, nec mula, & ad ſtationes ire non permittantur.

Cogantur vt pluries in anno audiant in vno Templo ad id ſtatuto concionem ad earum conuerſionem accommodatam.

Coganturq; audire Miſſam diebus Dominicis, & feſtis.

Præcipiatur illis, vt ſemel in anno, ac ſæpius confiteantur, ſi fortè moueat Dominus illarum animos confeſſione, vt poſſint abſolui, alioquin ne abſoluantur, niſi ſufficiens habeant propoſitum vitandi omnia peccata, & publicè prius mutent ſuum ſtatum.

Si ex illis aliquæ conuertantur, harum curam gerant, qui ſunt è congregatione Conuerſarum, ſiue velint eſſe religioſæ, ſiue honeſtè extra religionem viuere, ſiue in aliquo alio loco honeſtè collocentur.

Circa Carceres.

HAbeatur cura eorum, qui in carceribus detinentur, vt Miſſam diebus ſaltem feſtis audiant, & reliqua Sacramenta percipiant, quæ illis poterunt commodè miniſtrari, audiant Doctrinam Chriſtianam, aut aliquando concionem, quæ ad illorum profectum iuuandum accommodata fuerit; & tandem curetur vt illorum cauſæ breuiter expediantur, & eorum neceſſitatibus à pijs Chriſtianis ſubueniatur.

Circa Hæbreos.

HAebreorum habeatur ratio accurata, & detur opera, vt quemadmodum ſynagogas maiores facere non poſſunt, ita eorum error, vel obſtinatio non augeatur.

Interdicendæ eſſent illorū conciones, ac lectiones, & ſcholæ, & cogendi, vt vel ſingulis menſibus, vel tertio quoq; menſe audiant concionem Chriſtianam ad eorum conuerſionem appoſitam.

Libri illis prohibeantur præter ſacram Bibliam.

Obſeruetur num vſuras maiores exigât, quàm illis eſt permiſſum: num pileum ſuum croceum abijciant viri, & mulieres velum. Et illud in primis obſeruetur, ne blaſphement Chriſtum, vel ſanctiſſ. Trinitatem, vel Sanctos clanculum.

Infidelium præterea omnium cuiuſcunq; ſint generis ratio habeatur, & detur opera vt conuertantur; id fiet ſi cogantur aliquando ad audiendam concionem Chriſtianam.

Chriſtianis omninò interdicatur conſuetudo cum Iudæis, neq; permittantur per domos Chriſtianorum obambulare, multa enim ſcelera, & facinora ab ipſis ſunt perpetrata, non tantum cōtra fidem Catholicam, ſed et contra bonos mores.

De

De Cingaris, & circa Populum.

EOrum, qui dicuntur Cingari, qui ex raptu viuunt, & Iudæis in multis, vel ſimiles, vel etiam peiores exiſtunt, ratio habeatur, & examinentur primum.

An ſint catholici: an verò ſectam aliquam hæreticorum ſectentur, & cogantur chriſtianè viuere, Miſſam audire, confiteri ſingulis annis, Euchariſtiam ſumere, & alia ſacramenta.

Curet maximè Epiſcopus vt Confeſſarij, qui audituri ſunt eorum confeſſiones, benè videant, an illi homines, qui ex rapinis viuunt, ſint abſoluendi, necne ne clauibus abutantur eccleſiaſticis, abſoluentes quos non debent, eosq; qui peccandi occaſiones relinquere nolunt, iubendo, conſulendo, conſentiendo, participando, &c.

De Circulatoribus Aſtrologis, Magis, &c.

ITem circulatores, præſtigiatores, falſi aſtrologi, & deceptores, qui ſe futura prædicere profitentur, in Ciuitate non admittantur: ſicuti neq; illi, qui ex Sancti Pauli genealogia originem ſe ducere profitẽtur, affirmant, eiusq; Diui Pauli gratiam, ſe aduerſus venena conferre dicunt, eaq; vulgo vendunt.

Veneficæ, Magi, Incantatores, Iudæi, qui familiares ſpiritus habere ſimulant, ac furta, & res deperditas illorum miniſterio inuenire, inquirantur, & acriter, vt par eſt, puniantur.

Bacanalia, laruæ, ſpectacula ferarum, atq; huiuſmodi multa, ſi fieri poteſt, ne permittantur.

Turpes repreſentationes comœdiarum, & alia, quæ alioquin bonos mores corrumpunt, interdicantur omninò.

Medicis, & Chirurgis, præcipiatur, vt canonem Innocentij Tertij obſeruent; cum infirmitas corporalis vrget, extra de pœnit. & remiſſ.

Publica peccata inquirenda ſunt diligenter, ne ſint concubinarij, & alij id genus facinoroſi, de quo lege Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 8. neq; blaſphemi, vſurarij, &c.

Parentes, qui filiorum curam negligunt, multò minus, qui filias, vxores, vel ſorores proſtituunt, nullo modo ferendi ſunt, ſed corrigantur accerrimè ſi qui ſunt.

Aleatores in hoſpitijs non recipiantur, neq; illi, qui cauponandi gratia ad ea accedunt: neq; choreæ ibi habeantur, nec Meretrices ibi habitent, neque recipiantur.

Lanij, fartores, paſtillarij cibos prohibitos nullo modo parent, vel vendant, nec cœnam diebus ieiuniorum ijs præſertim quos ſciunt ad ieiunia ſeruanda obligatos eſſe.

Carnes, oua, lacticinia parari, neque vendi permittantur diebus ieiuniorum, & Quadrageſimæ, niſi infirmis.

Diebus feſtis officinæ minimè aperiantur, neque etiam tabernæ, niſi iter agentibus, aut non ſine magna neceſſitate.

Onera ne permittantur portari diebus feſtis, nec aliud quodcunq; opus ſeruile exerceri a quoquam, niſi ea, quæ ex neceſſitate fieri permittuntur.

Deambulationes nullo pacto in Templis fieri permittantur; illo preſertim tempore, quo Diuina Officia celebrãtur, & in omnibus ſeruari curetur Conſtitutio Pij V. edita ſuper hoc, anno 1566.

Ficti pauperes caſtigentur, neque qui corpore ſunt robuſti, mendicare permittantur; immò tum iſti, tum ocioſi homines, & vagabundi, qui honeſtam rationem reddere non poſſunt, cur tota die ocioſè viuant, ex ciuitatibus eijciantur.

Exulceroſi, paralytici, & ſimiles mendici in hoſpitalibus recipiantur, quotquot in eis ali poterunt, qui verò non poterunt, mendicare permittantur, ſed prius diligenter examinati.

Pro pauperibus verecundis, inſtituatur ratio, quæ in multis Ciuitatibus primarijs ſeruari ſolet, vt videlicet in ſingulis parochijs deligantur viri primarij, qui curent ex Parochianis colligi eleæmoſynas, quæ ſemel in hebdomada pauperibus ſuæ parochiæ diſpenſentur; vel vt in alijs multis fieri ſolet, habeatur locus, in quem orfani, & pupilli pauperes recipiantur, ibiq; ſtudioſè, diligenterq; alantur.

Poſtremò illud maximè aduertendum eſt, quod in omnibus rebus primum eſſe debet, vt efficacia executionis adhibea-

beatur viuaciter, quæ conſtabit ſollicitudine, Miniſtris, & Vicarijs idoneis ſæpè, ac ſæpius incitatis ad ſuum munus diligenter præſtandum, & exequendum.

Si plura deſideras, lege praxim Pauli Sałodij de Viſitat.

Ijs breuiter expeditis, quæ ad viſitationē iudicauimus pertinere, ea proſequemur, quæ ad reliquum Epiſcopi munus, & auctoritatem exercendam ſpectant, præſertim ex Conc. Tridentini Decretis; & primum:

Epiſcopus nullo modo, & nullo vnquā tempore aliquem in ſua ciuitate, aut diœceſi prædicare permittat, aut docere, prætextu cuiuſuis priuilegij, niſi fuerit ſibi cognitus, ac moribus, & doctrina probatus: Sedem verò Apoſtolicam conſulat de priuilegiorum validitate, vt habetur in Conc. Trid. ſeſſ. 5. Rubr. de Prædicatoribus, Lectorib. &c. cap. caueant.

Epiſcopus ſi in eccleſijs ſint exigui redditus, & tàm exigua populi multitudo, vt ibi Theologiæ lectio commodè haberi non poſſit, prouidere debet de aliquo Magiſtro, ſaltem Grāmaticæ ab ipſo Epiſcopo cum cōſilio Capituli eligendo, cum competēti fructuum portione, pro pauperibus edocendis, vt habetur ſeſſ. 5. cap. Eccleſia verò, Rubr. de Lectoribus, &c.

Epiſcopus poteſt compellere Abbates, vt in eorum Monaſterijs lectio Theologiæ habeatur, ſeſſ. 5. cap. In Monaſterijs, Rubr. de Lectionib. &c.

Epiſcopus in aliena Diœceſi non poteſt pontificalia exercere, niſi de Ordinarij licētia, in eiuſdem Ordinarij ſubditos tantùm, vt habetur in Conc. Triden. ſeſſ. 6. cap. nulli Epiſcopò. de reform.

Epiſcopus ſi extra viſitationem ad alicuius inſtantia contra Capitulum Cathedralium, vel aliquam perſonam illarum proceſſerit, tenetur ſeruare formam traditam in Conc. Trident. ſeſſ. 6. cap. capitula Cathedralium, & in ſeſſ. 25. capit. ſtatuit ſancta Synodus.

Epiſcopi, & alij maiores Prælati, ſiue primates, poſſunt viſitare Capitula, & perſonas quarumcumque Cathedralium, aut maiorum Eccleſiarum ſuarum, etiam exemptarum, vt habes in Conc. Triden. ſeſſ. 6. cap. capitula. de viſit.

Epiſcopi, ſeu locorum Ordinarij conferentes beneficia inhabi-

habilibus, incidunt in pœnas conſtitutionis grauè nimis, vt habes ſeſſ. 8. cap. inferiora beneficia. Rubr. de beneficiorum collationem.

Epiſcopi, ſeu locorum Ordinarij debent compellere quoſcunque obtinentes plura beneficia curata, aut incompatibilia, ad exhibendum ſuas diſpenſationes, vt eſt in ſeſſ. 7. cap. Ordinarij, Rubr. ne cui plura beneficia.

Epiſcopi, ſeu locorum Ordinarij, vt Hoſpitalia a ſuis miniſtris diligenter gubernentur, vt habetur ſeſſ. 7. cap. curent Ordinarij, Rubr. de Hoſpitalibus.

Epiſcopus cogere debet obtinentes beneficia exigentia reſidentiam, vt in illis reſideant, vt in ſeſſ. 6. cap. Epiſcopis inferiores, de reſidentia clericorum, de qua reſidẽtia inferius libro 4.

Epiſcopus, qui ad epiſcopatũ eſt promouendus, debet eſſe ex legitimo matrimonio natus, moribus, vita, ætate, & doctrina commendabilis, ſeſſ. 24. cap. eadem ſancta Synodus, Rubr. de Epiſcopis promouẽdis, & ſeſſ. 7. cap. ad cathedralium eccleſiarum, & ſeſſ. 22. cap. quicunque poſthac. & qui promouendus eſt ad epiſcopatum, debet eſſe per ſex menſes ante in ſacro ordine conſtitutus, vt habes ſeſſ. 22. cap. quicunque, vt ſupra.

Epiſcopus non permittat clericos ſibi ſubditos vitam inhoneſtam ducere, vt ſeſſ. 14. cap. cum propriè, de reform. immò eos moneat, vt in omnibus honeſtè, ſancteq; populis ſibi cõmiſſis præeant, eadem ſeſſ. & cap.

Epiſcopus ſuam dignitatem, grauitatem, & decorem ſeruare curet, vt habetur ſeſſ. 25. cap. non poteſt.

Epiſcopus in crimine hæreſis occulto, in foro conſcientiæ, quoſcunque ſibi ſubditos per ſe tantum, gratis abſoluere poteſt in ſua diœceſi, vt habes in ſeſſ. 24. cap. liceat Epiſcopis, de reform. niſi aliud ſummis Põtificibus videatur; ideo non poſſe, declarauit congregatio Cardinalium, authoritate Gregor. xiij. Nauar. in ſum. cap. 27.

Epiſcopus in Eccleſia ſua per ſe, vel per alios idoneos viros prædicationis munus adimplere tenetur diebus ſaltem Dominicis, & ſolemnibus, vt habetur ſeſſ. 24. cap. prædicationis munus.

Epiſcopus in ijs, quæ ad viſitationē, & morum correctionem ſuorum ſubditorum pertinent, omnimodam habet poteſtatem, quacunque exemptione non obſtante, ſeſſ. 24. cap. epiſcopi, de reform.

Epiſcopus in exercenda in ſubditos eius iuriſdictione, obſeruet ea, quæ per ſynodum Triden. decreta ſunt, ſeſſ. 13. cap. eadem ſancta ſynod. de reform.

Epiſcopus in ſingulis parochijs diebus ſaltem Dominicis, & alijs feſtis pueros rudimenta fidei, & erga Deum, & parentes obedientiam edoceri ab ijs, ad quos ſpectat, curare debet, etiam per cenſuras, ſeſſ. 24. cap. prædicationis munus.

Epiſcopus viſitare tenetur Monaſteria, Abbatias, Prioratus, & Præpoſituras nuncupatas, vbi regularis non viget obſeruantia, ac etiam beneficia ſecularia, & regularia, tàm curata, quàm ſimplicia, commendata etiā, & exempta, ſeſſ. 21. cap. quæcunque.

Epiſcopus moderatè viuere debet vita, & moribus exemplaribus ſeſſ. 25. cap. optandum eſt, de reform.

Epiſcopus nihil in eccleſia inuſitatum permittere debet in conſulto Romano Pontifice. ſeſſ. 25. cap. Hæc vt fideliùs, §. quod ſi aliquis.

Epiſcopus, nec eius miniſter pro his, quæ ad ordinum collationem pertinent, aliquis accipere non poteſt. c. 1. in ſeſſ. 21. §. quoniam. de ordinum collatione.

Epiſcopus nō ad commoda, ſed ad labores pro Dei gloria, ad epiſcopale miniſterium vocatus eſt, ſeſſ. 25. cap. optandum de reform.

Epiſcopus, qui impeditus ordines conferre, ſuos examinatos, & probatos ſubditos ad alium Epiſcopum ordinandos dimittere debet, ſeſſ. 23. cap. epiſcopi per ſemetipſos de reform.

Epiſcopus tempore ordinationum, prius examinare, aut examinari facere, diligenter ordinandos debet. ſeſſ. 23. cap. ſancta ſynodus, de reform.

Epiſcopus, vel eius Viſitatores, ipſo impedito, cum alijs Viſitatoribus inferioris ordinis, in viſitando concurrant, ſeſſ. 24. ſub Rubrica de Viſitatoribus, c. Viſitat. & deinceps.

Epi-

Epiſcopus in ſua diœceſi, poteſt ſibi cauſas grauiores reſeruare, illas præſertim, quibus cenſuræ ſunt annexæ, ſeſſ. 24. cap. quoniam igitur. §. vnde merito. & qui dixerint contrarium, excommunicentur. cap. ſi quis dixerit epiſcopus. cap. 11. eiuſdem.

Epiſcopus habet poteſtatem ſuper his, quæ ad Miſſæ ſacrificium, & celebrationem pertinent. ſeſſ. 22. cap. quorundam. §. hæc igitur ſub Rubrica de obſeruãdis, & viſitandis in miſſa.

Epiſcopus vltimarum voluntatum ad pios vſus eſt exequutor. ſeſſ. 22. cap. epiſcopi etiam.

Epiſcopus quibuſdam anni temporibus, ab eccleſia ſua abeſſe non debet, ſeſſ. 23. cap. quoniam autem, ſub Rubrica de Reſidentia Clericorum. ſeſſ. 6.

Epiſcopus familiares non ſibi ſubditos ante triennalem commorationem cum eodem epiſcopo, & ante beneficium ſibi collatum, ordinare non poteſt. ſeſſ. 23. cap. epiſcopus familiarem cap. 8. & ſeſſ. 21. ſub Rubrica de ordinũ collatione.

Epiſcopus cum promotis per ſaltum poterat per Concilium diſpenſare. ſeſſ. 23. cap. qui pie. §. fin. cum promotis. de ord. coll. ſed nunc per Bullam Sixti Quinti eſt ablata poteſtas.

Epiſcopus ex cauſa põt mutare examen promouendorum, ſeſſ. 24. cap. ſi tamen, titulo de promouendis ad beneficia.

Epiſcopus ad regendam Eccleſiam de clericis examinatis, illum eligere debet, qui cæteris magis idoneus ſibi videbitur, ſeſſ. 24. cap. examinatores autem. §. ex his Epiſcopus.

Epiſcopi, & qui iuſpatronatus habent, intra decem dies clericos idoneos examinandos ad regendam Eccleſiam vacantem coram examinatoribus nominare tenentur, ſeſſ. 24. cap. porro Epiſcopus.

Epiſcopus populum ſuum monere debet, vt ad ſuas parochias diebus ſaltem Dominicis, & maioribus ſaltem feſtis accedat, ſeſſ. 22. cap. quarundam. §. moneantur.

Epiſcopus vacante Eccleſia parochiali, cuius cura ipſi Epo. vel Eccleſiæ incumbit, conſtituere debet in ea Vicarium idoneum cum congrua fructuum portione, vt illius onera ſuſtineat, donec de Rectore prouideatur, ſeſſ. 24. cap. expedit maxime.

Epi-

Epiſcopus vacante Eccleſia tres examinatores ex ſex eligere debet, cum quibus clericos examinet pro Eccleſia regẽda, ſeſſ. 24. cap. examinatores.

Epiſcopus vbi inſtitutio ad inferiores pertinet, eligere debet ſolum digniorem ab examinatoribus approbatum, quem ſibi patronus præſentauerit, ſeſſ. 25. cap. ad hæc. & ſeſſ. 24. capit. ſi verò. §. quod ſi.

Epiſcopus vbi quoſcunq; clericos ſuos abſq; examine ſuo, & ſuis litteris commendatitijs quacunque authoritate promotos ad Diuina officia, & eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtranda, minus idoneos repererit, ab ordinum exercitio illos poteſt ſuſpendere, ſeſſ. 14. cap. Epiſcopus.

Epiſcopus ſingulis annis præſentibus duobus a capitulo, & totidem a clero Ciuitatis deputatis, rationem redditurum Seminarij clericorum recipere debet, ſeſſ. 23. capit. rationes autem, ſub Rubr. de Seminario clericorum.

Epiſcopus ſi canonicis aliquid ad deliberandum propoſuerit, quod ad ſuum, vel ſuorum commodum non pertinet, capitulum conuocare poterit, & ſecundum vota concludere: eo verò abſente, ab ijs quorum eſt officium perfici debet, & non ab eius Vicario, ſeſſ. 25. cap. ſtatuit ſancta ſynodus.

Epiſcopus ſi in criminalibus ex incontinetia, aut atrocioribus delictis extra viſitationem contra aliquem de capitulo Cathedralium proceſſerit; vbi de fuga timeretur, poteſt ſolus ad ſummariam informationem, & perſonæ detentionem procedere, ſeſſ. 25. & eodem cap. ſtatuit. §. in criminibus.

Epiſcopus in Eccleſijs amplas diœceſes habentibus vltra Seminarium in Cathedrali conſtitutum, poterit alia Seminaria ſi opportunum videbitur cõſtituere, quæ tamen ſint ab illo dependentia, quod in ciuitate erectum eſt, ſeſſ. 23. cap. ſi vero. Rubr. de Lector. Theolog.

Epiſcopus in Eccleſijs ſuæ diœceſis per parochos, vel per alios per eum deputandos, expenſis eorum, ad quos pertinet, munus prædicationis verbi Dei temporibus Quadrageſimæ, & Aduentus Domini, quotidie, vel tribus ſaltem in hebdomada diebus, & per annum Dominicis, & ſolemnibus feſtis adimpleri faciat, ſeſſ. 24. cap. prædicationis munus.

Digitized by Google

Epiſcopus reſidens in ſua Eccleſia cognoſcere debet de ſurreptione, vel obreptione gratiæ obtentæ ſuper abſolutione criminis, de quo impetrator per eum fuit condemnatus; ſeſſ. 13. cap. & quoniam. Rubr. de appellationibus.

Epiſcopus in cauſa criminali, in qua non venit deponendus, non poteſt citari, neque moneri, vt perſonaliter compareat, ſeſſ. 13. cap. quoniam. §. Epiſcopus niſi.

Epiſcopus cum duobus deputatis, vel ſynodus prouincialis pro more regionis, omnia, quæ ad felicem Seminarij clericorum profectum neceſſaria ſunt, poteſtatem habet moderandi, & decernendi, ſeſſ. 23. cap. poſtremo. Rubr. de ſeminario clericorum.

Epiſcopi ordinarij iuriſdictio per priuilegia, & exemptiones quibuſuis conceſſas, non impeditur, exceptis ijs, qui militijs, aut monaſterijs priuilegiatis, actu ſeruiunt, & qui intra ſepta illorum reſidet, ſeſſ. 24. cap. quoniam. Rubrica de priuilegiatis.

Epiſcoporum cauſæ criminales minores in concilio prouinciali ſunt cognoſcendæ, & terminandæ; cauſæ verò grauiores, quæ depoſitionem, & priuationem requirunt, a ſummo Romano Pont. cognoſcendæ, & terminandæ ſunt; cauſæ item criminales Epiſcoporum, in quibus pro delicti qualitate, perſonalis comparitio requiritur, ſunt Romano Pontifici referendæ, ac per ipſum terminandæ, ſeſſ. 24. cap. cauſæ criminales. Rubr. de cauſis Epiſcoporum criminalibus.

Epiſcopis habetibus paruos redditus, qui ad epiſcopalem dignitatem non ſufficiunt, per Dominum Papam ſubueniendum eſt ad informationem ſynodi prouincialis, de aliquibus beneficijs, ſeſſ. 23. cap. quoniam. Rubr. de fructuū qualitate.

Epiſcopi in collegiatis, aut Cathedralibus Eccleſijs inſignibus, vbi multæ ſunt, ſed tenues præbendæ ſimul cum diſtributionibus, poſſunt cum conſenſu capituli ſuo arbitrio prouidere per vniones, & etiam per aliquarū præbendarum ſuppreſſionem, ſeſſ. 23. cap. in Eccleſijs Cathedralibus, Rubrica de fructuum quantitate.

Epiſcopi, & alij Prælati per ſe, vel ipſis impeditis, per Vicarios generales, aut Viſitatores debent ſuas diœceſes viſita-

re,

re, ſeſſ. 24. Rubrica, & titulo de Viſitatoribus.

Epiſcopi debent prohibere omnia, quæ ad auaritiam pertinent in celebrandis Miſſis, ſeſſ. 22. cap. quanta cura. §. cum igitur.

Epiſcopi debent componere omnes controuerſias de maioritate, ſiue præcedentia clericorum, ne ſcandala creſcant, omni appellatione remota, ſeſſ. 25. cap. controuerſias. Rubrica de maioritate.

Epiſcopi curare debent, vt in quibuſcunque locis, & ciuitatibus parochiales Eccleſiæ ſint diſtinctæ, & quælibet earum diſtinctam populi partem habeat, quibus quiſque proprius ſacerdos inſeruiat, ſeſſ. 24. in ijs, Rubr. de rectoribus Eccleſiarum.

Epiſcopi curare debẽt, vt Moniales ſingulis menſibus confiteantur, & Euchariſtiæ Sacramentũ ſumãt, quibus etiã præter ordinarium cõfeſſarium, alium extraordinarium, bis, aut ter in anno offerre debent, ſeſſ. 25. cap. attendant diligentes Epiſcopi. Rubr. de regularibus, &c.

Epiſcopi conſanguineos ſuos, vel familiares de redditibus Eccleſiæ ditare non debent, ſed ſi pauperes ſint, illis vti pauperibus ſubuenire poſſunt, ſeſſ. 25. cap. omnino. Rubrica de Epiſcopis promouendis.

Epiſcopi concubinarij, ſi a prouinciali ſynodo admoniti non ſe emendauerint, ipſo facto ſint ſuſpenſi, ſeſſ. 25. capit. Epiſcopi. Rubr. de conſuetudine clericorum, & mul.

Epiſcopi comprouinciales inuiti ad Metropolitanam Eccleſiam accedere non tenentur ſeſſ. 24. capit. prouincialia concilia. §. nec Epiſcopi. Rubr. de concilijs prouincial.

Epiſcopi antequam commutationes vltimarum voluntatum exequantur, cognoſcere debent de illarum validitate, ſeſſ. 22. cap. in commutationibus vltim. volunt.

Epiſcopus ſi (quod abſit) debuerit aliquem degradare, degradatio fiat per ipſum, ſeu eius Vicarium, adhibitis Abbatibus vſum Mitræ habentibus, aut alijs perſonis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, ſi Epiſcopi haberi non poſſunt. ſeſſ. 13. cap. cum verò. Rubr. de depoſitione, & degradat.

Epiſcopus arbitrio ſuo, & cauſa prius benè cognita, poteſt

Digitized by Google

excommunicationes pro rebus deperditis concedere, ſeſſ. 25. cap. quamuis. Rubrica de excõmunicationibus moderandis.

Epiſcopus, ſeu loci Ordinarius, & alij Iudices ſtudere debent, vt cauſæ quam breuiter fieri poterit terminentur, ac litigantium verſutijs occurrere, ſeſſ. 25. cap. admonet. Rubrica de Iudicibus extra Rom. Cur.

Epiſcopus, ſeu loci Ordinarius ſingulis annis quaſcunque Eccleſias exemptas viſitare tenetur, ſeſſ. 25. cap. in monaſterijs, Rubr. de monialibus, & regularibus.

Epiſcopus, ſeu loci Ordinarius tenetur in ſingulis Eccleſijs parochialibus ſuæ diœceſis publicare facere præcepta, & decreta ſuper matrimonijs contrahendis, ſeſſ. 22. cap. ne verò. Rubr. de matrimonijs clandeſtinis.

Epiſcopus, ſeu loci Ordinarius ordinans clericos non ſibi ſubditos abſque ſuorum Ordinariorum licentia, & approbatione, ab ordinum collatione per annum ſuſpenditur, ſeſſ. 23. cap. ordinationes, Rubr. de ordinum collatione.

Epiſcopi, ſeu Prælati debent ſubditos ſuos prudenter corrigere, ſeſſ. 6. de Epiſcopis promou. cap. Eccleſiarum Prælati.

Epiſcopi, ſeu Prælati in Eccleſijs ſuis reſidentes, quoſcunque ſeculares clericos qualitercunque exemptos, quibuſcunque exceſſibus, etiam extra viſitationem corrigere poſſunt, & caſtigare, ſeſſ. 14. cap. omnes Eccleſiarum Prælati. Rubrica vt ſupra.

Epiſcopi, ſeu Eccleſiarum Prælati contra clericos non ſibi ſubditos, vigore cuiuſuis priuilegij, procedere non poſſunt, niſi cum illorum Ordinarij, vel eius Vicarij interuentu, alias proceſſus eſt nullus, ſeſſ. 14. cap. præterea. Rubrica de clericis non puniendis, &c.

Epiſcopi, ſeu Eccleſiarum Prælati, quacunq; fulgeant dignitate, tenentur per ſe, vel per alios idoneos, ſi legitimè detenti fuerint, ſanctum Ieſu Chriſti Euangeliũ prædicare, ſeſſ. 5. cap. Quia verò, Rubr. de Lectoribus.

Epiſcopi, & Eccleſiarum Prælati omnes cuiuſcunque gradus, Eccleſiam Dei, ad quam vocati ſunt, diligenter regere debent, ſeſſ. 6. cap. 1. eadem ſancta ſynodus. §. omnes. Rub. de reſidentia clericorum.

Epiſ-

Epiſcopi, ſeu Prælati Eccleſiarũ, etiam ſi ſint S. R. E. Cardinales, qui legitimis ceſſantibus cauſis, per ſex menſes a ſuis Eccleſijs, extra diœceſes abfuerint, quartæ partis fructuum vnius anni amiſſione puniuntur: & ſi totidem alijs abfuerint, aliam quartam partẽ amittere debent; & creſcente contumacia, ſeuioribus ſubijciantur cenſuris, ſeſſ. 6. cap. ſi quis a Patriarchalibus, & cap. quoniam autem, & cap. ſi quis aũt: & deinceps ſub eodem titulo de reſidentia clericorũ, de qua inferius agetur.

Epiſcopi, ſeu locorum Ordinarij cogere debent obtinẽtes ſcholaſterias, & alios etiam quibus annexum eſt docendi munus ad docendum per ſe, in Seminario clericorũ ea, quæ Epo videbuntur; & ſi idonei non fuerint, per alios a ſcholaſticis eligendos, & ab Ordinario approbandos, ſeſſ. 23. cap. deinde. Rubr. de Seminario, ſiue Scholis clericorum.

Epiſcopi, ſeu Prælati quicunque ſint, tenentur omnia, & ſingula in Concil. Trid. ordinata recipere, & obſeruare, atq; veram obedientiam ſummo Pontifici profiteri, & hæreſes deteſtari, ſeſſ. 25. 1. cap. quoniam. Rubrica de decretis Concilij recitandis, recipiendis, &c.

Epiſcopi, ſeu Præpoſiti Eccleſijs Cathedralibus, etiam ſi fuerint S. R. E. Cardinales, ſi infra ſex menſes non fuerint conſecrati, fructus perceptos reſtituere tenentur; & ſi intra totidem alios ſex menſes id facere neglexerint, Eccleſijs ipſis ſint ipſo iure priuati, ſeſſ. 7. cap. ad maiores, & cap. Eccleſijs Cathedralibus. Rubr. de conſecratione Prælatorum.

Epiſcopi, ſeu Ordinarij locorum curare omnino debent, vt in ſynodo diœceſana, ſingulis annis eligantur ſex examinatores, ſeu vt iam in alia electi confirmentur: qui iuxta decretum Concilij Trid. ſint graduati in Theologia, vel in Iure Canonico, aut alij, quos ad hoc munus præſtandum idoneos iudicauerint: qui iurent ſe omni humana affectione poſtpoſita, legaliter munus ſuum gratis adimpleturos, nihilq; pro huiuſmodi examine vllo vnquam tempore accepturos: qui.n. pro examine aliquid acceperint, tàm ipſi, quàm dantes ſimoniæ vitium ſe nouerint incurriſſe, a qua abſolui non poſſunt, niſi beneficia dimiſerint quæcunque fuerint, & ad alia

in-

in poſterum inhabiles efficiuntur; vt habes ſeſſ.24. cap.examinatores. Rubr.de promouendis ad ben.

De Examinatoribus.

QVorum examinatorum officium, hoc loco pro maiori illorum cõmodo, in tres partes diſtribuemus: In prima agemus de impedimẽtis ordinandorum. In ſecunda de tempore, & ætate, ac de titulo. In tertia de ſcientia, quæ in ordinandis requiritur.

Prima pars offic. Exam.

PRimum igitur interrogandus eſt ordinandus, qui non ſit cognitus examinatoribus: An ſit Bigamus: Bigamia enim impedimentum eſt, quod ex eo cõtrahitur, quòd quis habuerit duas vxores; quia non videtur ſignificare illam inſolubilem Chriſti,& Eccleſiæ vnionem, quæ vnica ſponſa illius eſt; de quo lege cap. debitum, de Bigam. vbi gloſſa recepta, verbo Sacramentum, id latè declarat.

Huius Bigamiæ triplex genus eſt, videlicet:

Bigamia vera, Interpretatiua, & ſimilitudinaria.

Vera eſt, cum quis nouerit duas vxores.

Interpretatiua, cum quis Viduam, aut corruptam.

Similitudinaria, cum quis habet ſacrum ordinem, aut emiſit profeſſionem in probata Religione, & poſtea duxit vxorem; de hoc vide Nauarrum in ſuo Manuali cap.27.nu.195. vbi hæc fusè tractantur.

Quæcunque item deformitas membri alicuius principalis impedit ab ordinũ ſuſceptione, vt patet ex cap.1. ſi Euangelia 55. diſt. etiam ſi membrum ſit occultum, de hoc vide cap. ſi quis abſciderit, & cap. ſequens 55. diſt. præſertim ſi culpa noſtra fuerit contracta; ſi tamen deformitas non ſit noſtra culpa contracta, dũmodo non impediat, quominus poſſit celebrare, non efficitur irregularis, v. g. de eo, cui ex Medicorum conſilio abſcindatur membrũ genitale, aut qui effectus eſt eunuchus, aut natus eſt ſine illo: aut claudicat aliquan-

quantulum, ita tamen, vt non indigeat ſubſtētaculo, de quo vide gloſ. cap. ſi quis in infirmitate, diſt. 55.

Qualis etiam eſſet aliqua macula in oculo, quæ non tollit viſum, aut eſſet gibboſus. Hæc impedimenta, ſi non inducūt notabilem deformitatem, non excludunt a ſacris ordinibus, de quo vide cap. ſecundum de corpore vitiato.

Si autem eſſet orbatus altero oculorum, eſſet omnino irregularis, & præſertim ſi eſſet oculus ſiniſter, ſiue Canonis; quod dicendum eſt etiam de eo, qui habet ſuperfluū aliquod membrum, quo non poſſet exercere officium eccleſiaſticum ſine aliquo ſcandalo, vt patet in arg. gloſſ. dicti capitis, qui part. Si corporis vitium huiuſmodi eſſet, quod induceret ſcandalum, horrorem, aut notabilem deformitatem, apertè eſſet irregularis, ſiue illa eſſet cōtracta ſua, ſiue alterius culpa: hæc eſt regula Panorm. in cap. 2. de clerico egrot. per illum textum. Qualis autem ſit iſta deformitas, Epiſcopus determinabit, ſi Innocētio credimus in cap. 1. de corpore vitiatis, & per cap. 2. eiuſdem tituli.

Si non eſt ex legitimo matrimonio natus, de quo lege cap. fin. de filijs presbyt. ſiue hoc ſit publicum, ſiue ſit occultum: Sed cum regularibus ius commune diſpenſat; cui rei etiam Sixtus Quintus per quaſdam Conſtitutiones occurrit.

Si emiſerit profeſſionem in aliqua approbata Religione, & extra eam verſatur, de quo lege Nauarrum in Man. cap. 27. num. 201.

Si ante tempus a iure præſcriptum ſuſceperit ordines, ipſo iure eſt ſuſpenſus.

Si laborat morbo caduco, vide cap. in litteris 7. q. 2.

Si ſit energumenus, qualis eſt is, qui a Dæmone arripitur, de quo lege Aluarum de planctu Eccleſiæ lib. 1. cap. 48.

Si ſit leproſus, impeditur a ſuſceptione, & executione ordinis, de quo lege cap. cum percuſſio. 7. q. 1. & cap. de Rectoribus, & cap. ex parte. de cleric. egrot.

Si ſit inſanus, lunaticus, aut furioſus, vt notat D. Anton. 3. p. tit. 28. cap. 5.

Si ſit infamis, de quo habetur per textum ſingularem, adiuncta gloſſa, & ibi Dom. cap. fin. 51. & gloſſ. recepta in cap. ipſi Apoſtoli 2. q. 7.

Si

Si ſit mancipium, de quo lege Nauarrum in Man. cap. 27. num. 204.

Si non poteſt bibere vinum ſine commotione ſtomachi, de quo lege gloſſ. ſingularem dicti cap. ipſi Apoſtoli.

Si filij hæreticorum, quorum parentes mortui ſunt pertinaces, idq; vſq; ad ſecundam generationem, & in linea fœminina vſque ad primam, vt habetur de hæreticis lib. 6. cap. ſtatuto. §. hæretici; Verum hæc Pontificum ſtatuta, noſtris tēporibus non ita ſeuerè videntur obſeruari in tanta hæreticorum multitudine, dummodo ipſi ſint verè Catholici, qui cupiunt ordinari, quod tamen non debet fieri ſine aliqua conſideratione, & diſpenſatione.

Idem de Neophitis eſt ſentiendum, ſiue ex Hæbreo, ſiue ex Gentile, de quo lege cap. 1. & 2. 48. diſtinct. & cap. conſtituit. 17. quæſt. 4. quamuis conſuetudo videatur eſſe in contrarium.

Is etiam, qui aliquem deformat, quamuis iuſtè, & licitè id faciat; de quo lege ſanctum Thom. 22. q. 40. art. 2.

Is etiam, qui eſt cauſa proxima alicuius deformationis, ſiue mortis, quales ſunt Iudex, Accuſator, Teſtis, Notarius, qui pronunciat, aut ſcribit ſententiam, Aduocatus, Procurator, & id genus, alij omnes ſunt irregulares, de quo habetur cap. aliquantos. 51. diſt. & cap. clericis, & cap. ſententiam, ne clerici, vel monaci. Hoc ipſum probat multis argumentis Doctor Nauarr. in Manuali, vbi loquitur de irregularitate. Si tamen deformatio, aut mors non ſequeretur, nulla contraheretur irregularitas, vt habetur in cap. ſi aliquis. de homicidio.

Item ſi deformatio eſſet in vno digito nō neceſſario ad celebrationem, vt idem Nauarrus probat cap. 27. num. 206. non eſſet irregularis. Diximus debere eſſe cauſam proximā, quia ſi ſit remota, non ſit irregularis, de hoc lege arg. cap. de occidendis. 23. quæſt. 5. & gloſſ. ſingul. cap. de cætero, de homicid.

Si quis etiam aliquem deformaret, ſeipſum ineuitabiliter defendendo, non eſſet irregularis, vt habetur in Clemen. 1. cum gloſſ. & ferè oībus Doctoribus de homicid. & Caiet. 22. q. 4. ar. 2.

Irre-

Irregularitas imaginaria, ſiue mentalis nulla eſt, vt docet Nauarr. in Manual. in varijs locis; quapropter Indulgentiæ Apoſtolicæ concedentes facultatem abſoluendi à cenſuris, ſunt ſano modo intelligendæ.

Neque is, qui aliquem armat, aut accommodat, ſiue emit arma in cauſa iuſta, ſi ex hoc naſcatur aliqua deformatio, non eſſet irregularis, de quo vide D. Anton. 3. p. tit. 28. cap. 2.

Hermaphroditus, qui vtrunq; ſexum habet, non eſt capax ordinum, ex ſententia D. Anton. 3. p. tit. 28. cap. 5. & habetur in arg. cap. illitteratos 36. diſt. & cap. fin. 45. diſt.

Qui eſt excommunicatus maiori excommunicatione, aut ſuſpenſus, ſiue interdictus, & ſuſcepit ordines ſacros, fit irregularis; ſicuti etiam, qui Sacramenta miniſtrat, de hoc lege cap. cum illorum de ſent. excom.

Qui publicus eſt peccator, & ante diſpenſationem ſuſcepit ordines, etiam peracta pœnitentia, grauiter peccaret, de quo lege cap. fin. de temp. ord. qualis eſt publicus concubinarius, de quo vide cap. veſtræ de cohabit. cler. & mul.

Qui ordines ſuſcepit ab Epiſcopo interdicto, ſuſpenſo, depoſito, aut degradato, vide Nauarrum in Manual. cap. 27. num. 242.

Eſt & aliud genus irregularitatis, quod contrahitur poſt ſuſceptos ordines, illis abutendo; vt ſi quis excommunicatus, vel aliqua cenſura illaqueatus, exequeretur actus alicuius ordinis ſacri, aut violaret interdictum, aut committeret aliquod magnum facinus, notum omnibus, de quibus hoc loco non loquimur, cum non faciat ad præſens inſtitutum.

Poſtremò interrogetur ordinādus, an recitet Horas canonicas, quas tenetur perſoluere ratione beneficij, aut ratione ordinis ſuſcepti, aut fortè ratione profeſſionis, ſi ſit regularis, hæc enim tria obligare dicuntur ad perſoluendas Horas canonicas, de quo vide Nauarrum in repetit. capit. quando. de cenſuris. diſt. prima.

Secunda pars officij Exam. in qua agitur de titulo, ætate, & tempore ordinandorum.

NOuerint examinatores ad recipiendum primam tõſuram, & conſequẽtes tres minores ordines, Oſtiarij.ſ. Lectoris, & Exorciſtæ, requiri completam ætatem ſeptem annorum, vt probat Villadiego in cap. fin. de tempore ordinand. lib. 6. & gloſſ. ſummæ 77. diſt. recepta, præſertim per Imolam in gloſſ. fin. de ætate, & qualitate ordin.

Nulli præterea eſſe conferendam primam tonſuram, niſi illi, qui confirmationis ſacramentum ſuſceperit, & fidei rudimenta, ac legere, & ſcribere ſit edoctus; & de quo certo conſtat eo animo illam petere, vt fiat eccleſiaſticus, & non propter ſolum priuilegium, de hoc vide ſuperius; & Concil. Triden. ſeſſ. 23. cap. 4. & cap. fin. de temp. ordin. in 6.

Ad ordinem Accolyti compleuiſſe oportet annum duodecimum, de quo in dicta Clem. final. de his quatuor ordinib. vide ſuperius, quæ ex Conc. Trident. adnotauimus ſeſſ. 23. capit. 9.

Ad ordinem ſubdiaconatus, oportet attigiſſe vigeſimum ſecundum; Conc. Trident. ſeſſ. 23. cap. 11.

Ad ordinem Diaconatus vigeſimum tertium. ibidem.

Ad ordinem Presbyteratus, vigeſimum quintũ, de quo lege Conc. Triden. ſeſſ. 23. cap. 11. cap. in veteri. diſt. 77. capit. generalem, de ætate, & qualit. ordin. in Clem. cap. monachus, diſt. 47. cap. nihil, de elect.

Vt autem conſecretur quis in Epiſcopum, debet compleuiſſe annum 30. de quo vide can. 6. Epiſcopus diſt. 77. & 78. Idem ſentit D. Thom. cum communi Theologorum ſententia in 4. diſt. 25. Conc. Lateran. cap. cum in cunctis. de elect. Clem. cõio. eccle. de ætate, & qualit. ordin. in 6. Conc. Trid. ſeſſ. 7. cap. 7. de reform.

Si quis autem ante legitimam ætatem reciperet ſacros ordines, puta ſi puer ſeptem annorum acciperet ordinem preſbyterij, is quamuis reciperet caracterem ordinis, non accipe

ret

ret tamen illius ordinis executionem, neque priuilegia, quæ tali executioni conueniunt, lege Bullam Sixti Quinti, vt docet Archid. cap. ſi quis ſuad. diab. 17.q.3. quamuis frui poſſit priuilegijs, quæ illi competunt ratione caracteris, qualia ſunt priuilegia Canonis, vt cõſtat ex cap. 2. de foro compet. Poteſt etiam alijs frui priuilegijs in foro, & iudicio exteriori.

Epiſcopi quotidie conferre poſſunt primam tonſurã, quatuor minores ordines, diebus Dominicis, & feſtis, cap. de eo autem, de temp. ordin. Sacros autem non poſſunt conferre, niſi ſtatutis a iure temporibus, de quo habes in Decreto diſt. 75. de tempor. ordin. can. 6. ordinationes, vt ſup. dictũ eſt.

Et illis temporibus conferre non poſſunt, niſi vnicum ordinem, & illum die Sabbathi, de qua re vide Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. ſubdiaconi, in §. duo, de ordin. collat cap. littera, & cap. delectus, de temp. ordin. hoc autem intelligendum eſt de iure; obtenta diſpenſatione, licebit quotidie ad illos promouere.

Vide tamen Bullam Siſti Quinti ſuper hoc editam.

Ordinationes ſacrorum ordinum celebrari debent publicè, præſentibus Canonicis in Cathedrali Eccleſia, aſcitis ſacerdotibus, & alijs prudentibus viris, peritis diuinæ legis, ac in eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatis.

Epiſcopi diligenter inquirant, & examinent ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem.

Quales autem debeant eſſe vita, & mores ordinandorum, vide Conc. Trident. eadem ſeſſ. 23. cap. 5. de hoc etiam vide libro primo in fine.

De Titulo.

INterrogetur deinde, qui ſacris initiari cupit, ad quem titulum velit ordines ſuſcipere; præcipiunt enim ſacri canones in Decreto diſt. 70. cap. neminem, & cap. ſanctorum, nullum eſſe admittendũ ad ſacros ordines, niſi prius conſtet habere vel ſufficiens beneficium, vel patrimonium ad debitam ſui ſuſtentationem; turpe enim eſſet clericum men-

dicare; de hoc lege Conc. Trident. ſeſſ. 21. cap. 2.

Regulares admittuntur ad titulum paupertatis, modo in religione approbata viuant poſt emiſſam profeſſionem, aut poſt tria vota emiſſa in religionibus, in quibus poſt aliquot annos emittitur profeſſio, qualis eſt religio Clericorum Societatis Ieſu, iuxta pium eorum inſtitutum, à ſancta Sede apoſtolica approbatum, de quo videre licebit Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 18.

Ex quotidiana praxi Romanæ Curiæ, & extra videmus Heremitas, & alios probatæ vitæ, ac doctrinæ viros ad ſacros ordines admitti ſine aliquo titulo, vel quia hoc redundat in maiorem vtilitatem proximi, & Eccleſiæ, vel propter alias rationabiles cauſas, quas loci Ordinarius maturè conſiderabit, quandoquidem id rarò fieri ſolet.

Ordinarius loci non niſi ſuos diœceſanos ad ſacros ordines admittere poteſt, de quo lege Conc. Triden. ſeſſ. 23. c. 8.

Regulares ratione ſuorum priuilegiorum, & de licentia ſuorum ſuperiorum, vide diſt. can. 12. ſi quis.

Reliquos verò de licentia ſuorum Ordinariorum, ſeu Sedis Apoſtolicæ, de quo lege diſt. 71. cap. 1. illud quoq;.

Si inueniantur aliqui in diœceſi, qui habeantur tanquam ciues loci illius, eo quod per multum temporis in eo fuerint commorati, hi etiam tanquam ſubditi admitti poſſunt, vt ex vſu conſtat quotidiano.

Epiſcopi familiares ſuos non ſubditos ordinare non poſſunt, niſi (vt dictum eſt ſupra) qui per trienniũ ſecum fuerint commorati, de quo vide Concil. Triden. ſeſſ. 23. cap. 9. cap. Epiſcopus de ordin. coll.

Tertia pars officij examin. in qua agitur de ſcientia ordinandi.

Simplex ſacerdos deputandus dũtaxat ad celebrandum, & ad diuina officia perſoluenda, ſciat legere, conſtruere, & cantare, vt habetur in argum. cap. final. & penultimi de ætate, & qualitate ord. & gloſſ. Clem. 1. de conſecrat. presbyt. quam Cardinalis, Panormit. & Imola probant ibid.

&

& Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 4. §. 11. 12. & 13.

Si verò ſacerdos futurus ſit miniſter ſacramẽtorum, & gerere debeat curam animarum, ſcire debet, quæ ſit materia, & quæ forma, ac intentio ſingulorum ſacramentorum. Item debitum modum adminiſtrandi huiuſmodi ſacramenta; de hoc lege Nauarrum in Manual. cap. 25. num. 138.

Si autem futurus eſt cõfeſſarius, debet primum habere poteſtatem iuriſd. de quo lege cap. 1. in princ. de pœnit. diſt. 6.

Secundò, habeat bonitatem, vt notat Nauarr. de pœniten. cap. 1. §. laboret, & §. ſacerdos diſt. 6.

Tertiò, debet habere ſcientiam, vt idem auctor docet, eadem diſt. cap. 1. §. caueat. quæ autem ſcientia requiratur, habes ex Summiſtis, ex Nauar. in Manual. de qua re habes multa inferius lib. 3. & 4.

Sed vt perfectus ſit confeſſarius, & ex ſe poſſit omnes caſus decidere, opus eſt, vt in ſua ſcientia includat Theologiã, vtrunque Ius ciuile, & canonicum, leges, & ſynodales conſtitutiones illius loci, in quo auditurus eſt confeſſiones, vt notat idem Nauarr. in Manual. cap. 4. num. 1.

Verum, quia non omnes poſſunt eſſe tales, ſat erit, vt ſit ſufficiẽs confeſſarius, ſi latinè intelligat, aut quouis alio idiomatè authores, qui hanc rem tractant, vt idem auctor monet ibidem.

Præterea ſcire debet diſcrimen inter peccatum mortale, & veniale, ac eorundem circunſtantias cognoſcere, eas potiſſimum, quæ mutant ſpeciem peccati, & aggrauant infinitè; & quæ peccata habeant annexam excommunicationem, ac reliquas cenſuras eccleſiaſticas. Debet etiam ſcire, qui ſint caſus Pontifici reſeruati, qui Epiſcopo, & qui habent annexam reſtitutionem, aut ſaltem ſciat in his diſtinctè, ac probabiliter dubitare, vt peritiores conſulere poſſit, cum opus fuerit.

Si præterea clericos eſt auditurus, ſcire debet caſus, ex quibus contrahitur irregularitas, & ſuſpenſio, de qua re, & ſuperius, & infra videre poteris multa. Hæc, quæ diximus modo, colliguntur partim ex ſancto Thom. in 4. diſt. 27. in expoſitione litteræ: Partim ex alijs Doctoribus, vt videre licet in cap. honoris, verſ. Sacerdos. de pœnit. & remiſſ. & ex Gaieta-

ietano in ſumma verbo confeſſori neceſſaria. Conſonum.ni videtur legi naturali vnumquemq; teneri ſcire neceſſario requiſita ad ſuum munus ritè, & rectè exequendum, vt habetur lib. 6. cap. non eſtis ſine culpa, de regul. iuris, cum annotatis eo loco.

Quapropter nō requiritur neceſſario in ipſo ſacerdote exquiſita ſcientia, ſed ſufficiens, vt benè notat Innocentius in cap cum in cunctis de elect. & probatur exemplo clericorum naſcentis Eccleſiæ, qui tales erant, & hæc conſuetudo à mille retro annis ſeruata eſt.

Regulariū quoq; habenda eſt ratio, ex quibus non eſt tanta ſcientia exigenda, ſed ea ſolum, quæ ad ſuum munus benè obeundum ſufficiat.

Illud quoque eſt aduertendum, aliquem ſacerdotem eſſe idoneum, qui in aliquo loco curam habeat animarum, qui non erit in alio.

Id demum ſatis eſſe probarem, vt recepturus primam tonſuram: ſciat ſaltem legere, & ſcribere, ſitq; edoctus in rudimentis fidei, vt habes in Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 4.

Qui minores ordines, latinam linguam ſaltem intelligat, & qui ſuæ vitæ bonum habeat teſtimonium.

Subdiaconus expeditè, & legat, & intelligat quemcunque auctorem eccleſiaſticum, qui illi proponitur: id autem intelligas iuxta canones grammaticorum; ſitq; ſufficienter verſatus in minoribus ordinibus; & fidei ſuæ rationem explicitè reddere ſciat, officijq; ab eo præſtandi, & inferiorum, & ſi ſit probatæ caſtitatis.

Diaconus expeditè legat, & melius, & expeditus intelligat, quam Subdiaconus, & ita intelligat ſaltem rudimenta fidei, & vitæ Chriſtianæ, & ſit aliquatenus in ſacris litteris verſatus.

Sacerdos verò latina lingua magis inſtructus eſſe debet, q̃ Diaconus; ſi tamen tantum ad celebrandum ordinatur, ſiue vt hunc tantum exerceat actū ſacerdotij, ſatis erit, vt habeat ſcientiam integritatis, & vſus huius ſacramenti, & cæterorū, quæ ad illud peragendū neceſſariò requiruntur, de hoc ſanctum Thom. in 4. q. 1. art. 3.

Qui

Qui verò omnes ſacerdotis actus voluerit exercere, aut curam animarum habere, tenetur ſcire; Primò, ea, quæ pertinet ad vſum, & integritatem ſacramentorum, eorum præſertim, quæ eſt adminiſtraturus.

Secundò, diſcernere peccata à peccatis, mortalia à venialibus, leuiora à grauioribus.

Tertiò, ſciat mederi infirmitatibus animarum, tanquam medicus ſpiritualis.

Quartò, Doctrinam fidei, & morum communem, & neceſſariam populo, de hoc lege Petrum de Soto in ſua inſtitutione, lict. ſecunda.

Quintò, demum habeat notitiam illorum omnium, quæ ad ſuum officium benè obeundum ſpectabunt: Habita ratione perſonæ; Beneficij, & aliarũ circunſtantiarum, quas prudens Examinator expendet.

Quocirca cum Dei Eccleſia nihil ſit precioſius, nihilque Deo charius, quàm rationales animæ precioſiſſimo Chriſti ſanguine redemptæ, efficitur planè, vt earum cura non Vicarijs, non mercenarijs ſit committenda, ſed per ipſos Eccleſiæ Præſules, & Paſtores, tùm in his, quæ ſuperius dicta ſunt, tùm etiam in ſequentibus, quorum hoc intereſt, agenda ſit: nam cum prima mulier diuini præcepti præuaricatrix fuerit; vir tamen primum à Domino interrogatur, quoniã vir caput eſt mulieris, vt hac ratione intelligant Prælati, & Paſtores, ſe prius in Dei iudicio, ante ſubditos, de ſubditorum ſceleribus interrogandos. Sic .n. cæteris Apoſtolis dormientibus, Petrus ante omnes his verbis corripitur, Simon dormis? qui alios ad vigilandum excitare debueras? Marc. 14. Vigilantiam, & ſollicitudinem D. Paulus cõmendans Prælatis, dixit; Qui præeſt in ſollicitudine, qua & ipſe vrgebatur, cum dixit, præter illa, quæ extrinſecus ſunt, inſtãtia mea quotidiana, ſollicitudo omnium eccleſiarum, 2. ad Corint. cap. 11. Quam quidem ſollicitudinem D. Bernard. his verbis deſcribẽs, ait: Magno certè vinculo adſtricti ſunt, qui pro multis animabus reddituri ſunt rationem. Quid ego infelix? quo me vertam? ſi tantũ teſaurum, ſi precioſum depoſitũ, illud quod Chriſtus ſibi ſanguine proprio precioſum

iudi-

iudicauit, contigerit mihi negligentius cuſtodire? Audio.n. Apoſtolum ita monentem, Attendite vobis, & vniuerſo gregi, Actum cap. 20.

Præterea in Exodo cap. 28. Vbi pontificalia indumenta Aaronis, & filiorũ deſcribuntur, ita præcepit Dominus: Portabitq; Aaron nomina filiorum Iſrael in rationale iudicij ſuper pectus ſuum, quando ingredietur ſanctuarium, memoriale coram Domino in æternum. Pones autem in rationale iudicij, doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino, & geſtabit iudicium filiorum Iſrael in conſpectu Domini ſemper: quò intelligerẽt Prælati, & Paſtores animarum, commiſſas ſibi animas, & in pectore per ardentem charitatem, & in humeris per aſſiduum laborem debere portari; & hac de cauſa, Chriſtus Dominus ter petijt ab Apoſtolo Petro, Simon diligis me plus his? cui tandem dixit, Paſce oues meas: Iuſſit etiam doctrinam, & veritatem in pectore Aaronis ponendas eſſe, quod eſt dicere, doctrinæ lucem, & vitæ perfectionem habere, quo Præſules facere poſſint, & docens, quæ duo propria omniũ ſacerdotũ munera, & ornamenta eſſe debent. Quibus verbis ſignificare voluit, futurũ eſſe, vt ſummus ille Sacerdos, & Pontifex Chriſtus Dñs factus Homo, ſubditos ſuos in humeris, & ſuper pectus ſuum, & ouem perditam portaret ad gregem. Quorum nomina ſcripta erant, non atramento, quod deleri poſſit, ſed ſtylo ferreo in lapidibus precioſis, vt intelligerent omnes euangelici Paſtores, & Rectores, debere ſe in animo ſubditos ſuos portare, nullamq; rem eſſe, quæ tãtam vim habeat, vt poſſit ſubditorum memoriam ex eorum animis delere. Intelligant præterea, quam charas Chriſtus habeat oues ſuas, & quanto amore ipſi præſules debeant ſubditos ſuos proſequi; pro quibus, ſi opus fuerit, ſanguinem ſuum fundere debeant. Portabat nomina in pectore, vt diſcant Paſtores non debere ab ouibus ſuis abeſſe, ſed eas videre, viſitare, & cognoſcere, earum deniq; neceſſitatibus prouidere, easq; aſſiduè verbo, & exemplo docere. Debeant inſuper hi, quibus animarum, & gregis Domini regendi, cura committitur, latrare, Lupos abigere; arguere, obſecrare, increpare, in omni

ni (vt inquit Apoſtolus) patientia, & doctrina; quapropter non tantum Diuum Paulum docentem Thimoteũ, ſed etiam ipſum Dominum ad Ezechielem ita loquentem audire, cap. 3. Fili hominis ſpeculatorem te dedi domui Iſrael, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me: Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, nec locutus fueris, vt auertatur à via ſua impia, & viuat, & ipſe impius in iniquitate ſuà moriatur, ſanguinem eius de manu tua requiram. Contremiſcant igitur Paſtores, & animarum cuſtodes, & videant, quam multa ora habere debeant, & quam multos oculos, vt poſſint latrare, & videre, atq; ea, quæ ſui ſunt muneris, exercere, ne iure dici poſſint Canes muti non valentes latrare, Iſaiæ cap. 56. & ſpeculatores cœci: Nã ſi ſpeculator ſit cęcus; Dux claudus; Præco mutus, quis non videat maximã inde oriri perniciẽ, & confuſionẽ? Nihil .n. eſt, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultũ aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui ſe diuino miniſterio dedicarunt; in eos .n. tanquam in ſpeculum, reliqui omnes oculos conijciunt, ex hisq; ſumunt quod imitentur; quare ſic decet Præſules, & quoſcunq; clericos in ſortem Domini vocatos, vitam, moresq; componere, vt habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, alijsq; rebus omnibus, nihil niſi graue, moderatum, ac religione plenum præſeferant, leuia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem.

Prælatus, & Sacerdos cor populi appellatur. In Iſaia enim legimus cap. 19. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubẽ leuem, & ingredietur Aegyptum, & cor Aegypti tabeſcet in medio eius: per cor intellige Præſulem, & Sacerdotem; nam vt cor primò recipit vitam ab anima, & transfundit in corpus, quaſi medium inter corpus, & animã: ita Sacerdos debet eſſe medius inter Deum, & populum; eſſe in medio illis incumbit, quibus demandata eſt cura regendi: Vt .n. fons ille eſt laudabilis, qui in medio Ciuitatis collocatus eſt; & ſicut centrum eſt in medio ſpheræ, à quo omnes lineæ ad circumferentiam ſunt æquales, ita Rector populi in medio debet collocari, à quo omnes iuſtitiæ actiones debent erga populum in æqua-

litate conſiſtere. Et ſicut cor eſt fons quidam omnium ſenſuum, in quo viget perennis quædam motio, ex qua arteriarum curſus proficiſcitur; ſic ex Prælato, & Sacerdote exire debent crebræ præcationes, ſolida, atque ſancta doctrina, & inſignes virtutes, quibus populus adiuuetur, ac ad virtutem incitetur, ac moueatur. Et ſicut cor habet ſedem in medio pectoris, ſic Præſul debet omnibus eſſe communis; præterea corde ſano, & incolumi, membra ſancia, ſanitatem recuperare poſſunt: at ſaucio, & percuſſo corde, nulla eſt ſpes ſalutis recuperandæ; ita ſi populus in ægritudinem vitiorum inciderit, corrupto, & contaminato Præſule, quæ ſpes ſalutis ſupererit? Si enim lucerna extinguitur; ſi lux obſcuratur; ſi nauclerus mergitur; ſi dux amittitur, quæ ſpes in cæteris? & ſi ſal infatuatur, in quo ſalietur? Qualis enim eſt Rector Ciuitatis, tales & habitantes in ea; Nam ſicut columnæ vmbra, ipſam imitatur columnam, vt ſi columna recta ſit, vmbra in rectitudinem tendat; ſi verò curua, & obliqua, eodem modo vmbra ſe habeat; ſic populus Præſulem, & Sacerdotem imitatur.

Præterea ſi Præſules conſideres, qui ſint ſceleribus contaminati, titiones eſſe non lucentes, ſed comburentes, & fumigantes dixeris, iuxta illud Iſaiæ cap. 7. qui dicebat; Cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium; qui vitam ſuam, & aliorum ad certam rationis normam dirigunt, iuſtitiamq; humanis opibus anteponunt, virtute, vita, exēploq; mundum illuminant, eamq; ob cauſam lucem mundi: & è contra iniquos Præſules, & malos Sacerdotes titiones fumigantes, rectè poteris appellare, nullum ſplendorem emittentes, ſed comburentes, fumigantes, oculos aggrauantes, & ad lachrymas alios prouocantes; immò totam domum, cōgregationemq; contaminantes, malorumq; exemplorum nigredine afficientes.

Comparatur Præſul iniquus titioni, non ex vna tantū cauda fumiganti, ſed duabus; quoniam nulla eum parte accipere poteris quin comburaris: nam ſi eum monueris, te exulcerabit; vehementerq; opprimet: ſi eum laudas, adulationibus fallis; tu teipſum perdis, & animæ tuæ perniciem paras.

Quod

Quod de Epiſcopis hactenus dictum eſt, omnibus eſt commune, in his, quæ ad munus epiſcopale, & paſtorale officium exequendum ſpectant; ſi quæ ſunt alia, quæ illis non ſint cõmunia, in pontificalibus videnda relinquo.

Secundus gradus ſacerdotij eſt Archiepiſcoporum.

ARchiepiſcopus Græcè dicitur, qui pluribus Epiſcopis præeſt, qui tenet vicem apoſtolicam, & præſidet cæteris Epiſcopis alicuius Prouinciæ. Quãuis Epiſcopus, Archiepiſcopus, Patriarcha, Metropolitanus, Primas non vno eodemq; vocabulo, Epiſcopi nominentur: ſed ideo priuato nomine quidam vtuntur propter diſtinctionem poteſtatum, quam ſingulariter acceperunt: nam Epiſcopus ſpeculator, ſeu ſuperintendens dicitur. Archiepiſcopus verò, princeps Epiſcoporum; is.n.non tantum ſuperintendit populo, & Clero, ſed etiam ipſis ſuæ prouinciæ Epiſcopis. Metropolitanus ſic dicitur à menſura Ciuitatum, quia ſingulis prouincijs præminet, illiq; totius prouinciæ ſollicitudo cõmiſſa eſt. cap. cleros.

Patriarcha, pater patrum dicitur, ſeu princeps patrum.

Pontifex, ſeu Papa dicitur ſummus Sacerdos, ac Pontifex maximus.

Archiepiſcopus in locis exemptis ſuæ prouinciæ quinque facere poteſt, vt inquit tex. in Clem. fin. de priuil.

Primum, poteſt ante ſe Crucem deferre.

Secundum, benedicere ſolemniter populum, dicens; Sit nomen Domini benedictum.

Tertium, Diuina Officia priuatim, vel publicè audire.

Quartum, celebrare etiam in pontificalibus cum pallio.

Quintum, celebrare facere in ſui præſentiam ſine pontificalibus.

Et eſt notandum quamuis delatio Crucis non ſit contentioſæ iuriſdictionis, inſigne tamen eſt, ſuperioritatem oſtendens; hinc eſt, quod Archiepiſcopus non poteſt vti in loco exempto ſine priuilegio; quod tamen conceditur ex priuilegio; ceſſante.n.priuilegio nõ poteſt Archiepiſcopus vti inſignijs

Digitized by Google

in eodem loco videantur eſſe plures prælati: qui Panormit. etiam notat, quod iſtorum nullus poteſt extra ſuum territorium vti inſignijs denotantibus ſuperioritatem, niſi illis ex priuilegio ſit conceſſum à Romano Pontifice, quia hoc tēdit in præiudicium aliorum, ex quo infertur, quod Patriarcha, Archiepiſcopus, vel Epiſcopus non poſſunt ſolemniter benedicere extra ſuam diœceſim: cum per hoc dimittantur peccata venialia, quæ niſi per ſuperiorem dimitti non poſſunt, de pœnit. & remiſſ. cap. quod autem. Inſignijs autem denotantibus dignitatem, vel perfectionem, aut grauitatem perſonæ inſignitæ, vt eſt delatio annuli, celebratio in pontificalibus, & veſtes caudatæ, vti poſſunt etiam extra ſuam diœceſim, & iuriſdictionem.

Quartum Priuilegiũ eſt, quia ad ipſos omiſſis medijs appellatur, præſertim vbi hoc illis datur in priuilegium; quod nullum eſſet, ſi ad eos appellari non poſſet omiſſis medijs, cum de iure communi ab Archiepiſcopo ad Patriarcham appellatur, vt 6. q. 4. cap. ſi inter.

Patriarcha verò, & primates habent iuriſdictionem in ſubditos ſuorum Suffraganeorum in multis caſibus, videlicet:

Primo, cum appellatur ad eos, diſt. 99. cap. prouinciæ.

Secundo, cum vacat Eccleſia Metropolitana, & poſtulatur primas, vt diſponat de rebus ad Metropolitanum ſpectātibus cuſtodiendis, de off. ord. præſenti lib. 6.

Tertio, cum ex conſuetudine, & priuilegio illi ſit conceſſum, 9. q. 3. conqueſtus.

Quarto, cum ſuper arduo negotio dubitatur, nec poteſt in prouinciali concilio terminari; tunc.n. Metropolitanus debet primatem conſulere, diſt. 18. de concilijs.

Quinto, cum Metropolitanus eſt negligens, vel remiſſus, quia tunc poteſt primas ſupplere illius defectus, 9. q. 3. cum ſimus.

Sexto, cum quis conqueritur de Metropolitano, tunc primas eſt Iudex, 11. q. 1. ſi clericus.

Septimo, cum ſubditus Metropolitani conqueritur apud primatem, quòd illum iniuſtè excommunicauerit: & primas remittit illum ad Metropolitanum, vt eum abſoluat: illeque

abſq;

abſolutionem obtinere non poſſit, tunc primas eum abſoluat, præcipiens, vt ſatisfaciat Metropolitano, aliter reduceret illum in eãdem ſententiam, niſi conſtiterit eum iniuſtè excommunicatum, vt in cap. ad reprimendam, de off. ord.

Octauo, cum Archiepiſcopus, vel Epiſcopus fecit mandatum illicitum, vel iniuſtũ, & ſubditus appellauit ad Papam; quia poterit Patriarcha declarare iuſtè fuiſſe appellatum, vt arg. de appell. cap. ſollicitudinem.

In Ciuitatibus, & locis, in quibus gentilium primates pręſidere ſolebant, multis ante Chriſti aduentum temporibus, poſteius aduentum, Apoſtoli eorumq; ſucceſſores poſuerũt Patriarchas, ſeu primates, ad quos Epiſcoporum negotia (ſalua ſemper Apoſtolica auctoritate) & maiores cauſę poſt Apoſtolicam Sedem, erant referendæ, vt habetur cap. Vrbes, & loca, 80. diſt. Poſtquam autem Vrbes, & loca prædicta in poteſtatem infidelium deuenerunt, nominibus tantum retentis, cætera ferè omnia corruerunt; Factum eſt tamen, vt Romæ ſint quinque Eccleſiæ, quæ Patriarchales nominantur, videlicet:

Eccleſia ſancti Ioannis Lateranenſis, quæ habet Decanum Cardinalem.

Eccleſia ſancti Petri, quæ habet Archipresbyterum Cardinalem.

Eccleſia ſancti Pauli extra muros, quæ habet Abbatem ſancti Benedicti.

Eccleſia ſanctæ Mariæ maioris, quæ habet Archipresbyt. Cardinalem.

Eccleſia ſancti Laurentij extra muros, quæ habet Abbatem ſancti Bened.

Cæteris Vrbis Eccleſijs aſſignati ſunt 28. presbyteri Cardinales, & 18. Diaconi, quibus datæ ſunt ii. titulum.

Epiſcopi verò, qui ſunt ſub Romano Pontifice, nec ſunt in alterius prouincia conſtituti, ſunt ſex, videlicet:

Oſtienſis, ſeu Velletrenſis, Portuenſis, ſeu ſanctæ Ruffinæ, Sabinenſis, Tuſculanenſis, Præneſtinus, & Albanenſis. Qui oẽs dicuntur Epiſcopi Cardinales, qui fratres appellantur à Papa, qui eſt quintus, ſupremusq; Patriarcha, quem iure Diuino

ietano in ſumma verbo confeſſori neceſſaria. Conſonum nã videtur legi naturali vnumquemq; teneri ſcire neceſſario requiſita ad ſuum munus ritè,& rectè exequendum, vt habetur lib. 6. cap.non eſtis ſine culpa, de regul. iuris, cum annotatis eo loco.

Quapropter nõ requiritur neceſſario in ipſo ſacerdote exquiſita ſcientia, ſed ſufficiens, vt benè notat Innocentius in cap.cum in cunctis de elect.& probatur exemplo clericorum naſcentis Eccleſiæ, qui tales erant, & hæc conſuetudo à mille retro annis ſeruata eſt.

Regulariũ quoq; habenda eſt ratio,ex quibus non eſt tanta ſcientia exigenda, ſed ea ſolum, quæ ad ſuum munus benè obeundum ſufficiat.

Illud quoque eſt aduertendum,aliquem ſacerdotem eſſe idoneum,qui in aliquo loco curam habeat animarum, qui non erit in alio.

Id demum ſatis eſſe probarem, vt recepturus primam tonſuram : ſciat ſaltem legere, & ſcribere, ſitq; edoctus in rudimentis fidei, vt habes in Concil. Trident. ſeſſ.23. cap.4.

Qui minores ordines, latinam linguam ſaltem intelligat, & qui ſuæ vitæ bonum habeat teſtimonium.

Subdiaconus expeditè, & legat, & intelligat quemcunque auctorem eccleſiaſticum, qui illi proponitur: id autem intelligas iuxta canones grammaticorum; ſitq; ſufficienter verſatus in minoribus ordinibus; & fidei ſuæ rationem explicitè reddere ſciat, officijq; ab eo præſtandi, & inferiorum, & ſi ſit probatæ caſtitatis.

Diaconus expeditè legat, & melius, & expeditus intelligat, quam Subdiaconus, & ita intelligat ſaltem rudimenta fidei, & vitæ Chriſtianæ, & ſit aliquatenus in ſacris litteris verſatus.

Sacerdos verò latina lingua magis inſtructus eſſe debet, q̃ Diaconus; ſi tamen tantum ad celebrandum ordinatur, ſiue vt hunc tantum exerceat actũ ſacerdotij, ſatis erit, vt habeat ſcientiam integritatis, & vſus huius ſacramenti, & cæterorũ, quæ ad illud peragendũ neceſſariò requiruntur, de hoc ſanctum Thom. in 4. q. 1. art. 3.

Qui

Qui verò omnes ſacerdotis actus voluerit exercere, aut curam animarum habere, tenetur ſcire; Primò, ea, quæ pertinēt ad vſum, & integritatem ſacramentorum, eorum præſertim, quæ eſt adminiſtraturus.

Secundò, diſcernere peccata à peccatis, mortalia à venialibus, leuiora à grauioribus.

Tertiò, ſciat mederi infirmitatibus animarum, tanquam medicus ſpiritualis.

Quartò, Doctrinam fidei, & morum communem, & neceſſariam populo, de hoc lege Petrum de Soto in ſua inſtitutione, lict. ſecunda.

Quintò, demum habeat notitiam illorum omnium, quæ ad ſuum officium benè obeundum ſpectabunt: Habita ratione perſonæ; Beneficij, & aliarū circunſtantiarum, quas prudens Examinator expendet.

Quocirca cum Dei Eccleſia nihil ſit precioſius, nihilque Deo charius, quàm rationales animæ precioſiſſimo Chriſti ſanguine redemptæ, efficitur planè, vt earum cura non Vicarijs, non mercenarijs ſit committenda, ſed per ipſos Eccleſiæ Præſules, & Paſtores, tùm in his, quæ ſuperius dicta ſunt, tùm etiam in ſequentibus, quorum hoc intereſt, agenda ſit: nam cum prima mulier diuini præcepti præuaricatrix fuerit; vir tamen primum à Domino interrogatur, quoniā vir caput eſt mulieris, vt hac ratione intelligant Prælati, & Paſtores, ſe prius in Dei iudicio, ante ſubditos, de ſubditorum ſceleribus interrogandos. Sic .n. cæteris Apoſtolis dormientibus, Petrus ante omnes his verbis corripitur, Simon dormis? qui alios ad vigilandum excitare debueras? Marc. 14. Vigilantiam, & ſollicitudinem D. Paulus cōmendans Prælatis, dixit; Qui præeſt in ſollicitudine, qua & ipſe vrgebatur, cum dixit, præter illa, quæ extrinſecus ſunt, inſtātia mea quotidiana, ſollicitudo omnium eccleſiarum, 2. ad Corint. cap. 11. Quam quidem ſollicitudinem D. Bernard. his verbis deſcribēs, ait: Magno certè vinculo adſtricti ſunt, qui pro multis animabus reddituri ſunt rationem. Quid ego infelix? quo me vertam? ſi tantū teſaurum, ſi precioſum depoſitū, illud quod Chriſtus ſibi ſanguine proprio precioſum

iudi-

iudicauit, contigerit mihi negligentius cuſtodire? Audio.n. Apoſtolum ita monentem, Attendite vobis, & vniuerſo gregi, Actum cap. 20.

Præterea in Exodo cap. 28. Vbi pontificalia indumenta Aaronis, & filiorũ deſcribuntur, ita præcepit Dominus: Portabitq; Aaron nomina filiorum Iſrael in rationale iudicij ſuper pectus ſuum, quando ingredietur ſanctuarium, memoriale coram Domino in æternum. Pones autem in rationale iudicij, doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino, & geſtabit iudicium filiorum Iſrael in conſpectu Domini ſemper: quò intelligerẽt Prælati, & Paſtores animarum, commiſſas ſibi animas, & in pectore per ardentem charitatem, & in humeris per aſſiduum laborem debere portari; & hac de cauſa, Chriſtus Dominus ter petijt ab Apoſtolo Petro, Simon diligis me plus his? cui tandem dixit, Paſce oues meas: Iuſſit etiam doctrinam, & veritatem in pectore Aaronis ponendas eſſe, quod eſt dicere, doctrinæ lucem, & vitæ perfectionem habere, quo Præſules facere poſſint, & docens, quæ duo propria omniũ ſacerdotũ munera, & ornamenta eſſe debent. Quibus verbis ſignificare voluit, futurũ eſſe, vt ſummus ille Sacerdos, & Pontifex Chriſtus Dñs factus Homo, ſubditos ſuos in humeris, & ſuper pectus ſuum, & ouem perditam portaret ad gregem. Quorum nomina ſcripta erant, non atramento, quod deleri poſſit; ſed ſtylo ferreo in lapidibus precioſis, vt intelligerent omnes euangelici Paſtores, & Rectores, debere ſe in animo ſubditos ſuos portare, nullamq; rem eſſe, quæ tãtam vim habeat, vt poſſit ſubditorum memoriam ex eorum animis delere. Intelligant præterea, quam charas Chriſtus habeat oues ſuas, & quanto amore ipſi præſules debeant ſubditos ſuos proſequi; pro quibus, ſi opus fuerit, ſanguinem ſuum fundere debeant. Portabat nomina in pectore, vt diſcant Paſtores non debere ab ouibus ſuis abeſſe, ſed eas videre, viſitare, & cognoſcere, earum deniq; neceſſitatibus prouidere, easq; aſſiduè verbo, & exemplo docere. Debeant inſuper hi, quibus animarum, & gregis Domini regendi, cura committitur, latrare, Lupos abigere; arguere, obſecrare, increpare, in omni

ni (vt inquit Apoſtolus) patientia, & doctrina; quapropter non tantum Diuum Paulum docentem Thimoteũ, ſed etiam ipſum Dominum ad Ezechielem ita loquentem audire, cap. 3. Fili hominis ſpeculatorem te dedi domui Iſrael, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me: Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, nec locutus fueris, vt auertatur à via ſua impia, & viuat, & ipſe impius in iniquitate ſuà moriatur, ſanguinem eius de manu tua requiram. Contremiſcant igitur Paſtores, & animarum cuſtodes, & videant, quam multa ora habere debeant, & quam multos oculos, vt poſſint latrare, & videre, atq; ea, quæ ſui ſunt muneris, exercere, ne iure dici poſſint Canes muti non valentes latrare, Iſaiæ.cap.56.& ſpeculatores cœci: Nã ſi ſpeculator ſit cęcus; Dux claudus; Præco mutus, quis non videat maximã inde oriri perniciẽ, & confuſionẽ? Nihil .n.eſt, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultũ aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui ſe diuino miniſterio dedicatunt; in eos.n.tanquam in ſpeculum, reliqui omnes oculos conijciunt, ex hisq; ſumunt quod imitentur; quare ſic decet Præſules, & quoſcunq; clericos in ſortem Domini vocatos, vitam, moresq; componere, vt habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, alijsq; rebus omnibus, nihil niſi graue, moderatum, ac religione plenum præſeferant, leuia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem.

Prælatus, & Sacerdos cor populi appellatur. In Iſaia enim legimus cap. 19. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubẽ leuem, & ingredietur Aegyptum, & cor Aegypti tabeſcet in medio eius: per cor intellige Præſulem, & Sacerdotem; nam vt cor primò recipit vitam ab anima, & transfundit in corpus, quaſi medium inter corpus, & animã: ita Sacerdos debet eſſe medius inter Deum, & populum; eſſe in medio illis incumbit, quibus demandata eſt cura regendi: Vt.n.fons ille eſt laudabilis, qui in medio Ciuitatis collocatus eſt; & ſicut centrum eſt in medio ſpheræ, à quo omnes lineæ ad circumferentiam ſunt æquales, ita Rector populi in medio debet collocari, à quo omnes iuſtitiæ actiones debent erga populum in æqualita-

litate conſiſtere. Et ſicut cor eſt fons quidam omnium ſenſuum, in quo viget perennis quædam motio, ex qua arteriarum curſus proficiſcitur; ſic ex Prælato, & Sacerdote exire debent crebræ præcationes, ſolida, atque ſancta doctrina, & inſignes virtutes, quibus populus adiuuetur, ac ad virtutem incitetur, ac moueatur. Et ſicut cor habet ſedem in medio pectoris, ſic Præſul debet omnibus eſſe communis; præterea corde ſano, & incolumi, membra ſaucia, ſanitatem recuperare poſſunt: at ſaucio, & percuſſo corde, nulla eſt ſpes ſalutis recuperandę; ita ſi populus in ægritudinem vitiorum inciderit, corrupto, & contaminato Præſule, quæ ſpes ſalutis ſupererit? Si enim lucerna extinguitur; ſi lux obſcuratur; ſi nauclerus mergitur; ſi dux amittitur, quæ ſpes in cæteris? & ſi ſal infatuatur, in quo ſalietur? Qualis.n.eſt Rector Ciuitatis, tales & habitantes in ea; Nam ſicut columnæ vmbra, ipſam imitatur columnam, vt ſi columna recta ſit, vmbra in rectitudinem tendat; ſi verò curua, & obliqua, eodem modo vmbra ſe habeat; ſic populus Præſulem, & Sacerdotem imitatur.

Præterea ſi Pręſules conſideres, qui ſint ſceleribus contaminati, titiones eſſe non lucentes, ſed comburentes, & fumigātes dixeris, iuxta illud Iſaiæ cap. 7. qui dicebat; Cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium; qui vitam ſuam, & aliorum ad certam rationis normam dirigunt, iuſtitiamq; humanis opibus anteponunt, virtute, vita, exēploq; mundum illuminant, eamq; ob cauſam lucem mundi: & è contra iniquos Præſules, & malos Sacerdotes titiones fumigantes, rectè poteris appellare, nullum ſplendorem emittentes, ſed comburentes, fumigantes, oculos aggrauantes, & ad lachrymas alios prouocantes; immò totam domum, cōgregationemq; contaminantes, malorumq; exemplorum nigredine afficientes.

Comparatur Præſul iniquus titioni, non ex vna tantū cauda fumiganti, ſed duabus; quoniam nulla eum parte accipere poteris quin comburaris: nam ſi eum monueris, te exulcerabit; vehementerq; opprimet: ſi eum laudas, adulationibus fallis; tu teipſum perdis, & animæ tuæ perniciem paras.

Quod

Quod de Epiſcopis hactenus dictum eſt, omnibus eſt commune, in his, quæ ad munus epiſcopale, & paſtorale officium exequendum ſpectant; ſi quæ ſunt alia, quæ illis non ſiut cōmunia, in pontificalibus videnda relinquo.

Secundus gradus ſacerdotij eſt Archiepiſcoporum.

ARchiepiſcopus Græcè dicitur, qui pluribus Epiſcopis præeſt, qui tenet vicem apoſtolicam, & præſidet cæteris Epiſcopis alicuius Prouinciæ. Quãuis Epiſcopus, Archiepiſcopus, Patriarcha, Metropolitanus, Primas non vno eodemq; vocabulo, Epiſcopi nominentur: ſed ideo priuato nomine quidam vtuntur propter diſtinctionem poteſtatum, quam ſingulariter acceperunt: nam Epiſcopus ſpeculator, ſeu ſuperintendens dicitur. Archiepiſcopus verò, princeps Epiſcoporum; is.n.non tantum ſuperintendit populo, & Clero, ſed etiam ipſis ſuæ prouinciæ Epiſcopis. Metropolitanus ſic dicitur à menſura Ciuitatum, quia ſingulis prouincijs præminet, illiq; totius prouinciæ ſollicitudo cōmiſſa eſt. cap. cleros.

Patriarcha, pater patrum dicitur, ſeu princeps patrum.

Pontifex, ſeu Papa dicitur ſummus Sacerdos, ac Pontifex maximus.

Archiepiſcopus in locis exemptis ſuæ prouinciæ quinque facere poteſt, vt inquit tex. in Clem. fin. de priuil.

Primum, poteſt ante ſe Crucem deferre.

Secundum, benedicere ſolemniter populum, dicens; Sit nomen Domini benedictum.

Tertium, Diuina Officia priuatim, vel publicè audire.

Quartum, celebrare etiam in pontificalibus cum pallio.

Quintum, celebrare facere in ſui præſentiam ſine pontificalibus.

Et eſt notandum quamuis delatio Crucis non ſit contentioſæ iuriſdictionis, inſigne tamen eſt, ſuperioritatem oſtendens; hinc eſt, quod Archiepiſcopus non poteſt vti in loco exempto ſine priuilegio; quod tamen conceditur ex priuilegio; ceſſante.n.priuilegio nō poteſt Archiepiſcopus vti inſi-

gnijs deſignantibus officium, ſeu adminiſtrationem, ſicuti eſt pallium in Archiepiſcopo, vel mitra, & baculus in Epiſcopo ſine ſpeciali licentia Papæ: De vſu pallij ex tuarum, nec poteſt vti alijs Epiſcopalibus exercendo aliquid, vt chriſmare, ordinare, aut abſoluere ab excommunicatione ſine licẽtia illius diœceſani, 9. q. 2. per totum.

Pallium eſt inſigne ornamentum Archiepiſcopi de corpore B. Petri ſumptum, cap. cleros diſt. 21. quod ex priuilegio etiam Epiſcopo aliquando conceditur, vt patet in cap. cum in iuuentute, de præſumpt. quod pallium, ſeu ornamentum eſt ad modum ſtolæ ſacerdotalis, nigris crucibus intextum, ſuper alia ornamenta delatum, humeros, pectusq; ad ſimilitudinem coronæ circundans, & ante depẽdens, ſignificansq; plenitudinem pontificalis officij; hoc ſolus Papa ſemper, & vbiq; vtitur. Archiepiſcopus verò, & Patriarcha in Miſſarum ſolemnijs tantùm, & in Eccleſijs ſuæ prouinciæ, non aũt extra Eccleſiam, non in proceſſionibus, nec in diebus non contentis in ſuo priuilegio: hoc etiam non poteſt Archiepiſcopus alteri commodare, vel relinquere, ſed debet cum eo ſepeliri; quia perſonam eius non tranſit. de vſu pallij, cap. ex tuarũ, & cap. ad hoc eodẽ tit.

Sine illo tamen poteſt aliquando celebrare in ſua, vel aliena diœceſi; ſicuti etiam ſine ſandalijs: quod pallium quando, quomodo, & à quo ſit petendum, lege Silu. verbo pall.

Archiepiſcopus, & Metropolitanus nomina ſunt ſinonyma idem ſignificantia, licet diuerſimodè deriuentur.

Archiepiſcopus habet pinguius ius in Epiſcopos, quàm in eorum ſubditos, ſuamq; iuriſdictionem in tota ſua prouincia exercere poteſt, vt Innocentio placet, & Panorm. in cap. ex frequentibus, de inſtit.

Archiepiſcopus cognoſcere poteſt de crimine Epiſcoporum, eosq; punire, vt in cap. ſacro, de ſent. excom. licet non poſſit procedere ad eorum depoſitionem, quæ ſoli Papæ reſeruatur, vt in cap. 2. de tranſl. prælat.

Archiepiſcopus iure nouo non poteſt audire cauſas, quæ p appellationẽ, vel alio iure metropolitico deferũtur ad ipſum; nec poteſt eaſdem alibi committere, quam in ſua Ciuitate,

tate, vel diœceſi, aut in eis, in quibus fuit appellatū, vel cauſæ ipſę conſiſtunt, niſi aliud ſibi competat de conſuetudine, de off. ord. litigantes, lib. 6.

Archiepiſcopus habet iuriſdictionem ordinariam in ſubditos ſuorum Epiſcoporum in multis, quæ notantur in cap. paſtoralis, de off. ord. quæ videre poteris in Silueſtro verbo Archiepiſcopus, q. 2. vbi etiam alia multa videre licebit.

Tertius gradus ſacerdotij eſt Patriarcharum.

PAtriarcha Græcum nomen eſt, quod apud latinos ſonat idem, quod ſummus, vel princeps patrum. Patres autem animarum dicuntur Epiſcopi, & Sacerdotes omnes, quibus animarum, & populorum cura, tanquam patribus cōmendatur: hic alio nomine dicitur Primas, non re, ſed nomine, diſt. 99. prouinciæ: Nam propriè, ſeu principaliter primates tãtum quattuor numerantur, poſt Romanum Pontificē hoc ordine, vt Conſtantinopolitanus ſit primus ob Imperij dignitatem, & maieſtatē, quamuis ei poſt omnes alios hic honos delatus ſit.

Alexandrinus alius, cuius Eccleſiam Marcus Euangeliſta iuſſu principis Apoſtolorum fundauit.

Antiochenus tertius, vbi Petrus Apoſtolus primum ſedem locauit.

Hieroſolymitanus quartus, quam Eccleſiam Iacobus frater Domini erexit.

Horum quattuor erant priuilegia principalia, vt videre licet ex cap. antiqua.

Primum priuilegium erat, quod poſtquam palliū ab Apoſtolica Sede acceperunt, illud conferebant Metropolitanis ſuis.

Secundum, recipiunt fidelitatis, & obedientiæ iuramentum pro ſe, & pro ſancta Romana Eccleſia.

Tertium, faciunt ante ſe vbiq; Crucē deferri, præterquam in Vrbe Romana, & vbi fuerit Papa, vel eius Legatus vtens inſignijs papalibus, quæ ſecūdum Panorm. ſunt veſtis Rubea, palafrenus albus, frenum, & calcaria deaurata, & hoc fit, ne

in-

in eodem loco videantur eſſe plures prælati: qui Panormit. etiam notat, quod iſtorum nullus poteſt extra ſuum territorium vti inſignijs denotantibus ſuperioritatem, niſi illis ex priuilegio ſit conceſſum à Romano Pontifice, quia hoc cedit in præiudicium aliorum, ex quo infertur, quod Patriarcha, Archiepiſcopus, vel Epiſcopus non poſſunt ſolemniter benedicere extra ſuam diœceſim: cum per hoc dimittantur peccata venialia, quæ niſi per ſuperiorem dimitti non poſſunt, de pœnit. & remiſſ. cap. quod autem. Inſignijs autem denotantibus dignitatem, vel perfectionem, aut grauitatem perſonæ inſignitæ, vt eſt delatio annuli, celebratio in pontificalibus, & veſtes caudatæ, vti poſſunt etiam extra ſuam diœceſim, & iuriſdictionem.

Quartum Priuilegiũ eſt, quia ad ipſos omiſſis medijs appellatur, præſertim vbi hoc illis datur in priuilegium; quod nullum eſſet, ſi ad eos appellari non poſſet omiſſis medijs, cum de iure communi ab Archiepiſcopo ad Patriarcham appellatur, vt 6. q. 4. cap. ſi inter.

Patriarcha verò, & primates habent iuriſdictionem in ſubditos ſuorum Suffraganeorum in multis caſibus, videlicet.

Primo, cum appellatur ad eos, diſt. 99. cap. prouinciæ.

Secundo, cum vacat Eccleſia Metropolitana, & poſtulatur primas, vt diſponat de rebus ad Metropolitanum ſpectãtibus cuſtodiendis, de off. ord. præſenti lib. 6.

Tertio, cum ex conſuetudine, & priuilegio illi ſit conceſſum, 9. q. 3. conqueſtus.

Quarto, cum ſuper arduo negotio dubitatur, nec poteſt in prouinciali concilio terminari; tunc.n. Metropolitanus debet primatem conſulere, diſt. 18. de concilijs.

Quinto, cum Metropolitanus eſt negligens, vel remiſſus, quia tunc poteſt primas ſupplere illius defectus, 9. q. 3. cum ſimus.

Sexto, cum quis conqueritur de Metropolitano, tunc primas eſt Iudex, 11. q. 1. ſi clericus.

Septimo, cum ſubditus Metropolitani conqueritur apud primatem, quòd illum iniuſtè excommunicauerit: & primas remittit illum ad Metropolitanum, vt eum abſoluat: illeque

abſq;

abſolutionem obtinere non poſſit, tunc primas eum abſoluat, præcipiens, vt ſatisfaciat Metropolitano, aliter reducetet illum in eãdem ſententiam, niſi conſtiterit eum iniuſtè excommunicatum, vt in cap. ad reprimendam, de off. ord.

Octauo, cum Archiepiſcopus, vel Epiſcopus fecit mandatum illicitum, vel iniuſtũ, & ſubditus appellauit ad Papam; quia poterit Patriarcha declarare iuſtè fuiſſe appellatum, vt arg. de appell. cap. ſollicitudinem.

In Ciuitatibus, & locis, in quibus gentilium primates prę ſidere ſolebant, multis ante Chriſti aduentum temporibus, poſt eius aduentum, Apoſtoli eorumq; ſucceſſores poſuerũt Patriarchas, ſeu primates, ad quos Epiſcoporum negotia (ſalua ſemper Apoſtolica auctoritate) & maiores cauſę poſt Apoſtolicam Sedem, erant referendæ, vt habetur cap. Vrbes, & loca, 80. diſt. Poſtquam autem Vrbes, & loca prædicta in poteſtatem infidelium deuenerunt, nominibus tantum retentis, cætera ferè omnia corruerunt; Factum eſt tamen, vt Romæ ſint quinque Eccleſiæ, quæ Patriarchales nominantur, videlicet:

Eccleſia ſancti Ioannis Lateranenſis, quæ habet Decanum Cardinalem.

Eccleſia ſancti Petri, quæ habet Archipresbyterum Cardinalem.

Eccleſia ſancti Pauli extra muros, quæ habet Abbatem ſancti Benedicti.

Eccleſia ſanctæ Mariæ maioris, quæ habet Archipresbyt. Cardinalem.

Eccleſia ſancti Laurentij extra muros, quæ habet Abbatem ſancti Bened.

Cæteris Vrbis Eccleſijs aſſignati ſunt 28. presbyteri Cardinales, & 18. Diaconi, quibus datæ ſunt it. titulum.

Epiſcopi verò, qui ſunt ſub Romano Pontifice, nec ſunt in alterius prouinciæ conſtituti, ſunt ſex, videlicet:

Oſtienſis, ſeu Velletrenſis, Portuenſis, ſeu ſanctæ Ruffinæ, Sabinenſis, Tuſculanenſis, Præneſtinus, & Albanenſis. Qui oẽs dicuntur Epiſcopi Cardinales, qui fratres appellantur à Papa, qui eſt quintus, ſupremusq; Patriarcha, quem iure Diuino

no præter hos omnes Catholica Eccleſia Pontificē Maximum appellat, & veneratur.

Hunc in Epheſina ſynodo Cyrillus Alexandrinus Archiepiſcopum totius orbis terrarum, patrem, & Patriarcham vocat; quare non ſolum eſt Epiſcopus, ſed etiam Archiepiſcopus, Patriarcha, Primas, & Pontifex maximus, qui triplicem ſecundum omnes habet iuriſdictionem, vnam generalem in omnes prælatos mundi, & eorum ſubditos, de foro comp. cap. fin. de priuil. cap. antiqua, per quam poteſtatem cognoſcit de cauſis prædictorum, etiam per ſimplicem querelam, 9. q. 3. antiquis, cap. aliorum, & cap. cuncta: etiam ex officio, & ſecundum hanc præeminet cæteris omnibus prælatis dignitate, officio, & poteſtate. Aliam ſpecialem, quæ multiplex eſt, vna, quam habet in exemptos, cap. ſi Papa, de priuil. lib. 6.

Aliam in eos, qui ſequuntur curiam, de foro comp. cap. fin. de præb. in 6. cap. præſenti.

Aliam in eos, qui non recognoſcunt ſuperiorem, quod etiam procedit in laicis, cap. per venerabilē, qui filij ſint legit.

Aliam generaliſſimam, quæ fuit transfuſa in Petrū, & eius ſucceſſores, 21. diſt. cap. innouo, de tranſact. cap. 1. & ideo Papa omnem pœnitentem abſoluere poteſt à peccatis, quia in omnes Chriſtianos habet iuriſdictionem; eſt cōmunis opinio Theologorum, quæ plenitudo poteſtatis per pallium ſignificatur, quo ſemper vtitur Summus Pontifex, & vbiq; in Miſſarum ſolemnijs.

Sicuti enim Beato Petro triplex à Chriſto collata eſt poteſtas, ita & Romano Pontifici eius ſucceſſori, & Chriſti Vicario, videlicet poteſtas ordinis, apoſtolatus, & regiminis: In poteſtate ordinis omnes Apoſtoli, ſicut omnes Epiſcopi, & Sacerdotes, ſunt æquales, quia omnes ligandi, & ſoluendi, & corpus Chriſti veram conficiendi poteſtatem acceperunt. In poteſtate apoſtolatus, hoc eſt prædicandi Euangeliū, Paulus fuit Petro æqualis; dicebat enim Diuus Paulus, qui operatus eſt Petro in apoſtolatū, operatus eſt & mihi inter gentes, ad Gal. 2. In poteſtate autem regiminis, Petrus inter oēs Apoſtolos primatum habuit, & caput eligitur. De poteſtate

autem

autem, & primatu Romanæ Eccleſiæ, extat decretum à Concilio Flor. ſeſſ. vltima, his verbis; Definimus, ait, ſanctam apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Rom. Pont. ſucceſſorem eſſe B. Petri principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiusq; Eccleſię caput.

Hunc igitur Romanũ Pontificem tribus præcipuè de cauſis ſummo honore dignum eſſe iudicamus: prima eſt ſedis illius ſtabilis in fide catholica perſeuerantia: alias enim ſedes Alexandrinam, Hieroſolymitanam, Antiochenã, & Conſtãtinopolitanam, quæ olim capita videbantur Eccleſiarum, à ſede catholica defeciſſe; Romanam autem adhuc ſuperſtitẽ, eodemq; fidei ſenſu florentem videmus: & quamuis quidam Pontifices peccauerint vt homines, ipſa tamen ſancta ſedes intacta, & illibata permanens errauit nunquam, ſeducta eſt nunquã, & quæ à Chriſto, & Beatis Apoſtolis Petro, & Paulo accepit, retinuit, conſeruauitq; ſemper. Hoc illud inquam eſt cœleſte priuilegiũ, quod Petro promiſerat Chriſtus, cum dixit, Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, Luc. 22.

Secunda cauſa eſt authoritas regendi, confirmandiq; per vniuerſum orbem Eccleſias, vt nihil ſtatui, ordinariq; generaliter poſſit, ſede Romana non approbante, propter quod vocatur Papa, ideſt pater patrũ, quia pater eſt Epiſcoporum, qui dicuntur patres animarum, & partem tantum ſollicitudinis habent, non totalem, ſicut Papa, de quo apud Silueſtrum verbo Papa, multa habes; quare honorandum præcipuè magiſtrum legibus traditur, quòd doctrinam habeat, quòd ſalubriter doceat, quod addiſcentes multum illi debeant; ſic Romana Eccleſia, quia magiſtra eſt Eccleſiarũ, ſanctam, & euangelicam Chriſti doctrinam docens, vnde totus orbis debet ei plurimum, & ſummo eſt honore colenda, quod docendi priuilegiũ à Chriſto obtinuit, cum eidem Petro dixit, Et tu, aliquando conuerſus confirma fratres tuos.

Tertia cauſa eſt, quod iure Diuino omnes Eccleſiæ, omnes nationes, omnesq; Epiſcopi cognouerunt, ac venerati ſunt Romanũ Pontificem, tanquam caput, & ſummum Eccleſiæ vniuerſalis Paſtorem: ita fermè, vt qui illi deferre noluerũt,

vt hæretici, & ſciſmatici, ab omnibus Eccleſijs in pleniſſimis concilijs ſint condemnati. Ab eo.n.tempore, quo à Tyrannis reddita eſt pax Eccleſiæ, in generalibus concilijs, vel ipſemet Pontifex præſedit, vel ipſius Legati interfuere, vel vim, atq; robur illius confirmatione obtinuerunt. Nicenum enim concilium à Beato Siluestro tunc Romano Pontifice eorum, quæ geſta ſunt, confirmationem petijt, & obtinuit.

Concilium Calcedonenſe cum Leone Pont. idem egit: acta ſextæ ſynodi, præſente Conſtantino Imperatore, à Leone Tertio confirmantur: ſed concilio Epheſino præfuit Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, & concilium Mileuitanum ab Innocentio, Cartaginenſe tertium, & quartum à Zoſimo, Aphricanum à Siricio Pontificibus confirmata ſunt; quemadmodum & noſtris temporibus anno Domini 1563. vltimum Tridentinum concilium à Pio Quarto confirmatum eſſe nouimus; particulares etiam Decretales Romanorum põtificum ad vniuerſas Eccleſias directæ, vim doctrinæ, & morum regulas eſſe hucuſque obtinuerunt.

Quo enim pacto, quauè ratione tot ſanctiſſimi viri hęc paſſi fuiſſent, niſi illum Chriſti Vicarium, & Petri ſucceſſorem, totiusq; Eccleſiæ catholicæ caput, & gubernatorem agnouiſſent? iuxta Domini verba dicẽtis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Matth. 16. Huic igitur ille honor, quem maiores noſtri Romano Pontif. detulerũt, ab omnibus deferatur, cuncti ſileant, nullus contra illũ audeat oblatrare, quia ſic Chriſtus voluit: cui etiam pedes deoſculantur, agnoſcentes eum Chriſti Vicariũ, atq; Legatum in terris: & propterea hunc honorem, non homini, ſed Pontifici, & Chriſti Vicario exhibemus; & hac de cauſa ſupra pedes illius ſignum Crucis imponitur, vt procidentes, & deoſculantes, illũ meminerint venerari, qui pro eo, & pro omnibus paſſus eſt in Cruce.

Hic à Chriſto diuino datus eſt Eccleſiæ ſuæ in hac vita, qui ſit ſummus, vnus, catholicus, perpetuus, & Chriſti Vicarius.

Quod ſit ſummus, eſt de fide tenendum, quoniam ſicut Petro dedit Chriſtus hanc poteſtatẽ, vt eſſet paſtor vniuerſalis

ſuper

ſuper cæteros Apoſtolos, & fideles; ita etiam & Petri ſucceſſoribus, quod probatur primò, auctoritate ſcripturæ; ſecundò, per priuilegia; tertiò, per concilia; quartò, per Pontifices; quintò, per communem doctrinam omnium catholicorum; ſextò, rationibus.

Eſt ſummus, quia ſummam habet poteſtatem; non tamen Chriſto æqualem; quoniam Papa eſt tanquam Oeconomus Chriſti, & diſpenſator; Quia Domini eſt terra, & plenitudo eius; Item, quia Chriſtus Dominus eſt, ipſe verò ſeruus: Item, quia Chriſtus potuit inſtituere ſacramenta, & remittere peccata, etiam ſine ſacramentis, hoc tamen non licet ſummis Pontificibus.

Eſt ſummus, quia ipſe tantum decernit de rebus fidei, & ſcripturæ difficilioribus, ideò legimus Moyſen ſibi difficilia reſeruaſſe.

Eſt ſummus, quia eſt ſupra cæteros omnes Pontifices; ipſe enim illos creat, illos deponit, ipſos diſtribuit, ipſos denique ab alijs electos confirmat.

Eſt ſummus, quoniam ipſe poteſt condere canones, illos abrogare, ordines reformare, quod eſt de iure poſitiuo.

Eſt ſummus, quia nullus præter ipſum poteſt Sanctos canonizare.

Eſt ſummus, quia habet poteſtatem excõmunicandi quoſcunque hæreticos cuiuſcunque gradus, ſtatus, conditioniſuè ſint; & quia nulli hominum licet appellare à Papa ad alium quemcũque Prælatum, ſeu Principem, ſed neque etiam ad futurum concilium: contra verò licet appellare à quocunque alio ad ſummum Pontificem.

Eſt ſummus, quia ipſe tantum habet vim approbandi religiones, illaſq; cõfirmandi, reformandi, reſtringendi, & ampliandi poteſtatem habet.

Eſt ſummus, quia ipſe eſt robur conciliorum generalium, & ipſo non approbante, non confirmante, non congregante, ſeu conuocante, nullam habent authoritatem, quam poteſtatem illi nullus hominum poteſt auferre, quia à Deo illi tradita eſt.

Hoc idem probatur auctoritate ſcripturæ, & primò Ioan.

cap. 21. Cum Dominus ter quæſiuit à Petro, Simon Ioannis diligis me plus his? & poſtea dixit, paſce agnos meos, & paſce oues meas.

Item, Matth. cap. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: ſi igitur eſt fundamentum Eccleſię, eſt vt caput ſuper alios.

Item, Ioan. 1. Tu vocaberis Cephas, i. ſaxum magnum aptum ad ædificandum.

Item, dictum eſt Petro, Tibi dabo claues Regni Cœlorum, quod nulli alij dictum eſt, niſi Petro, non Ioanni, &c.

Hoc idem probatur ratione priuilegiorum, quæ conceſſa ſunt Petro, quæ ſignificant primatum aliquem Petri.

Primò, bis vocati ſunt Apoſtoli, ſed tamen Petrus primus inter alios, non tempore, ſed priuilegio: & quamuis Euangeliſtæ varient numerando Apoſtolos, in hoc tamen conueniunt omnes, quod Petrum primum omnium numerant.

Secundò, mutatione nominis; Petro.n.mutatum eſt nomen à Chriſto: Nam prius vocabatur Simon, poſtea Petrus, ſicuti hodie fit in creatione ſummi Pontificis, & in profeſſione religioſorum, vt oſtendatur, illum & nomine, & re alium effectum eſſe, & vita, & moribus, & authoritate.

Tertiò, ambulatione ſuper aquas, quia Petrus tantum proſilijt in mare ambulans ſuper aquas, ſicuti Chriſtus ambulauit.

Quartò, ex Chriſti ſequela, nam illi à Chriſto dictum eſt: ſic eum volo manere, quid ad te? Tu me ſequere.

Quintò, ex ſolutione tributi, quia Chriſtus ſoluit didrachma pro ſe, & pro Petro, non pro alijs. Matth. 17.

Sextò, ex ingreſſu ſepulchri: nam & ſi Ioannes præcurriſſet ad ſepulchrum poſt reſurrectionem, & perueniſſet ante Petrum, Petrus tamen ſolus introiuit primus, & vidit linteamina. Ioan. 20.

Septimò, ductione nauis in altum, quia Petro tantum dixit Chriſtus, Duc in altũ, & laxate retia veſtra in capturam. Luc. 5.

Octauò, ratione interrogationis Chriſti, & reſponſionis Petri nomine aliorum: Interrogatis enim à Chriſto Diſcipulis,

lis, Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Reſpondit Petrus, Tu es Chriſtus Filius Dei viui: & alio in loco, Num quid & vos vultis abire? Reſpondit Petrus, Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. Io. 6. Item dicenti Chriſto, Et vos eſtote parati, quia, &c. Petrus reſpondit, Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Item dicente Chriſto, Quam difficile hi, qui pecunias poſſident, intrabunt in Regnum cœlorum: Petrus reſpondit pro omnibus, Domine ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?

Item cum ambas nauiculas præter ſpem piſcantes impleuiſſent multis piſcibus, ſolus Pettus procidit ad genua Ieſu, dicens, Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Lucæ 5.

Item cum Chriſtus ambulans ſupra mare, apparuiſſet Diſcipulis laborantibus in remigando, & illis dixiſſet, Confidite ego ſum, nolite timere, ſolus Petrus dixit, Domine ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas, at ille, Veni, &c. Marci 6.

Item in Chriſti transfiguratione, ſolus Petrus dixit, Domine bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis, &c. Matth. 17.

Item ſolus Petrus de remiſſione iniuriæ auſus eſt Chriſtum interrogare, Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vſque ſepties? &c.

Item cum in nocte paſſionis, dum Chriſtus oraſſet, inuenit Diſcipulos dormientes, & Petro ſolum dixit, Simon dormis? Luc. 22.

Item in actis Apoſtolorum in concilio primus locutus eſt Petrus. Dicemus igitur hæc omnia Petri dignitatem ſuper alios demonſtrare, quaſi ſicuti ipſe, ita & ſummus Pontifex eius ſucceſſor primatum, & eminentiorem ſuper alios dignitatem habere cognoſcamus. Act. 15.

Item in cõcilio Conſtantiẽſe ſeſſ. 8. damnatur error cuiuſdã aſſerẽtis Petrũ non fuiſſe caput totius Eccleſiæ vniuerſalis.

Item hoc probatur ex Decretis vetuſtiſſimorum Pontificũ. Primò, Clementis in epiſtola ad Iacobum, vbi habentur hæc verba, Notum tibi facio Domine, quòd Simon Petrus veræ fidei merito fundamentum Eccleſiæ determinatus eſt.

Secundò, Alexander Quintus poſt Petrum in Eccleſia ad

omnes Orthodoxos dicit idem.

Tertiò, Anacletus poſt Clementem in epiſtola de oppreſſione Epiſcoporum,& epiſtola 3. hoc probat; & ſi plura quæris, lege epiſtolas conciliorum, primo tomo.

Hoc idem probatur doctrina communi Sanctorum patrum ſic interpretantium verba, quæ de Petro dicta ſunt, ſuper hãc petram,&c.

Primò, Dionyſij in libro de Diuinis nominibus cap. 3. vbi dicit ſummũ decus Eccleſiæ; antiquiſſimus Theologorum, ſummus Apoſtolorum verticalis, ideſt caput Apoſtolorum.

Hieronym. in epiſtola ad Marcellam hoc idem expoſuit.

Ambroſius in ſerm. 47. de fide Petri hoc dicit.

Auguſtinus lib. 6. epiſtolarum, epiſt. 37.

Origenes in homilia prima ſuper Matth. & 5. ſuper Exod. hoc idem affirmat.

Probatur rationibus, quia Eccleſia debet præ alijs habere ſummum, & perfectiſſimum regimen, & hoc eſt Monarchia; igitur neceſſe eſt, vt ſolum caput vniuerſale inueniatur in ea. Tùm quia in rebus fidei, & morum, vt caput Eccleſiæ vniuerſale non põt errare, per aſſiſtentiã Spiritus ſancti, quamuis vt particularis perſona, vt homo aliquando de facto errare poterit.

Summus igitur eſt, & vnus, non autem plures, vt volunt hæretici.

Vnus eſt, quia finis regiminis eſt vnitas: Ariſtoteles.n.in politicis dicit Monarchiam omnium regiminum eſſe meliorem; ideò æterna Dei ſapientia voluit vnum tantum eſſe Paſtorem vniuerſalem Eccleſiæ,qui noluit illi moleſtiam inferre, quia tot capita, tot iuga: tùm quia cum iſte Pontifex debeat eſſe ſanctiſſimus omnium prælatorum,difficilius inuenirentur plures, quam vnus. Ideò etiam vnus Deus, vnus eſt, quia vna eſt Eccleſia; confitemur enim, & profitemur vnam ſanctam Eccleſiam catholicam: nam à tempore Chriſti vſq; ad confirmationem ſeculi Eccleſia eſt vna, quæ concluſio eſt catholica, & cõtraria eſt hæretica; quoniam ex concilio Niceno habemus; credo vnam ſanctam Eccleſiam catholicam, & habetur in cap. de ſancta Trinitate.

Quo-

Quomodo autem ſit vna, notandum eſt: Primò, eſt vna, quia vnum eſt caput; nam non eſt aliud nomen ſub cœlo datum, in quo, &c.

Secundò, quia vnus eſt eius Vicarius in terris, qui eſt Pontifex Romanus; & nota, quod quamuis Chriſtus Dominus modo ſit in cœlis, retinet tamen ſummum ſacerdotium, ſicuti quando erat in terris, adeò vt modo celebret Miſſam, mediantibus iſtis Sacerdotibus, vt in concilio Florentino habetur, quòd ſacerdos in perſona Chriſti dicit verba illa (hoc eſt corpus meum) non recitatiuè, vt dicitur in cap. de ſanctiſſima Trinit. & ipſum ſacrificium eſt etiam ipſe Chriſtus: vnde, Pontifices non dicuntur ſucceſſores Chriſti, ſed eius Vicarij; Ideo ergo dicimus vnū caput Chriſtus, & ſummus ſacerdos; & hoc eſt, quòd dixit Paulus ad Hæbr. 7. Et illi quidem plures facti ſunt ſacerdotes, quia morte prohiberentur permanere: Chriſtus autem manet in æternum; ergo.

Tertiò, vna dicitur ab vnitate fidei, ſpei, & charitatis: nam omnes idem credimus, idem amamus; amamus enim omnes homines, & Deū propter ſeipſum, & homines propter Deum: idem omnes ſperamus. ſ. eandem beatitudinem, quia ad te omnis caro veniet.

Quartò, vna ab vnitate ſacramentorum, quia omnes vnum corpus ſumus, quia de vno pane, & de vno calice participamus. prima Cor. 10. Vna, quia vnus ſpiritus. prima Cor. 12. Etiam in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes in vno ſpiritu potati ſumus, &c. Quando .n. Chriſtus reſpondit Petro, dixit, Super hanc petram ædificabo Eccleſiā meam; non dixit Eccleſias, ſed Eccleſiam in ſingulari; vna, quia vnum cor; cor .n. non videtur, tamen infundit ſuam virtutem in cætera membra: ita Spiritus ſanctus in omnes fideles, tanquam membra huius corporis miſtici, quod eſt vnio, & congregatio fidelium.

Vna, quia vnus finis, omnibus enim vnus finis eſt, qui eſt Deus, quod ēt ſignificatur per denariū vnum datū omnibus laborantibus in vinea patris familias; & quamuis Ioannes in Apoc. dicat; Ioannes ſeptem Eccleſijs, quæ ſunt in Aſia;

&

in eodem loco videantur eſſe plures prælati: qui Panormit. etiam notat, quod iſtorum nullus poteſt extra ſuum territorium vti inſignijs denotantibus ſuperioritatem, niſi illis ex priuilegio ſit conceſſum à Romano Pontifice, quia hoc tēdit in præiudicium aliorum, ex quo infertur, quod Patriarcha, Archiepiſcopus, vel Epiſcopus non poſſunt ſolemniter benedicere extra ſuam diœceſim: cum per hoc dimittantur peccata venialia, quæ niſi per ſuperiorem dimitti non poſſunt, de pœnit. & remiſſ. cap. quod autem. Inſignijs autem denotantibus dignitatem, vel perfectionem, aut grauitatem perſonæ inſignitæ, vt eſt delatio annuli, celebratio in pontificalibus, & veſtes caudatæ, vti poſſunt etiam extra ſuam diœceſim, & iuriſdictionem.

Quartum Priuilegiū eſt, quia ad ipſos omiſſis medijs appellatur, præſertim vbi hoc illis datur in priuilegium; quod nullum eſſet, ſi ad eos appellari non poſſet omiſſis medijs, cum de iure communi ab Archiepiſcopo ad Patriarcham appellatur, vt 6. q. 4. cap. ſi inter.

Patriarcha verò, & primates habent iuriſdictionem in ſubditos ſuorum Suffraganeorum in multis caſibus, videlicet.

Primo, cum appellatur ad eos, diſt. 99. cap. prouinciæ.

Secundo, cum vacat Eccleſia Metropolitana, & poſtulatur primas, vt diſponat de rebus ad Metropolitanum ſpectātibus cuſtodiendis, de off. ord. præſenti lib. 6.

Tertio, cum ex conſuetudine, & priuilegio illi ſit conceſſum, 9. q. 3. conqueſtus.

Quarto, cum ſuper arduo negotio dubitatur, nec poteſt in prouinciali concilio terminari; tunc.n. Metropolitanus debet primatem conſulere, diſt. 18. de concilijs.

Quinto, cum Metropolitanus eſt negligens, vel remiſſus, quia tunc poteſt primas ſupplere illius defectus, 9. q. 3. cum ſimus.

Sexto, cum quis conqueritur de Metropolitano, tunc primas eſt Iudex, 11. q. 1. ſi clericus.

Septimo, cum ſubditus Metropolitani conqueritur apud primatem, quòd illum iniuſtè excommunicauerit: & primas remittit illum ad Metropolitanum, vt eum abſoluat: illeque

abſq;

abſolutionem obtinere non poſſit, tunc primas eum abſoluat, præcipiens, vt ſatisfaciat Metropolitano, aliter reduceret illum in eãdem ſententiam, niſi conſtiterit eum iniuſtè excommunicatum, vt in cap. ad reprimendam, de off. ord.

Octauo, cum Archiepiſcopus, vel Epiſcopus fecit mandatum illicitum, vel iniuſtũ, & ſubditus appellauit ad Papam; quia poterit Patriarcha declarare iuſtè fuiſſe appellatum, vt arg. de appell. cap. ſollicitudinem.

In Ciuitatibus,& locis, in quibus gentilium primates præſidere ſolebant, multis ante Chriſti aduentum temporibus, poſt eius aduentum, Apoſtoli eorumq; ſucceſſores poſuerũt Patriarchas,ſeu primates,ad quos Epiſcoporum negotia (ſalua ſemper Apoſtolica auctoritate)& maiores cauſę poſt Apoſtolicam Sedem, erant referendæ, vt habetur cap. Vrbes, & loca, 80. diſt. Poſtquam autem Vrbes, & loca prædicta in poteſtatem infidelium deuenerunt, nominibus tantum retentis, cætera ferè omnia corruerunt; Factum eſt tamen, vt Romæ ſint quinque Eccleſiæ, quæ Patriarchales nominantur, videlicet:

Eccleſia ſancti Ioannis Lateranenſis, quæ habet Decanum Cardinalem.

Eccleſia ſancti Petri, quæ habet Archipresbyterum Cardinalem.

Eccleſia ſancti Pauli extra muros, quæ habet Abbatem ſancti Benedicti.

Eccleſia ſanctæ Mariæ maioris, quæ habet Archipresbyt. Cardinalem.

Eccleſia ſancti Laurentij extra muros, quæ habet Abbatem ſancti Bened.

Cæteris Vrbis Eccleſijs aſſignati ſunt 28. presbyteri Cardinales, & 18. Diaconi, quibus datæ ſunt in titulum.

Epiſcopi verò, qui ſunt ſub Romano Pontifice, nec ſunt in alterius prouincia conſtituti, ſunt ſex, videlicet:

Oſtienſis, ſeu Velletrenſis, Portuenſis, ſeu ſanctæ Ruffinæ, Sabinenſis, Tuſculanenſis, Preneſtinus,& Albanenſis. Qui oẽs dicuntur Epiſcopi Cardinales, qui fratres appellantur à Papa, qui eſt quintus, ſupremusq; Patriarcha, quem iure Diuino

no præter hos omnes Catholica Eccleſia Pontificẽ Maximum appellat, & veneratur.

Hunc in Epheſina ſynodo Cyrillus Alexandrinus Archiepiſcopum totius orbis terrarum, patrem, & Patriarcham vocat; quare non ſolum eſt Epiſcopus, ſed etiam Archiepiſcopus, Patriarcha, Primas, & Pontifex maximus, qui triplicem ſecundum omnes habet iuriſdictionem, vnam generalem in omnes prælatos mundi, & eorum ſubditos, de foro comp. cap. fin. de priuil. cap. antiqua, per quam poteſtatem cognoſcit de cauſis prædictorum, etiam per ſimplicem querelam, 9. q. 3. antiquis, cap. aliorum, & cap. cuncta: etiam ex officio, & ſecundum hanc præeminet cæteris omnibus prælatis dignitate, officio, & poteſtate. Aliam ſpecialem, quæ multiplex eſt, vna, quam habet in exemptos, cap. ſi Papa, de priuil. lib. 6.

Aliam in eos, qui ſequuntur curiam, de foro comp. cap. fin. de præb. in 6. cap. præſenti.

Aliam in eos, qui non recognoſcunt ſuperiorem, quod etiam procedit in laicis, cap. per venerabilẽ, qui filij ſint legit.

Aliam generaliſſimam, quæ fuit transfuſa in Petrũ, & eius ſucceſſores, 21. diſt. cap. innouo, de tranſact. cap. 1. & ideo Papa omnem pœnitentem abſoluere poteſt à peccatis, quia in omnes Chriſtianos habet iuriſdictionem; eſt communis opinio Theologorum, quæ plenitudo poteſtatis per pallium ſignificatur, quo ſemper vtitur Summus Pontifex, & vbiq; in Miſſarum ſolemnijs.

Sicuti enim Beato Petro triplex à Chriſto collata eſt poteſtas, ita & Romano Pontifici eius ſucceſſori, & Chriſti Vicario, videlicet poteſtas ordinis, apoſtolatus, & regiminis: In poteſtate ordinis omnes Apoſtoli, ſicut omnes Epiſcopi, & Sacerdotes, ſunt æquales, quia omnes ligandi, & ſoluendi, & corpus Chriſti veram conficiendi poteſtatem acceperunt. In poteſtate apoſtolatus, hoc eſt prædicandi Euangeliũ, Paulus fuit Petro æqualis; dicebat enim Diuus Paulus, qui operatus eſt Petro in apoſtolatũ, operatus eſt & mihi inter gentes, ad Gal. 2. In poteſtate autem regiminis, Petrus inter oẽs Apoſtolos primatum habuit, & caput eligitur. De poteſtate

autem

autem, & primatu Romanæ Eccleſiæ, extat decretum à Concilio Flor. ſeſſ. vltima, his verbis; Definimus, ait, ſanctam apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Rom. Pont. ſucceſſorem eſſe B. Petri principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiusq; Eccleſię caput.

Hunc igitur Romanũ Pontificem tribus præcipuè de cauſis ſummo honore dignum eſſe iudicamus: prima eſt ſedis illius ſtabilis in fide catholica perſeuerantia: alias enim ſedes Alexandrinam, Hieroſolymitanam, Antiochenã, & Conſtãtinopolitanam, quæ olim capita videbantur Eccleſiarum, à ſede catholica defeciſſe; Romanam autem adhuc ſuperſtitẽ, eodemq; fidei ſenſu florentem videmus: & quamuis quidam Pontifices peccauerint vt homines, ipſa tamen ſancta ſedes intacta, & illibata permanens errauit nunquam, ſeducta eſt nunquã, & quæ à Chriſto, & Beatis Apoſtolis Petro, & Paulo accepit, retinuit, conſeruauitq; ſemper. Hoc illud inquam eſt cœleſte priuilegiũ, quod Petro promiſerat Chriſtus, cum dixit, Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, Luc. 22.

Secunda cauſa eſt authoritas regendi, confirmandiq; per vniuerſum orbem Eccleſias, vt nihil ſtatui, ordinariq; generaliter poſſit, ſede Romana non approbante, propter quod vocatur Papa, ideſt pater patrũ, quia pater eſt Epiſcoporum, qui dicuntur patres animarum, & partem tantum ſollicitudinis habent, non totalem, ſicut Papa, de quo apud Silueſtrum verbo Papa, multa habes; quare honorandum præcipuè magiſtrum legibus traditur, quòd doctrinam habeat, quòd ſalubriter doceat, quod addiſcentes multum illi debeant; ſic Romana Eccleſia, quia magiſtra eſt Eccleſiarũ, ſanctam, & euangelicam Chriſti doctrinam docens, vnde totus orbis debet ei plurimum, & ſummo eſt honore colenda, quod docendi priuilegiũ à Chriſto obtinuit, cum eidem Petro dixit, Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.

Tertia cauſa eſt, quod iure Diuino omnes Eccleſiæ, omnes nationes, omnesq; Epiſcopi cognouerunt, ac venerati ſunt Romanũ Pontificem, tanquam caput, & ſummum Eccleſiæ vniuerſalis Paſtorem: ita fermè, vt qui illi deferre noluerũt,

P vt hæ-

vt hæretici, & ſciſmatici, ab omnibus Eccleſijs in pleniſſimis concilijs ſint condemnati. Ab eo.n.tempore, quo à Tyrannis reddita eſt pax Eccleſiæ, in generalibus concilijs, vel ipſemet Pontifex præſedit, vel ipſius Legati interfuere, vel vim, atq; robur illius confirmatione obtinuerunt. Nicenum enim concilium à Beato Siluestro tunc Romano Pontifice eorum, quæ geſta ſunt, confirmationem petijt, & obtinuit.

Concilium Calcedonenſe cum Leone Pont. idem egit: acta ſextæ ſynodi, præſente Conſtantino Imperatore, à Leone Tertio confirmantur: ſed concilio Epheſino præfuit Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, & concilium Mileuitanum ab Innocentio, Cartaginenſe tertium, & quartum à Zoſimo, Aphricanum à Siricio Pontificibus confirmata ſunt; quemadmodum & noſtris temporibus anno Domini 1563. vltimum Tridentinum concilium à Pio Quarto confirmatum eſſe nouimus; particulares etiam Decretales Romanorum Pôtificum ad vniuerſas Eccleſias directæ, vim doctrinæ, & morum regulas eſſe hucuſque obtinuerunt.

Quo enim pacto, quauè ratione tot ſanctiſſimi viri hęc paſſi fuiſſent, niſi illum Chriſti Vicarium, & Petri ſucceſſorem, totiusq; Eccleſiæ catholicæ caput, & gubernatorem agnouiſſent? iuxta Domini verba dicẽtis; Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Matth. 16. Huic igitur ille honor, quem maiores noſtri Romano Pontif. detulerũt, ab omnibus deferatur, cuncti ſileant, nullus contra illũ audeat oblatrare, quia ſic Chriſtus voluit: cui etiam pedes deoſculantur, agnoſcentes eum Chriſti Vicariũ, atq; Legatum in terris: & propterea hunc honorem, non homini, ſed Pontifici, & Chriſti Vicario exhibemus; & hac de cauſa ſupra pedes illius ſignum Crucis imponitur, vt procidentes, & deoſculantes, illũ meminerint venerari, qui pro eo, & pro omnibus paſſus eſt in Cruce.

Hic à Chriſto diuino datus eſt Eccleſiæ ſuæ in hac vita, qui ſit ſummus, vnus, catholicus, perpetuus, & Chriſti Vicarius.

Quod ſit ſummus, eſt de fide tenendum, quoniam ſicut Petro dedit Chriſtus hanc poteſtatẽ, vt eſſet paſtor vniuerſalis

ſuper

ſuper cæteros Apoſtolos, & fideles; ita etiam & Petri ſucceſſoribus, quod probatur primò, auctoritate ſcripturæ; ſecundò, per priuilegia; tertiò, per concilia; quartò, per Pontifices; quintò, per communem doctrinam omnium catholicorum; ſextò, rationibus.

Eſt ſummus, quia ſummam habet poteſtatem; non tamen Chriſto æqualem; quoniam Papa eſt tanquam Oeconomus Chriſti, & diſpenſator; Quia Domini eſt terra, & plenitudo eius; Item, quia Chriſtus Dominus eſt, ipſe verò ſeruus: Item, quia Chriſtus potuit inſtituere ſacramenta, & remittere peccata, etiam ſine ſacramentis, hoc tamen non licet ſummis Pontificibus.

Eſt ſummus, quia ipſe tantum decernit de rebus fidei, & ſcripturæ difficilioribus, ideò legimus Moyſen ſibi difficilia reſeruaſſe.

Eſt ſummus, quia eſt ſupra cæteros omnes Pontifices; ipſe enim illos creat, illos deponit, ipſos diſtribuit, ipſos denique ab alijs electos confirmat.

Eſt ſummus, quoniam ipſe poteſt condere canones, illos abrogare, ordines reformare, quod eſt de iure poſitiuo.

Eſt ſummus, quia nullus præter ipſum poteſt Sanctos canonizare.

Eſt ſummus, quia habet poteſtatem excōmunicandi quoſcunque hæreticos cuiuſcunque gradus, ſtatus, conditioniſuè ſint; & quia nulli hominum licet appellare à Papa ad alium quemcūque Prælatum, ſeu Principem, ſed neque etiam ad futurum concilium: contra verò licet appellare à quocunque alio ad ſummum Pontificem.

Eſt ſummus, quia ipſe tantum habet vim approbandi religiones, illaſq; cōfirmandi, reformandi, reſtringendi, & ampliandi poteſtatem habet.

Eſt ſummus, quia ipſe eſt robur conciliorum generalium, & ipſo non approbante, non confirmante, non congregante, ſeu conuocante, nullam habent authoritatem, quam poteſtatem illi nullus hominum poteſt auferre, quia à Deo illi tradita eſt.

Hoc idem probatur auctoritate ſcripturæ, & primò Ioan.

cap. 21. Cum Dominus ter quæſiuit à Petro; Simon Ioannis diligis me plus his? & poſtea dixit, paſce agnos meos, & paſce oues meas.

Item, Matth. cap. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: ſi igitur eſt fundamentum Eccleſię, eſt vt caput ſuper alios.

Item, Ioan. 1. Tu vocaberis Cephas, i. ſaxum magnum aptum ad ædificandum.

Item, dictum eſt Petro, Tibi dabo claues Regni Cœlorum, quod nulli alij dictum eſt, niſi Petro, non Ioanni, &c.

Hoc idem probatur ratione priuilegiorum, quæ conceſſa ſunt Petro, quæ ſignificant primatum aliquem Petri.

Primò, bis vocati ſunt Apoſtoli, ſed tamen Petrus primus inter alios, non tempore, ſed priuilegio: & quamuis Euangeliſtæ varient numerando Apoſtolos, in hoc tamen conueniunt omnes, quod Petrum primum omnium numerant.

Secundò, mutatione nominis; Petro.n. mutatum eſt nomen à Chriſto: Nam prius vocabatur Simon, poſtea Petrus, ſicuti hodie fit in creatione ſummi Pontificis, & in profeſſione religioſorum, vt oſtendatur, illum & nomine, & re alium effectum eſſe, & vita, & moribus, & authoritate.

Tertiò, ambulatione ſuper aquas, quia Petrus tantum proſilijt in mare ambulans ſuper aquas, ſicuti Chriſtus ambulauit.

Quartò, ex Chriſti ſequela, nam illi à Chriſto dictum eſt: ſic eum volo manere, quid ad te? Tu me ſequere.

Quintò, ex ſolutione tributi, quia Chriſtus ſoluit didrachma pro ſe, & pro Petro, non pro alijs. Matth. 17.

Sextò, ex ingreſſu ſepulchri: nam & ſi Ioannes præcurriſſet ad ſepulchrum poſt reſurrectionem, & perueniſſet ante Petrum, Petrus tamen ſolus introiuit primus, & vidit linteamina. Ioan. 20.

Septimò, ductione nauis in altum, quia Petro tantum dixit Chriſtus, Duc in altũ, & laxate retia veſtra in capturam. Luc. 5.

Octauò, ratione interrogationis Chriſti, & reſponſionis Petri nomine aliorum: Interrogatis enim à Chriſto Diſcipulis,

Digitized by Google

lis, Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Reſpondit Petrus, Tu es Chriſtus Filius Dei viui: & alio in loco, Nunquid & vos vultis abire? Reſpondit Petrus, Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. Io. 6. Item dicenti Chriſto, Et vos eſtote parati, quia, &c. Petrus reſpondit, Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Item dicente Chriſto, Quam difficile hi, qui pecunias poſſident, intrabunt in Regnum cœlorum: Petrus reſpondit pro omnibus, Domine ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?

Item cum ambas nauiculas præter ſpem piſcantes impleuiſſent multis piſcibus, ſolus Petrus procidit ad genua Ieſu, dicens, Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Lucæ 5.

Item cum Chriſtus ambulans ſupra mare, apparuiſſet Diſcipulis laborantibus in remigando, & illis dixiſſet, Confidite ego ſum, nolite timere, ſolus Petrus dixit, Domine ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas, at ille, Veni, &c. Marci 6.

Item in Chriſti transfiguratione, ſolus Petrus dixit, Domine bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis, &c. Matth. 17.

Item ſolus Petrus de remiſſione iniuriæ auſus eſt Chriſtum interrogare, Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vſque ſepties? &c.

Item cum in nocte paſſionis, dum Chriſtus oraſſet, inuenit Diſcipulos dormientes, & Petro ſolum dixit, Simon dormis? Luc. 22.

Item in actis Apoſtolorum in concilio primus locutus eſt Petrus. Dicemus igitur hæc omnia Petri dignitatem ſuper alios demonſtrare, quaſi ſicuti ipſe, ita & ſummus Pontifex eius ſucceſſor primatum, & eminentiorem ſuper alios dignitatem habere cognoſcamus. Act. 15.

Item in cõcilio Conſtantiẽſe ſeſſ. 8. damnatur error cuiuſdã aſſerẽtis petrũ non fuiſſe caput totius Eccleſiæ vniuerſalis.

Item hoc probatur ex Decretis vetuſtiſſimorum Pontificũ.

Primò, Clementis in epiſtola ad Iacobum, vbi habentur hæc verba, Notum tibi facio Domine, quòd Simon Petrus veræ fidei merito fundamentum Eccleſiæ determinatus eſt.

Secundò, Alexander Quintus poſt Petrum in Eccleſia ad

omnes

Quomodo autem ſit vna, notandum eſt: Primò, eſt vna, quia vnum eſt caput; nam non eſt aliud nomen ſub cœlo datum, in quo, &c.

Secundò, quia vnus eſt eius Vicarius in terris, qui eſt Pontifex Romanus; & nota, quod quamuis Chriſtus Dominus modo ſit in cœlis, retinet tamen ſummum ſacerdotium, ſicuti quando erat in terris, adeò vt modo celebret Miſſam, mediantibus iſtis Sacerdotibus, vt in concilio Florentino habetur, quòd ſacerdos in perſona Chriſti dicit verba illa (hoc eſt corpus meum) non recitatiuè vt dicitur in cap. de ſanctiſſima Trinit. & ipſum ſacrificium eſt etiam ipſe Chriſtus: vnde, Pontifices non dicuntur ſucceſſores Chriſti, ſed eius Vicarij; Ideo ergo dicimus vnũ caput Chriſtus, & ſummus ſacerdos; & hoc eſt, quòd dixit Paulus ad Hæbr. 7. Et illi quidem plures facti ſunt ſacerdotes, quia morte prohiberentur permanere: Chriſtus autem manet in æternum; ergo.

Tertiò, vna dicitur ab vnitate fidei, ſpei, & charitatis: nam omnes idem credimus, idem amamus; amamus enim omnes homines, & Deũ propter ſeipſum, & homines propter Deum: idem omnes ſperamus, ſcilicet eandem beatitudinem, quia ad te omnis caro veniet.

Quartò, vna ab vnitate ſacramentorum, quia omnes vnum corpus ſumus, quia de vno pane, & de vno calice participamus. prima Cor. 10. Vna, quia vnus ſpiritus. prima Cor. 12. Etiam in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes in vno ſpiritu potati ſumus, &c. Quando.n. Chriſtus reſpondit Petro, dixit, Super hanc petram ædificabo Eccleſiã meam; non dixit Eccleſias, ſed Eccleſiam in ſingulari; vna, quia vnum cor; cor.n. non videtur, tamen infundit ſuam virtutem in cætera membra: ita Spiritus ſanctus in omnes fideles, tanquam membra huius corporis miſtici, quod eſt vnio, & congregatio fidelium.

Vna, quia vnus finis, omnibus enim vnus finis eſt, qui eſt Deus, quod et ſignificatur per denariũ vnum datũ omnibus laborantibus in vinea patris familias; & quamuis Ioannes in Apoc. dicat; Ioannes ſeptem Eccleſijs, quæ ſunt in Aſia;

&

& pſal. 6. habeatur, In eccleſijs benedicam Dominum: & licet Chriſtus ſit caput, & Pontifex ſit caput; ergo plures Eccleſiæ. Item fides antiquorũ, non videretur eadem cum noſtra, quia diſtinctæ ſunt propoſitiones, & ſacramenta, ergo ſemper tamen Eccleſia antiqua ab Abel vna eſt cum Eccleſia noſtra: nam ſicut idem eſt homo, qui fuit puer, infans, & iuuenis, modo etiam, quamuis ſit ſenex, ita Eccleſia eadem eſt, & hæc concluſio eſt catholica, & contraria eſt hæretica: & nota, quòd multis rationib. probatur, quòd Eccleſia ſit vna; Primò, ratione capitis, qui eſt Chriſtus caput noſtrum, ſicuti etiam Eccleſias antiquæ, & principium, & finis; principium noſtræ, & finis antiquæ, ideò dicitur lapis angularis, qui fecit vtraq; vnum, ita Chriſtus ex duobus fecit vnum populum.

Item, ratione fidei, nam illi habuerunt eandem fidem, ſed parum diſtantem, puta ſub ratione circunſtantiarum, nam illi expectabant futura, nos autem habemus ante oculos præſentem, quod figuratum eſt per bottum vuæ terræ promiſſionis, qui à duobus portabatur.

Item, ratione vnius finis, omnes enim, & præcedentes, & ſequentes ad eundem finem perueniũt, quare eadem omnino eſt congregatio.

Item, ratione ſignificationis, nam omnia, quæ in noſtra Eccleſia ſunt, illi veteres habuerunt, ſed in figuris, & ſignificatione; nos autem perfectè, adeo vt Paulus comparet legem illam puero ſub pedagogo, qui antequam diſcat multa obliterat folia. D. Auguſtinus ſuper pſal. 128. Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, applicat illa verba Eccleſiæ à principio mundi: nam Eccleſia ab Abel iuſto paſſa eſt multa, ergo fuit vna ſemper; paſſa eſt multa ante Chriſtum ab Idolorum cultoribus, ſed tamen ita videbatur abſcondita, vt nihil ferè appareret: nam decem tribus Iſrael fuerunt Idolatræ.

Secundò, paſſa eſt, quando Chriſtus apparere cæpit, & præſertim quando Chriſtus cœpit prædicari ab Apoſtolis.

Tertiò, paſſa eſt ab hæreticis. Quartò, pariter multa ab Antichriſto, adeò quòd non celebrabitur vna Miſſa in tota Eccleſia, neq; amplius prædicabitur publicè Euangelium. Quintò, paſſa eſt communiſſimè à malis à principio mundi,

vſq;

vſque in finem, ita inter ſe à peruerſis Chriſtianis, ſicut Eſau, & Iacob in ventre matris, illi erunt moleſti, ita mali Chriſtiani Eccleſiæ Dei matri ſuæ erunt moleſti, ſed non timebit à timore nocturno, ideſt neque ab hæreticis, neque à ſagitta volante in tenebris, ab incurſu, & dæmonio meridiano, &c. pſal. 90.

Immò Eccleſia noſtra catholica, & vniuerſalis, non ſolum dicitur vna, ſed etiam ſancta: & vnam ſanctam Eccleſiam, ſancta dicitur, non quia omnes, qui in ea ſunt ſint ſancti, ſed ratione præcipuæ partis; nunquam.n.defecerunt, neque deficient ſancti in Eccleſia, quod explicat D. Auguſtinus ſuper illud canticorum, Nigra ſum, ſed formoſa. Dicitur ſancta, propter caput ſanctum eius. Dicitur ſancta, propter ſanctitatem ſacramentorum eius. Dicitur ſancta, quia Deo dicata, nam ſancire, eſt dedicare, & offerre. Dicitur ſancta, quia tota pulchra es amica mea. Dicitur ſancta, quia (vt inquit Paulus ad Epheſ.cap.5.) vt exhiberet, & mundaret ſibi Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam, quod dictum eſt ratione finis, & gloriæ, non autem ſtatus præſentis, & peccatores sūt ſancti, non ratione tenebrarum, ſed ratione fidei, & luminis eius, & ratione donorum Spiritus ſancti: Immò noſtra Eccleſia eadem eſt cum illa, quæ eſt in gloria: tamen iſta eſt militaris, illa triumphans: iſta eſt in probatione: Conturbatus ſum in exercitatione mea; ſicut nunc idem eſt homo, qui eſt in via, ſicut ille, qui erit in patria.

Immò Eccleſia noſtra eſt viſibilis, & habet fundamentum viſibile, & ſenſibile, quod de fide eſt tenendū contra Luteranos aſſerentes Eccleſiā eſſe inuiſibilem, nō aūt viſibilem: Dixit.n. Chriſtus, Super hanc petram.i.ſuper Petrum, vel ſuper iſtam confeſſionē Petri, quę fuit ſenſibilis, & in actu exteriori, ædificabo eccleſiam meam, Matth.18. Item Matthęi, ſi & non audierit, dic Eccleſiæ 18. Item eſt vniuerſalis, ratione ianuę Eccleſiæ, quæ eſt viſibilis. Baptiſmus.n.qui eſt ianua, eſt viſibilis, & ſenſibilis, ita & Eccleſia. Item, quia ſacramenta omnia ſunt viſibilia, ita Eccleſia. Item ſacrificium noſtrum eſt ſenſibile, quia ſub ſpeciebus ſenſibilibus, ita & Eccleſia. Item eſt viſibilis, ne in ea ſit magna confuſio; quia ſi eſſet inuiſi-

bilis, non cognoſceremus Prælatos, neq; ſubditos, non iuſtos, qui ſunt in gratia, nõ viros, non vxores, non Epiſcopos, non Sacerdotes. Dicemus igitur illam non ſolum eſſe vnam, ſanctam, & viſibilem Eccleſiam, ſed etiam inuiſibilem; congregatio.n. fidelium non tantum eſt viſibilis, & corporea, quia homines conſtant animabus, corporibus, cui Dominus prouidit, ſicuti eſt ipſa Eccleſia, de capite viſibili, & inuiſibili. congregationis.n. inuiſibilis animarum ipſe Chriſtus caput eſt; viſibilis autem paſtor ſummus Chriſti Vicarius; vtriuſq; verò Chriſtus.

Vbi eſt notandum pro maiori huius rei intelligentia magnum eſſe diſcrimen inter Eccleſiam illam, & noſtram; illa enim ſynagoga præcipuè erat in actibus exterioribus, p quos ſignificabatur myſterium Chriſti Domini, & Eccleſiæ noſtræ: ante ſynagogam, erant opera virtutum.ſ. actus interiores ab Abel vſque ad Moyſen, ſed ſeparata eſt poſtea à Moyſe per ſacrificia exteriora. Noſtra verò Eccleſia præcipuè conſiſtit in actu interiori, ſcilicet fidei, ſpei, & charitatis, nõ tamen propter hoc excluditur actus exterior, ſicuti nec ab illa Iudaica actus interiores: nos enim habemus actus exteriores ordinatos ad actus exteriores: ideò noſtra Eccleſia magis ſpiritualis eſt, quàm illa, quia illa multum erat in actibus exterioribus; nos verò non habemus tot actus, & ceremonias, præter leges ſacramentorum, & eorum, quæ pertinent ad ſacramenta: Tùm etiam, quia noſtri actus exteriores ordinantur ad interiores. Hinc fit quantũ iſti errauerint in ſumendo extrema, cum deberẽt ſumere medium; noſtra enim Eccleſia non eſt omnino ſpiritualis, & interna, ſed etiam viſibilis, & exterior.

Noſtra præterea dicitur etiam Catholica, quod idem eſt, ac vniuerſalis: nota fidem noſtram dici catholicam; Eccleſiam, & Chriſtianos catholicos. Fides noſtra dicitur catholica, Primò, ratione prædicationis, & diuulgationis ipſius, quia In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, pſal. 4. ideſt in præcipuas partes terræ, & ſi non in omnibus partibus. Secundò, dicitur catholica, ſeu vniuerſalis ab identitate, quia ſemper fuit eadem; & tertio

eſt

eſt vniuerſalis à veritate cuiuslibet propoſitionis eius, adeò vt nulla ſit doctrina tàm vera, & certa; quare Eccleſia dicitur vniuerſalis, & Catholica ob ſex cauſas.

Primò, ab vniuerſalitate loci, quia per totum, vel ſaltem maiorem partem terræ, iuxta illud Malach. 1. ab ortu Solis vſque ad occaſum.

Secundò, à tempore: nam ab Abel iuſto vſque ad finem mundi nunquam defuerunt iuſti, neque deficient.

Tertiò, dicitur vniuerſalis, quia admittit ad ſe omnes gentes; ſynagoga verò tantũ eos, qui erant ex ſemine Abraham, quod probatur ex actis Apoſt. cap. 10. In veritate comperio, quod non eſt perſonarum acceptor Deus, ex Apoc. 5. Redemiſti nos in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, &c. Quod etiam patet per verba illa pſalmi, Fundamenta eius in montibus ſanctis, &c.

Quartò, dicitur vniuerſalis ab vtilitate conditionum, ſexuum, &c. recipit enim oẽs pauperes, diuites, nobiles, ignobiles, &c. quod probatur per Paulũ ad Coloſſ. cap. 3. dicentem, Vbi non eſt Gentilis, Iudæus, circuncisio, & præputium, barbarus, & Scitha, ſeruus, & liber, ſed omnia, & in omnibus Chriſtus.

Quintò, dicitur vniuerſalis ab vniuerſalitate præceptorum: noſtra enim præcepta obligant totum mundum, ſynagoga verò tantũ Iudæos, iuxta illud pſalmi, Notus in iudæa Deus, pſal. 75. Noſtra verò dicit omnibus, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui non crediderit condemnabitur. Ioan. 3.

Sextò, dicitur vniuerſalis ab vtilitate remedij: nam noſtra Eccleſia omnibus vitijs, & pro omnibus hominibus dat remedia pro quocunque peccato: fidelis quoque dicitur catholicus, quia eſt pars huius Eccleſiæ, & habet fidem catholicam.

Poſtremò noſtra Eccleſia dicitur etiam Apoſtolica, quia ab Apoſtolis poſt Chriſtum Dominum fuit fundata: Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.

Item, ad condemnandas omnes hæreſes, quæ non venerũt ab Apoſtolis, ſed ex proprijs hæreticorum imaginationibus.

Item, Apoſtolica dicitur, ad denotandam antiquitatem fidei noſtræ, quæ à tempore Apoſtolorum vſq; modo eadem ſemper extitit: nec latum quidem vnguē à veritate vnquam deflexit, quamuis ſemper varijs tribulationum generibus fuerit agitata.

Sancta igitur Catholica, Apoſtolica, & vna eſt noſtra Eccleſia, & vnum habet in terris Paſtorem vniuerſalem, caput vnum Chriſti Vicarium, Petri ſucceſſorem, Eccleſiæ ſponſum, Epiſcopum, Archiepiſcopū, Patriarcham, Primatem, & ſummum Pontificem, & Sacerdotem.

Sicut enim ab vnitate omnes numeri principium acceperunt, ſic à Deo vno omnes creaturæ, ſic ab iſto capite à ſummo iſto Pōtifice, cæteri omnes eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſuam habent originem in Hierarchicis. Et licet vniuerſæ creaturæ inter ſe genere, & ſpecie, & numero ſint differentes, vnicum tamen in ipſo principio habent eſſe, non ſecus, ac radij ſolares in ipſo Sole, & riui in fonte, ita omnes ordines eccleſiaſtici in Hierarchicis actionibus quo ad corpus myſticum Eccleſiæ habēt ſuum eſſe ab ipſo capite totius, vniuerſalisq; Eccleſiæ militantis, & inter ſe differunt.

Et ſicut nullum numerum dicere poſſumus ſuperare vnitatis partum, ita & creaturam nullam ritè obijcies diuinæ bonitati ſuperiorem eſſe, ſic in Hierarchicis nullum dixeris ſuperiorem ipſi ſummo Pontifici Chriſti Vicario.

Et ſicut vnitas dat eſſe numeris, ſequitur vt omnia, quæ de numero dicuntur, ab vnitate veluti à ſuo principio oriantur: ſic ab vno capite eccleſiaſtici ordinis cæteri omnes oriantur neceſſe eſt; tùm ab ipſo Deo primum, tùm ab ipſo ſuæ Eccleſiæ capite in terris conſtituto Dei Vicario. Deus præterea mūdum ad ſui imaginem finxit, nam cum ipſe ſit vnus, mundum fecit vnum: cum ſit infinitus, mundum creauit rotundum; cum ſit æternus, mundum tamen creauit incorruptibilem, & æternum à parte poſt: cum ipſe ſit immenſus, mundum creauit omnium maximū: cum ipſe ſit ſumma vita omnium, mūdum vitalibus ſeminibus exornauit, ex ſeſe cūcta gignentem; Demum cum ipſe ſit omnipotens, ſola voluntate ſua, non vlla naturæ neceſſitate, mundum non ex præiacenti materia,

ſed

ſed ex nihilo condidit in inſtanti. Deſcendendo igitur per analogiam quandam à diuino principatu ad humanum, neceſſaria concluditur vnitas terreni Principis, ſicuti & diuini, cuius gerit ſimulacrum: non enim poſſunt eſſe rectores multi in hoc mundo, nec in vna naui gubernatores multi, nec in vno regimine multi Reges, ſed vnus rector, moderator vnus, Imperator vnus, in quouis grandi exercitu vnius ſignum expectatur; grex vnus eſt apibus, & Dux vnus: in gregibus, & armentis ductor vnus: ita cum ciuilis rationis tres omnino formæ fuerint; Monarchia videlicet, quæ vnius eſt principatus; Ariſtocratia, quæ paucorum, & Democratia, vbi Magiſtratus, & populus gubernare dicuntur. Illa tamen Reipublicæ forma cēſetur optima, quæ vnius eſt dominatio, quam neque ius, neque gratia à recto inflectere poſſit; quapropter vnum opportet eſſe Principem, etiam ſi principatus ipſe pluribus heroicis viris vnitus ſit, atq; compactus; alioquin magna confuſio oriretur, quando ſubiecti neſcirent, cui potiſſimum obedire deberent.

In vnum igitur conferendum eſt imperium, quo humana gubernatio diuinæ ſit quā ſimillima. Hæc igitur Monarchia; hoc Imperium; hæc vna gubernatio totius vniuerſalis, & catholicæ Eccleſiæ eſt apud ſummū Pontificem Romanū, Chriſti Vicariū, & Petri Apoſtoli ſucceſſorem in Hierarchicis ipſius Eccleſiæ principatibus; ſed hoc non eſt ſilentio inuoluēdum, videlicet ſummum iſtum Pontificem dupliciter poſſe conſiderari. Vno modo quatenus eſt Chriſti Vicarius in ſpiritualibus, & habet ſummā iuriſdictionem ſpiritualē à Chriſto immediatè datam, & acceptā, iuxta cap. licet, cum ei annotatis de elect. quæ habitu, & caſualiter extenditur etiam ad temporalia, iuxta cap. nouit. de iudic. Altero modo quatenus eſt Rex, & Monarcha habens actu iuriſdictionem temporalem ſupremam Vrbis, & certæ partis orbis acceptam non mediante donatione à Conſtantino, & alijs Imperatoribus, Regibus, & Monarchis Sedi Apoſtolicæ facta, ſed reſtituta, & à Chriſto primatus accepta.

Non ſunt igitur audiendi hæretici, qui omnes Chriſtianos parificant, eandemq; poteſtatem habere confirmant, nullam

pror-

Digitized by Google

prorſus diſtinctionem, & Sacerdotem facientes; quem errorem Arrius ambiens epiſcopatum, & obtinere non valens, primus inuexit; & Valdenſes noſtri temporis hæretici ſuſcitarunt: qui etiam D. Petri primatum tollere, & abolere penitus ſunt conati, illumq; cæteris Epiſcopis, & Presbyteris coequare: qui omnes in pluribus concilijs generalibus damnati ſunt, & præſertim in Conſtantinopolitano his verbis: Veneramur ſecundum ſcripturas, canonumq; ſtatuta, ſanctiſs. antiquæ Romæ Epiſcopum, primumq; eſſe, & maximè Epiſcoporum affirmamus; & poſt ipſum Conſtantinopolitanum Epiſcopum: & D. Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus dicit: Vt membra maneamus in capite noſtro apoſtolico Romano Pontifice, à quo noſtrum eſt quęrere quid credere, & quid tenere debeamus; ipſum veneramur, ipſum rogãtes præ omnibus, quoniã ipſius ſolius eſt reprehendere, ſtatuere, ſoluere, & ligare loco illius, qui ipſum ædificauit; & nulli alij, quod ſuum eſt plenum, quod ipſi dedit, cui omnes diuino iure caput inclinant, & primates mundi, tanquam ipſi Domino Ieſu Chriſto, obediunt: Id enim expreſsè habemus in Euangelio: nam ſoli Petro, & ſucceſſoribus promiſit Chriſtus claues Regni cœlorum, hoc eſt Eccleſiæ militantis primatum, dicens, Tu es Petrus, &c. non Ioannes, non Andreas, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Ad ampliorem tamen notitiam eorum, quæ diximus, notãdum eſt primò, quòd inter Sacerdotem, & Epiſcopum quãtum ad actum principalem, qui eſt conſecrare corpus Chriſti verum, nulla eſt differentia; quia poteſtas ſacerdotalis quãtum ad conſecrationem non dependet ab aliqua alia poteſtate, niſi diuina, ſed quantum ad ſecundarium actum, qui eſt præparare populum ad ſuſceptionem Euchariſtiæ per abſolutionem, & remiſſionem peccatorum poteſtas ſacerdotalis pendet à poteſtate ſuperiori humana; omnis .n. poteſtas, quæ non poteſt exire in actum, niſi præſuppoſitis quibuſdam ordinationibus pẽdet ab alia poteſtate, quæ facit illas ordinationes: Sacerdos igitur (vt iam dictum eſt) non poteſt ſoluere, vel ligare, niſi præſuppoſita iuriſdictione, qua ſubdantur ei, illi, quos abſoluit, cum peccatoris ſubditi actus, contritio,

tio, confeſſio, & ſatisfactio ſit materia propinqua ſacramenti pœnitentiæ. Hæc autem ſubiectio, & iuriſdictio eſt ex diſpoſitione humana, ergo &c. Poteſt tamen cõſecrare quamlibet materiam à Chriſto determinatam, nec requiritur alia iuriſdictio, vel licentia quo ad neceſſitatem ſacramenti, quãuis ex congruitate requirantur conſecratio Altaris, benedictio veſtium, &c. & ideò reſolutoriè loquendo, poteſtas ordinis eſt æqualis in Sacerdote, & Epiſcopo, ſed non poteſtas iuriſdictionis, per quam habet Epiſcopus ſupra presbyterum, quod poſſit excommunicare, abſoluere, ſuſpendere, interdicere, conferre ſacramentũ confirmationis, & ordinis, Chriſma, Templa, vaſa conſecrare, veſtes benedicere, & id genus alia, quæ tangunt corpus Chriſti myſticum.

Secundò notandum eſt, quòd poteſtas ſacerdotalis exceditur à poteſtate Epiſcopi quaſi à poteſtate alterius generis, ſcilicet poteſtate iuriſdictionis, ſed poteſtas Epiſcopi exceditur à poteſtate Archiepiſcopi, & aliorum ſuperiorum, & præſertim à poteſtate Papæ, quaſi à poteſtate eiuſdem generis, qa omnes habent iuriſdictionẽ, & poteſtatem ſupra corpus Chriſti myſticum, ideò omnem actum Hierarchicum, ſiue poteſtatiuum, quem poteſt facere Papa per vniuerſum in adminiſtratione ſacramentorum confirmationis, & ordinis, poteſt facere etiam Epiſcopus in ſua tantum Diœceſi, non autem ſimplex ſacerdos: & ideò quantum ad ea, quæ ſunt epiſcopalis ordinis omnes Epiſcopi ſunt æquales, & propterea vnus põt alium conſecrare; ſed non ſunt æquales in poteſtate iuriſdictionis, ſecundũ quam quicquid poteſt inferior, poteſt etiam ſuperior, ſed non è contra, quicquid poteſt ſuperior, poteſt & inferior; nec propter hoc Eccleſia dici poterit monſtruoſa, tanquã habeat plura capita, quia ſunt ſubordinata ad vnum; Ex his, quæ dicta ſunt conſtat falſum eſſe fundamentũ eorũ, qui dicunt nullam Chriſtum poteſtatem dediſſe Petro, quam non dederit alijs Apoſtolis, quia nulli aliorũ dictum eſt, Paſce agnos, vel paſce oues meas, & confirma fratres tuos: cui tanquam capiti Eccleſiæ, ſuiſq; ſucceſſoribus, ſicut Moyſi tãquam capiti ſynagogæ, & ſucceſſoribus ſuis dedit hanc poteſtatem, vt expreſsè Chriſtus dixit, Super cathedrã Moyſi ſederunt

Digitized by Google

derunt Scribæ, & Phariſæi, omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite, Matt. 23. eo quod ſcilicet habeant poteſtatem Moyſi, cum ſedeant in eius Cathedra.

Nec obſtat, quod dicitur Act. 8. cap. Cumaud iſſent Apoſtoli, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos, Petrum, & Ioannem, quaſi ſibi inferiores eſſent, ſed miſſio illa non fuit præceptiua, ſed conſultiua, & obſecratoria.

Nec obſtat, quòd Petri ſucceſſor poſſit peccare, & ſit tanquam frater corrigendus, iuxta illud, Si peccauerit in te frater tuus, &c. Matt. 18. tandem ſequitur dic Eccleſiæ; quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. Ex quo ſequitur, quòd Papa ſubijcitur correctioni Eccleſiæ, ſi illum aliquando in fide errare contigerit, præſertim quando abuteretur poteſtate, totamq; Eccleſiam ſcandalizaret, cum non ſit data illi poteſtas in deſtructionem, ſed in ædificationem. Et nota, quando Papa errat, & eſt corrigendus non agit vt Papa, ſed vt homo, & particularis perſona, & propterea vt talis ſubijcitur correctioni Eccleſiæ: & maximè ſi quando à fide fortè deuiat, vt habetur in cap. 40. ſi Papa 40. diſt. vel quando alia facit, quibus abſq; eius correctione non poteſt aliter Eccleſiæ remedium adhiberi, alias politia Chriſti non eſſet benè ordinata, ſicuti humana; ſed Dei beneficio factum eſt, vt nunquam aliquis Papa per Eccleſiam fuerit iudicatus, pro cuius depoſitione ſeruandæ eſſent multò plures ſolemnitates, quàm in depoſitione Epiſcoporum. Turrecrem. Card. 2. lib. ſuæ ſummæ de Eccleſia, c. 77. & ſequentibus vſq; ad 110. dat alia remedia, & fusè tractat hanc quæſtionem, ad quem plura quærentem reijcio. Poteſtas eccleſiaſtica principaliter, & directè ſola ſupernaturalia, & ſpiritualia reſpicit, temporalia verò tantum ſecundariò, ſiue acceſſoriè: Quapropter ſacerdotio regali, Papæ omnes Chriſtiani, & eorum reges ſubditi ſunt, quatenus illa ſupernaturalia poſtulant: Ratio igitur, cur Papa potuit transferre Imperium à Græcis in Latinos, fuit illud maximum impedimentum ſupernaturalis beatitudinis conſequendæ, & aliorum ſupernaturalium in Eccleſia Chriſtiana exercendorum, quod oriebatur fidelibus ex infidelitate, etiam ex defectione Græcorum Imperatorum

ab

ab Eccleſia Romana : Hoc inquam impedimentum fecit, vt poteſtas prædicta Eccleſiæ extenderetur ad transferendum imperium, & ad ponēda s in illa translatione leges, per quas ſatis conſultum eſſe Eccleſiæ Chriſtianæ, & fidelium ſaluti æternæ, & ſupernaturalium exercitio; in quibus fuit illa, per quam conſtitutum fuit, ad quos pertineret electio Imperatoris, & ad quem confirmatio, & ad quem cognitio, vacante Imperio, & id genus alia. Hoc inquam impedimentum effecit, vt ſuprema Eccleſiæ poteſtas præfatam trāslationem facere potuiſſet ſuper Imperio multa, ſed etiam ſuper alijs Regibus, quòd etiam ampliatur Papam non ſolum poſſe quatenus ratio conſequendæ vitæ æternæ ſupernaturalis gratiæ, & gloriæ id exigit. Infertur etiam Imperatorem ſuſcipere Inſulas, & Coronam à Romano Pontifice ex diuina inſtitutione, & ratione ſolius poteſtatis traditæ ei à Chriſto, nō humana conſtitutione appoſita in translatione Imperij. Quare ſatis eſt in Eccleſia hac militante eſſe vnum ſummum Pontificem, Principemq; non tantum in ſpiritualibus talis, at tantæ poteſtatis, cui omnis ſecularis poteſtas ſubdatur, & qui ea vti poſſit, circa etiam temporalia, cum ratio ſalutis æternæ id popoſcerit; vel ad iubendum alijs ſecularibus, vt ſua poteſtate ritè vtantur, aut ad faciendum ea, quæ ipſi facere ſi neglexerint cum ſalutis æternæ impedimento euidenti; ipſorum erit culpa: In omnibus etiam, præterquam in articulis fidei, Papa diſpenſare poteſt, neq; in his, quæ ſui natura ſunt mala, eſt ei poteſtas, &c.

Tanta prętereà huic ſummo Pontifici à Deo collata eſt poteſtas, vt ſolus habeat vniuerſalem iuriſdictionem, quæ requiritur ad vſum clauium ſuper omnes: Epiſcopi autem, & Sacerdotes habent iuriſdictionem limitatam, & diſtinctam ſecundum ſuas diœceſes, & parochias, ita vt non in quemlibet, ſed in ſibi tantum ſubditos, niſi in articulo mortis poteſtatem habeant iuriſdictionis ſuper omnes, in quo articulo auctoritate Apoſtolica omnibus Sacerdotibus conceſſus eſt vſus clauium, vt Gloſſ. in c. Paſtoralis. §. præterea, ſuper verbo, Præterquam in mortis articulo, extra de off. iud. ord. & textus in c. non dubium, & c. quamuis, de ſent. excom. Im-

Huic ſummo Pōtifici relictæ ſunt claues, quas Chriſtus promiſit Petro, cum dixit, Tibi dabo claues regni cœlorum; quæ claues metaphoricè dictæ ſunt, ſeu ſimilitudinariæ; claues enim hic pro poteſtate accipiuntur auferendi, vel ponendi impedimentum ingreſſus in regnum cœlorum, ſicut per clauem ponitur, vel remouetur impedimentum ingreſſus domus; & quia regnum cœlorum clauditur homini per peccatum, ideò poteſtas, qua tale impedimentum tollitur, dicitur clauis regni cœlorum, quia tollendo huiuſmodi obſtaculum aperit, & non tollendo claudit, ſicut Deus dicitur indurare cor alicuius, non quidē impartiēdo maliciā, ſed non cōferendo gratia. vt loquit̃ D. Aug. Et cum per hanc poteſtatē cōferatur gratia, per quā aperitur cœlū illi, qui egreditur ex peccato, quod dicitur porta Inferni, quæ clauditur, cum homo per gratiam diſponitur, vt in peccatum vltra non labatur. Et quamuis cœli oſtium quantum de ſe eſt ſemper ſit apertum, dicitur tamen clauſum alicui propter impedimentum intrandi, quod potiſſimum fuit peccatum originale. Cum autem hæc poteſtas remouendi peccatum, & conferendi gratiam, authoritatiuè pertineat ad ſanctiſſimam Trinitatem, ideo dicitur, quod ſolus Deus habet clauem authoritatis, ſed in Chriſto homine, ſiue ſecundum humanitatem, fuit excellentiæ poteſtas remouendi hoc obſtaculum per meritum ſuæ paſſionis, qua cœlum aperuit iamdiù antea clauſum; & propterea dicitur habere claues excellentiæ. Et quia ex latere Chriſti dormiētis in cruce fluxerunt ſacramenta, ex quibus ædificata eſt Eccleſia; ideò in ſacramētis Eccleſiæ manet efficacia paſſionis Chriſti; & propter hoc miniſtri Eccleſiæ, qui ſunt diſpenſatores ſacramentorum, dicuntur & ipſi habere claues miniſteriales ad tollendum prædictum impedimentum, cum habeant poteſtatem ligandi, & ſoluendi; quia Iudex eccleſiaſticus, qui eſt confeſſarius, poteſt dignos recipere, & indignos arcere, atq; excludere, & non ſoluere. Nulli præterea dubium eſſe debet, ſynagogam olim tempore Moyſis habuiſſe Aaron ſummum ſacerdotem, ad quem grauiores cauſæ, & difficiliores referebantur; quique ſuāmet authoritate ſentētiam ferebat, à quo nulla penitus erat appellatio; alioquin nulla in republica

illa fuiſſet pax, nulla tranquillitas, nulla firmitudo, nulla concordia, vnde citò rueret, & ſtatim diſſolueretur; quapropter neceſſe fuit ad illius reipublicæ conſeruationem, vnum eſſe caput, vnum iudicem ſupremum, vnum ſummum Pontificem, qui cauſas difficiles, & grauiores iudicaret, & à quo nemo appellare poſſet; ſi ergo Deus illi ſynagogæ prouidit, tribuens illi vnum ſummum Pont. max. qui vltimam ferret ſententiam, quomodo fieri poterit, vt Eccleſiæ ſuæ non prouideret? quam ſanguine ſuo precioſiſſimo comparauit, & pro qua vitam in ara crucis profudiſſe nouimus? Tronus itaque ille antiquus cathedræ Apoſtolicæ gerebat imaginem, & ſupremus ille ſacerdos, & Iudex ſummum noſtrum Pontificem adumbrabat, ad quem pertinet controuerſias de fide, & religione componere, & definire; quæ quidem maiores cauſæ eſſe dicuntur: nam ſi nauis abſq; Nauclero gubernari non pot, ſi humanum corpus ſine capite non exiſtit, ſi ouile ſine paſtore direptioni committitur; ſi ciuitas abſque Gubernatore euertitur, & ad vaſtitatem vocatur, quomodo fieri poterit, vt Eccleſia Catholica, vt Petri nauicula Nauclero, Grex Domini paſtore, & gubernatore ſit deſtituta? Cum ſit nauis, corpus, ouile, & ciuitas ſupra montem poſita, vt litteræ diuinæ teſtantur?

Confitendum eſt igitur, & profitendum Romanum Pontificem, qui reuera eſt immediatus Chriſti Vicarius, Petri Apoſtolorum principis ſucceſſor, & totius Eccleſiæ catholicæ caput, habere ſupremam in hac Dei Eccleſia poteſtatem, & auctoritatem, ad ipſumq; maiores, & difficiliores cauſas eſſe deferendas, vt eas ipſe definiat, quæſtiones dirimat, & abſoluat: Quod certè ex multis Pontificibus confirmatur, & primum ex Anacleto, qui epiſtola prima de oppreſſione Epiſcoporum, & Patriarcharum: Epiſtola autem tertia de Patriarchis, & primatibus hæc litteris verba mandauit: Sacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt.

Euariſtus, ad Sedem, inquit, Apoſtolicam tanquam ad caput

put ſunt dubia referenda.

Sixtus primus, & Eleutherius ad Eccleſias Gallicanas ſcribentes.

Pius primus in epiſtola ad omnes Eccleſias: Victor in epiſtola ad Theophilum: Zeferinus in epiſtola ad Epiſcopos Sicilianos: Marcellus in epiſtola ad Epiſcopos Antiochiæ: Euſebius ad Epiſcopos Campaniæ, & Tuſciæ: Melchiades ad Epiſcopos Hiſpaniarum: Iulius Primus ad Epiſcopos Orientales, omnes hanc veritatem confirmarunt: quod ſi quis fortè dicat, me in ſummorum Pontificum authoritate tuēda, ipſorum Pontificum authoritates citaſſe, multas antiquorum Doctorum ſententias hoc idem confirmantes referam, inter quas Ireneus lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 3. Hieronymus in epiſtola ad Damaſum. Auguſtinus contra epiſtolam Manichei cap. 4. & in epiſtola 162. ad Glorium, & Eleuſinum, & in Ioannem tractatu quinquageſimo ſexto: Cyprianus in epiſtola prima ad Cornelium, & tractatu de ſimplicitate prælatorum: Ambroſius in lib. de exceſſu fratris ſui cap. 7. & ſerm. 47. de fide Petri: Cyrillus in Teſauro à D. Thoma citatus, & alij propè infiniti. Quibus ſi fidem adhibere volueris: audi inſuper, & lege conciliorum vniuerſalium ſanctiones, & decreta ſuper hanc veritatem confirmādam ædita, & præſertim concilij Niceni cap. 18. cuius verba ſunt: Omnes Epiſcopi in cauſis grauioribus liberè apoſtolicam appellēt ſedem, atq; ad eam quaſi ad matrem confugiant, cuius diſpoſitio in omnes maiores eccleſiaſticas cauſas, antiqua Apoſtolorum authoritas reſeruauit.

Lege quintam ſynodum generalem apud Conſtantinopolim celebratam in ſententia contra Anthimum, & ſextam ſynodum generalem actione 4.

Lege concilium Lugdunēſe ſub Gregorio, & ſub Innocentio Quarto.

Multa alia adducerem teſtimonia, ſed quia ſuperflua (Catholicis.n.loquor) & breuitati ſtudeo, conſulto relinquo.

De

De Cardinalibus.

Pontianus Pontifex, teſte Ancharano in c. vbi periculum, de elect. in 6. in pri. col. introduxit Cardinales anno Domini 131. quod poſitū eſt in Catalogo Pontificum; & Marcellus, qui fuit anno 303. conſtituit quindecim titulos Cardinalatus in Vrbe, qui tituli paulatim à diuerſis Pontificibus ampliati ſunt, vt ſuperius diximus.

Hæc dignitas eſt, quia in nouo teſtamento poſt Chriſtum ſacerdotalis incepit ordo à D. Petro Apoſtolo, cui primum Pontificatus datus eſt, dicente Domino, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebũt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum; & ita ipſi Petro tanquam Principi Apoſtolorum in Eccleſia Chriſti Pontificatus fuit traditus, ipſiq; Apoſtoli Petrum eorum Principem eſſe voluerunt, vt & reliquis omnibus præeſſet, & hanc eandem formam ſuis ſucceſſoribus reliquit, vt in c. in nono 21. diſt. & in c. ſacroſancta, §. & poſt pauca 22. diſt. vnde Domini Cardinales ipſos Apoſtolos repreſentant, qui ſummo Pontifici aſſiſtunt, ipſiſq; incumbit negotium eligendi ſummum Pontificem, & exempla Apoſtolorum ſequuntur, vt dicit Andr. Barbat. in tractu de præſtantia Cardinalium 1. q. Baſilica primæ partis nu. 29.

Præterea Innocentius IV. ſtatuit, vt Cardinales galero rubeo vterentur honeſtandi ordinis gratia, vt in decretis ipſius Papæ habetur, de quo in ſumma Conciliorum; & ipſe Andr. in dicto loco num. 42. & ſequentibus concludit Cardinales eſſe Epiſcopis digniores.

Pius V. in Bulla prohibitoria, ne Ciuitates, & loca S. R. E. poſt hac infeudentur, decernit, Cardinales in aſſumptione pilei debere promittere, & iurare ſe hanc Conſtitutionem, ſeu Bullam obſeruaturos, alioqui eos periuros, & perpetuò infames eſſe decernit; vide multa in eadem Bulla, in qua etiam agitur de electione ſummi Pontificis.

De

ſemper tenendo, quod per orationem, & maturam conſide-
tionem curandum eſt illi, vt ſanum conſilium dare poſſit. Debet quoque defectus (vbi opus fuerit) quos vel in curia, vel in ipſius Pontificis perſona viderit, vt prudentia, & charitas admonet corrigere, & hæreſes, vel bella, vel diſſidia, alioſuè defectus, quos in Eccleſia Dei cōtigere nouerit, Pontifici reuelare: & in his, quæ ſtrictè tractantur, ex quorū reuelatione damnum, vel ſcandalum ſequi poſſet, ſecretum ſeruare, quandoque tamen liceat cum perſona fideli, & diſcreta ad captandū conſilium huiuſmodi ſecreta conferre.

Tertiò, Cardinales interdum ſolent conſtitui Iudices in cauſis ſibi à ſede Apoſtolica commiſſis, ad quos reduci etiam poteſt protectio religionum, quas eis Pontifex committere ſolet; qua in re diligentiam adhibere debent, vt iuſtitiā primum agnoſcant: deinde, vt pro ea ſententiam ferant, amore, odio, timore, vel cupiditate omnino ſecluſis, 1.q.3.cap.quattuor: & ad hæc tria munera præſtanda Romæ debent reſidere, vt in concilio Lateranenſi poſtremò ſub Leone in Bulla reformationis præſcribitur.

Quartò, Cardinales mitti ſolent Legati, vel vel ad prouinciam Eccleſiæ regendam, vel ad pacem Principum conciliandam, & hæreſes ſchiſmata, ſedanda, & ad præſidendum in generalibus concilijs nomine ſanctiſſimi, vel vt Vicarij ſint ſedis Apoſtolicæ in quibuſdam prouincijs, & Regnis, quod attinet ad mores, vbi iuſtitia eſt decernenda viriliter, & abſque vllo affectu cum Dei fiducia eam præſtare debent, & potius iniurias quaſuis, & extrema pati, quàm illam vllo vnquam tempore violare: vnde Gregorius primo epiſtola quinta ad Vbertum, & Albertum Legatos ſcribit, Hæc ſuccinctè vobis ſcripſimus, vt omnem in Deo, & S. Petro, cujus filij, & Legati eſtis, fiduciam habentes, ad quæ miſſi eſtis viriliter, & incunctanter Apoſtolicæ vice fulciamini, & in facienda iuſtitia, fideli conſtantia accingamini. Et infra: De cætero vos monemus, vt in locis venerabilibus, ad quos veneritis, orationes fieri pro me obſecretis; quatenus omnipotens Deus, qui deſiderium meum nunquam ad honorem iſtum anhelare cognoſcit, ad ferendum tam graue onus, quod impoſitum mi-

S hi ti-

hi timore recuſare non audebant, omnes facultates infirmitati meæ pius impendat.

Idem libro 6. epiſtola 6. ad Buccardum Alliſtenſem Epiſcopum, poſtquã iniurias ſuis Legatis irrogatas narrauit, pulchrè ait: Sed nos magis hæc illis accidiſſe volumus, quam vt ipſi hominibus magis, quàm Deo placere cupientes, veritatẽ, & libertatem illius, quæ in eis repræſentabatur authoritas, aliqua ſimulatione violaſſent: nam ſi Principibus, & diuitibus terræ veſtræ pro libidine & iuſtitiam Dei conculcare taciti conſentire vellemus, profectò amicitias, munera, ſubuentiones, laudes, & magnificas ab eis honorificentias habere poſſemus; ſed quia loco, in quo ſumus, & officio, quod tenemus, minimè congruit, nihil eſt, quod nos à charitate Chriſti ipſo protegente ſeparare poſſit, quibus mori tutius eſt, quàm eorum perſonas reſpicere; qui licet ſint pauperes, legem ſui cõditionis exquirunt, mandata diligunt, vitam potius, quàm mandata deſerunt: hæc ille.

Vbi autem gratiæ concedendæ ſunt, curandum in primis, vt omnis auaritiæ ſpecies euitetur, & gratis concedantur, quæ gratis accepta ſunt: deinde etiam adhibenda eſt cura, vt non niſi ad ædificationem Eccleſiæ, & Dei laudem huiuſmodi ſpirituales conceſſiones fiant: Ideò in collatione beneficiorum, ſi ipſis incumbit, ſummoperè curare debent, vt dignis, & vtilibus Eccleſiæ viris beneficia conferant, nec vel in hac collatione priuatum ſuum commodum, vel ſuorum conſanguineorum, vel familiarium, ſed Eccleſiæ potius ædificationem quærant.

Vt autem prædicta quattuor munera rectè à Cardinalibus fiant, operam dabunt, vt vitæ honeſtate, & morum grauitate in primis reſplendeant; laſciuias omnes, venationes, & ludos, & pompas caueant, familias ſuas in Dei laudem ſtudeãt timore continere, & Eccleſiam, quam in titulo habent, diligenter viſitent, curentq; vt in ea Dei cultus vigeat, vitent ambitionem, & auaritiam, pluralitatem beneficiorum incompatibilium fugiant, niſi fortè Eccleſiæ neceſſitas id exigat, vel vtilitas.

Quales autem debeant eſſe Cardinalium mores pulchrè

ac

ac fuſè ſcribit D. Bernardus lib. 4. de conſideratione ad Eugenium, cuius verba hæc ſunt: Et in hoc tibi perſuade, qui admittendi ſunt (loquitur enim de admiſſione ad cardinalatũ) difficilè in curia poſſe probari: & ideò ſi fieri poteſt, viros probatos oportet eligi, non probandos. Nos (inquit) in monaſterijs omnes recipimus ſpe meliorandi; At curia bonos facilius recipere, quàm facere conſueuit: quod ſi plures in ea deſuiſſe bonos, quàm malos, profeciſſe probauimus, quærendi ſanè, quibus nec defectus timeatur, nec profectus optetur, vtpotè iam perfectis. Itaque non volentes, neque currentes aſſumito, ſed cunctantes, ſed renuentes etiam, illos collige, compelle intrare; in talibus (vt opinor) requieſcet ſpiritus tuus; qui non ſint attritæ frontis, ſed verecundi, ſed timorati, qui præter dominum nihil timeant, nihil ſperent, niſi in Deo: non munus attendant, ſed neceſſitas vrgeat, qui ſtent viriliter pro afflictis, & iudicent in æquitate pro manſuetis terræ, qui ſint compoſiti ad mores, probati ad ſanctimoniam, parati ad obedientiam, manſueti ad patientiam, ſubiecti ad diſciplinam, rigidi ad cenſurã, catholici ad fidem, fideles ad diſpenſationẽ, concordes ad pacem, conformes ad vnitatem; qui ſint in iudicio recti, in cõſilio prouidi, in iuuando diſcreti, in diſponendo induſtrij, in agendo ſtrenui, in loquendo modeſti, in aduerſitate ſecuri, in proſperitate deuoti, in zelo ſobrij, in miſericordia non remiſſi, in otio non otioſi, in hoſpitio non diſſoluti, in conuiuio non effuſi, in cura rei familiaris non anxij, alienæ rei non cupidi, ſuæ non prodigi, vbique, & in omnibus circunſpecti.

Qui legatione fungi pro Chriſto, quoties opus erit, nec iuſſi renuant, necnon iuſſi affectent; qui quod verecundiæ excuſant, obſtinatius non recuſent: qui miſſi poſt aurum non abeant, ſed Chriſtum ſequantur; qui quæſtum legationum non æſtiment, nec requirant datum, ſed fructum; qui regibus Ioannem exhibeant, Aegyptijs Moyſen, fornicantibus phinees, idolatris Eliam, Eliſeum auaris, Petrum mentientibus, Paulũ blaſphemantibus, negociationibus Chriſtum, qui vulgus non ſpernant, ſed doceant, diuites non palpent, ſed terreant, pauperes non grauent, ſed foueant, minas Principum

non paueant, ſed contemnant; Qui non cum turba intrent, nec cum ea exeant, qui Eccleſias non ſpolient, ſed emendẽt; qui marſupia non exhauriant, ſed corda reficiant, & crimina corrigant, famæ prouideant ſuæ, nec inuideant alienæ: qui orandi ſtudium gerant, & vſum habeant, ac de omni re orationi plus fidant, quàm eorum labori, vel induſtriæ; quorum ingreſſus pacificus, non moleſtus ſit exitus: quorũ ſermo ædificatio: quorum vita iuſtitia: quorum præſentia grata: quorum memoria in benedictione: Qui ſe amabiles præbeãt, non verbo, ſed opere: Reuerendos ſe exhibeant, actu, non faſtu: qui humiles cum humilibus, & cum innocentibus innocentes; Duros durè redarguant, malignantes coerceant, reddant retributionem ſuperbis: qui non de dote viduæ, & patrimonio Crucifixi ſe, vel ſuos ditare feſtinent: Gratis dãtes, quod gratis acceperunt: gratis facientes iudicium, iniuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis; Qui de tuo denique ſpiritu illorum inſtar ſeptuaginta Moyſi accepiſſe cernantur, per quem ſiue abſentes, ſiue præſentes contendant placere tibi, placere Deo: qui ad te redeãt, fatigati quidem, ſed non ſuffarcinati ſimul, & gloriãtes; non quod curioſa, ſeu precioſa quæque terrarum attulerint, ſed quod reliquerint pacem regno, legem barbaris, quietem monaſterijs, Eccleſijs ordinem, clericis diſciplinam, Deo populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Quæ omnia D. Bernardus pulchrè complectens addit & iſta. Nonne (inquit) alterius ſeculi res eſt, rediiſſe legatum de terra auri ſine auro? Tranſiuiſſe etiam per terras argenti, & neſciuiſſe argentum? Donumq; quod poterit eſſe ſuſpectum, reieciſſe?

Finis Secundi Libri.

13-6-B-19

LIBER TERTIVS

DE SACERDOTIBVS.

POSTREMVS gradus Sacerdotij illorum eſt, qui ſacerdotes ſimpliciter vocantur, quorum nonnullæ functiones ſuperius declarantur, quæ illis cum Epiſcopis ſunt communes; vtpute Horas canonicas recitare, Miſſas celebrare, Sacramenta miniſtrare, curamq; populi agere, atq; illum verbo, & exemplo docere; quorum gradum, perfectionemq; facilè intelligemus cum eorum dignitatem, & inter alios differentiam cognouerimus, de quorũ nobilitate, prius quædam hic prænotanda duximus, quò ſciant ipſi an eorum vita, & mores tanto fini reſpondeant, & laici diſcant, quo honore, quauè reuerentia noui Teſtamenti ſacerdotes proſequi debeant. Hi enim ſunt, qui Angelorum more Deo viuenti miniſtrant, quos Deus ipſe à communi hominum cætu ſegregatos voluit, vt quanta illorum puritas futura ſit, quàm compoſiti illorum affectus, quamque à cætera turba diſſimiles futuros eſſe cognoſcant. Quanta enim iſtorum ſemper, & in omni ſtatu fuerit dignitas, & nobilitas, etiam Ethnici cognouerunt, qui id non cuiuis conuenire, ſed præſtantiſſimorum hominum munus eſſe arbitrati ſunt. Immo verò tantum abfuit ſemper, vt cuilibet honorem illum tribuendum eſſe cenſerent, vt ne myſteriorum quidem, quæ ſacerdotibus à Deo patefieri exiſtimabant auderi quicquam à profanis fas eſſe ducerent. Quamobrem illud à D. Dionyſio, vt ſingulare quiddam adnotatum legimus, ſacerdotem è templo egrediẽtem, digito ad eos admoto, quaſi muſitantem, Deorum arcana celare conſueuiſſe. Illud præterea Romuli lege antiquitus cautum, graue auctores teſtantur, vt ſumma in eligendo ſacerdote diligentia adhibita curaretur, vt præter egregia animi orna-

ſacramenta, nihil eſſet in corpore vitioſum, aut imbecillum. Et quemadmodum nulla intrinſecus macula, ita nulla extrinſecus deformitas tanto munere indigna appareret. In aditum etiam permulti tradunt, ingrediendi facultatem præter ſacerdotem nemini vnquam datam eſſe, neque illo interdicente publicè quicquā aggredi omnino cuiquam licuiſſe. Quāobrem? nimirum quia nullum hominum genus ſacerdoti non modo non præferendum, ſed ne adæquandum quidem eſſe indicare voluerunt. Et ſi quis hæc ob eam cauſam inſtituta in dubium fortaſſe vocet, meminerit horum pleraq; in veteri Teſtamento longè ſanctius, quàm ab idolorum cultoribus obſeruata eſſe. Illud nanque Deuteronomij interdictum quemquam, qui in ſacris litteris mediocriter etiam ſit verſatus, latere non poteſt, quo certa corporis, ac naturæ vitia ab huiuſmodi munere excludebantur. Addo, quòd non niſi Altaris miniſterio addictis in ſanctuarium aditus patebat, vnamq; tantum leuiticam tribum ad id oneris ſuſcipiēdum inſtitutam eſſe diuinitus eſt traditum, ſimulq; imperatum, vt eorum monitis, mandatiſq; vniuerſus populus obtemperaret. Hanc verò dignitatem in veteri lege neque populi fauor, neque Senatus ſuffragia, ſed Dei ſapientia, & cōſilium præſtantiſſimo cuique ſemper detulit: neq; quiſquam vnquam repertus eſt, qui à Deo minimè vocatus, eam ſibi per arrogantiam impunè vindicarit; cuius rei memorabile exēplum Ozias in libris Paralipomenon reliquit, qui & ſi regio diademate clarus eſſet, quia tamen ſacerdotale munus ſibi arrogaſſet, grauiſſimo lepræ morbo à Domino illicò afflict⁹, perpetuas dum vixit temeritatis ſuæ pœnas dedit. Quod ſi eos qui honore regio funguntur, indignos tamen interdum, q̄bus ſacerdotalis traderetur poteſtas, Dei ipſius ſententia cenſuit, quis non ſacerdotem regi præferendum eſſe fateri etiam inuitus cogatur? Quod etiam illud apertè indicare videtur, quia quo vterentur reges veſtitus genere, humanum fuit cōmentum. Quo autem habitu, qui ſacris præeſſent ornaretur, diuini numinis monitu, in leuitico præſcriptum eſſe nouimus. Quæ omnia eo magis noui Teſtamenti ſacerdoti conuenire dicendum eſt, quòd ipſi ab omni vndiq; parte multo

plus

plus dignitatis, poteſtatisq; tributum eſſe è ſacris ſcripturæ voluminibus facilè diſcas: quandoquidem ſi hunc iam cum maximorum exercituum Imperatoribus, & clariſſimorum vrbium Regibus conferas, reperies ipſum præterea, quæ cum priſcis ſacrorum miniſtris habeat communia, in multis etiam quæ ſibi propria ſunt, haud dubiè illis omnibus anteferendũ. Neminem enim latet, eiuſmodi illorum munus eſſe, vt in corpus tantummodo humanum iudicium, & dominatum exerceant; Hunc autem longè altiori modo iudicem conſtitutum, cœleſte in corpus, animumq; imperium habere: neque vt illos armis, legibusq; mortalium ingenio excogitatis, auxilium ſibi ad eum tuendum, conſeruandumq; comparare, ſed Chriſti verbo, quod quouis ancipiti gladio acutius eſt, ac penetrabilius, legumq; omnium ſuprema lex eſt, optimè, facilimeq; tueri, neque vi, aut metu inuitos, ac repugnantes in officio continere, dictoq; audientes reddere, ſed ſuaui ſeruitutis iugo volentes, atque alacres hominum animos, mentesq; ſubigere. Hanc præexcelſam, & ſpiritualem virtutem, quæ nõ à Moſayco ſacerdotio, ſed à Chriſto Dei Filio ortum ductura eſſet, Malachias admiratus, non homines, ſed Angelos Domini exercituum ſacerdotes vocauit: quod non ſecus ac Michael, inimicos ſpiritus de altiſſima ſede ad infima deiecit; hi quoque eoſdem è regno animæ quodammodo expulſos in tartara victos, præcipitesq; detrubent. Sacerdos itaq; omnibus terrarum orbis principibus viris, longo ſpatio infra ſe relictis, ad altiora conſcendens, & cum ſummis etiam, ac primarijs Angelis contendens, illis quoque maiorem poteſtatem, dignitatemq; aliqua ratione obtinere comperitur. Cui enim vnquam Angelorum datum eſt, vt ſanctiſſimũ Chriſti corpus conſecrare, quod omnibus noui Teſtamenti ſacerdotibus commune eſt, Deumq; è cœlo in manus ſuas euocare licuerit? Aut vbinã illos Dei vice functos, aut Dei Vicarios dictos eſſe meminiſtis? Conſecrantem verò ſacerdotem, quis ignorat non ſuam, ſed Chriſti perſonã agere, ipſi ſummo ſacerdoti inherere, eiuſq; vim, ac numen in terris tenere? Quare apud ſacros authores multis in locis Dei Vicarium, apud Dauidem autem Deum fortem appellatũ eſſe planiſſimè conſtat

ſtat. Neque verò excellentiſſimum illud peccata dimittendi ius, quod ſibi vni reſeruarat Deus, ijs, quos Deorum nomine dignos effecerat, non largiſſimè, ac benigniſſimè tribuit? quam facultatem neque cœleſtibus ſpiritibus, neque altiſſimo Beatiſſimæ Virginis numini vllo vnquam tempore eſt impertitus. Cum igitur, quod Dei vnius eſt, ſacerdotibus datum ſit, cũq; illi ſic à Chriſto mittantur, vt à Patre Chriſtus eſt miſſus, conſequens eſt, vt vbicunq; ſacerdotẽ occurrẽtem videris, Deũ occurrere non iniuria arbitrere. Id .n. tùm ex ſacerdotis conſecratione, tùm ẽt ex ipſa habitus forma, ſignificationeq; apertiſſimè declaratur. An non videmus, vt miſticis ceremonijs, publiciſq; ſupplicationibus, ſolemnibus etiam ieiunijs adhibitis, ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ inſtituto ab vniuerſo populo pro tantorum quaſi Deorum creatione tantoperè ſummus rogetur Deus? Neq; aliud quicquam nobis indicari cogitandum eſt, cum illis manus ab Epiſcopo imponi, cum Spiritum ſanctum dari, cum ſacris eos veſtibus indui cernimus; quibus quemadmodum diuina Chriſti virtus, & triumphales veſtes ſignantur, in ſacerdote Chriſti Dei imago vndecunque efficta conſpicitur. Quocirca æquiſſima mihi cauſa eſt, cũr eos, qui omne honoris, & obſeruantiæ genus, ſacerdotibus à quocunque deferẽdum eſſe iam tandem minimè ſentiãt, ego nõ homines, ſed quadrupedes, immò ne quadrupedes quidẽ dicere audeam, cum id aliquando quadrupedes ipſos (non inanes fabulæ) ſed eccleſiaſtica hiſtoria referat intellexiſſe. Neque enim obſcura eſſe poteſt equi illius fama, qui olim Diuo Ioanni Papæ Etruſco à nobili ciue itineris cauſa commodatus, cum eo antea Dominus placidiſſimo fuiſſet vſus, vt illi reſtitutus eſt, commutata ſtatim natura, ita ferox eſt factus, vt veterem dominum poſt id tempus ſemper expulerit, quaſi cæteros, vehere dedignans recuſaret, qui ſanctum ſacerdotem ſemel vexiſſet. Hæc atque alia huiuſmodi, quæ breuitatis cauſa ommitto, cæteris pro ſua prudentia, & iudicio conſideranda, relinquo. Diuus Ambroſius in libro de dignitate ſacerdotali, hoc teſtatum reliquiſſe legimus. Si Regum fulgori compares ſacerdotem, & principum diademati, longè erit inferior Rex, quam ſi plumbi metallum cum auri fulgore com-

re com-

re compares: quippe cum videas regum colla, & principum ſubmitti genibus ſacerdotum, & exoſculatis dexteris eorum, ſe quoque eorum orationibus communitos eſſe credant.

Sed vt dignitate ad quidditatem eius, de qua hic loquitur transeamus: ſacerdotem virum eſſe dicimus, ad Dei veri cultum, auctoritate diuina determinatis perſonis conceſſa, firmiſſimè deſtinatum.

In qua deſcriptione ſex particulæ numerantur.

Prima eſt ſacerdotem eſſe virum; quia (vt ſupra diximus) fœminæ à ſacerdotio excludũtur, nec ſacerdotes eſſe poſſunt, ſed tantum viri, & hoc de iure diuino, quia Chriſtus ſolos viros inſtituit ſacerdotes, quod eſt directè contrarium Lutheranis, qui omnes volũt eſſe ſacerdotes etiam fœminas, & hoc ad ſignificandum huius officij perfectionem, & dignitatem; & hanc ob cauſam excluduntur pueri, quia ad hoc officium exercendum opus eſt maturo iudicio, quod in pueris eſſe non poteſt; quapropter ſacerdos debet vigeſimum quartum annum ſuperare, quamuis pontificia diſpenſatione poſſit ſacerdos minoris ætatis fieri, cum hoc ſit de iure humano.

Dicitur etiam presbyter, hoc eſt ſenior, non ſolum propter ætatis maturitatem, quæ ad hoc officium maximè neceſſaria eſt, ſed etiam propter morum grauitatem, doctrinam, & prudentiam, quæ in ſacerdotibus eſſe debent in altiori gradu, q̃ in alijs, vt alijs præſertim ſibi ſubditis, & omnibus ſuæ curæ commiſſis, iter præbeant ad cœleſtem patriam.

Secunda eſt, ad cultum veri Dei deſtinatum; qui cultus in ſacrificio maximè conſiſtit, & in oblationibus, ac quotidianis laudibus, ac precibus pro populo fundendis. Sacerdos enim (vt docet Iſidorus lib. 7. ætym.) nomen eſt compoſitũ ex græco, & latino, quaſi ſacra dans, vel ſacer Dux; Rex enim a regendo, ita ſacerdos à ſacrificãdo vocatus eſt; conſecrat enim, & ſanctificat, ac pro ſeipſo, & pro populo orat: talis nanque eſt diuinus cultus, qui eſt actus religionis, & latriæ ſoli Deo debitæ: vnde fit, vt nulla creatura ſacerdotes habeat ſibi miniſtrantes. Habent quidem Reges, & Principes Oeconomos, Cubicularios, Villicos, Iudices, Auditores, & huiuſmodi, ſed

ſolus Deus habet ſacerdotes: vnde qui ſibi ſacerdotes faceret, & ſacrificia, precesq; ab eis peteret, eſſet ſe Deum facere.

Tertia particula eſt, veri Dei: Ad excludendos Ethnicos ſacerdotes idolorum, qui ſunt falſi Dei manu hominum fabrefacti, ad quos colendos, Dæmon illo diuinitatis appetitu, quem ſemper habuit, ſibi ſacerdotes vſurpat, ac templa, & ſacrificia, quæ ſolius ſunt Dei veri; tales igitur nomine tantum ſacerdotes inſtituit Diabolus: talia ſunt templa, talia ſunt eius ſacrificia, qualia ſunt Idola; Idolorumq; cultores, & qui in illis colitur Sathan.

Quarta particula eſt (Diuina authoritate) nullus enim ꝓpria anthoritate, ac placito ſe creat ſacerdotem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron in ſortem Domini: neque anctoritate Reipublicæ, quia quamuis habeant authoritatem creandi Reges, & Principes, non tamen poſſunt creare ſacerdotes; ſed opus eſt diuina anctoritate, quia ordo eſt etiam ſacramétum Eccleſiæ, ſicuti aliâ ſacramenta à Deo inſtituta.

Quinta pars eſt (determinatis perſonis conceſſa) iſta nanque authoritas non reſidet in communitate aliqua, aut congregatione, aut Republica, cui Dominus eã conceſſerit creãdi ſacerdotes: ſed Epiſcopis tantum, quibus à Chriſto Domino primum in Apoſtolos, deinde in Epiſcopos, in quibus nũc de iure diuino reſidet hæc anctoritas, & poteſtas creandi ſacerdotes conceſſa eſt.

Sexta pars eſt, firmiſſimè, ſeu immobiliter, non enim ſacerdos eſt ad tempus in hac vita tantum, ſicuti Duces, & Principes, ſed in perpetuum, ita vt retrocedere per nullam poſſit authoritatem; ſacerdoti etenim ritè ordinato imprimitur caracter indelebilis, qui nullo vnquam tépore deleri poteſt. Talis enim eſt ſacerdos noui Teſtamenti; & quamuis ſacerdotes in omni ſtatu fuerint, videlicet in lege naturę, fuit enim Melchiſedech ſacerdos Dei altiſſimi, qui obtulit ſacrificia, & oblationes.

In lege ſcripta fuit Aaron, & eius filius Eleazar, & reliqui ex tribu leuitica ad cuſtodiam Tabernaculi deputati, his tamen non conueniunt propoſitæ conditiones, ſed ſolis ſacerdotibus noui Teſtamenti.

In

In ſuperiori deſcriptione ſunt omnes quattuor cauſæ, quæ in vnaquaque re à Philoſophis, & Theologis requiruntur, nempè.

Materialis, quia ſunt viri; formalis, quia firmiter deputati ſunt per caracterem, qui eſt veluti forma.

Efficiens eſt diuina auctoritas determinatis perſonis conceſſa.

Finalis eſt cultus veri Dei: ad hoc .n. creantur ſacerdotes.

Quocirca ſacerdotes noſtri, & ſtatus gratiæ, perfectiores multo ſunt cæteris omnibus: differūtq; ab alijs ſacerdotibus: Primò ex parte cauſæ efficientis, quia ſacerdotes in lege naturæ creabantur poteſtate ciuilis Reipublicæ, quæ ſicuti habebat poteſtatem creandi Duces, & Iudices, ſic etiam ſacerdotes. Adueniente autem lege, Deus detulit hanc poteſtatem populo, quem ſibi peculiarem elegit: populo ſcilicet Iudæorum, præcipiens vt ex duodecim tribubus, vna tantum leuitarum eligeretur, in qua reſidebat poteſtas hæc creandi ſacerdotes illius temporis, ex familia tantummodo Aaron: ex reliquis verò, aſſumebantur tantum leuitæ, & miniſtri templi: illo autem tempore filij ſacerdotum acquirebant ſibi ius ad ſacerdotium, eo ipſo, quod eſſent filij ſacerdotum, quamuis tamen vſum non haberent, niſi poſt conſecrationem, quæ fiebat per olei aſperſionem tantum, non autem per vnctionem, quia vnctio ſolum erat ſacerdotum ſummorum. Quare poteſtas illa creandi ſacerdotes illius temporis fuit per modum generationis, deriuata ab Aaron, quem iuſſu Dei creauit Moyſes ſacerdotem. Sed authoritas creandi ſacerdotes noui Teſtamenti, diuina eſt, deriuata à Chriſto Domino in Apoſtolos, ab his in Epiſcopos, qui non per generationem, ſed per diuinam conſecrationem, ex quauis Chriſtianorum catholicorum familia ſacerdotes eligere, ac conſecrare conſueuerūt.

Differunt ſecundò, quia in ſtatu naturæ, aut legis non ſanctificabatur ſacerdos, nec recipiebat gratiam ex vi ipſius inſtitutionis, ſed ſacerdos euangelicus recipit gratiam per ipſam inſtitutionem, quæ vnum eſt ex ſeptem Eccleſiæ ſacramentis, gratiam ex opere operato conferentibus; & non ſolum gratiam, ſed ſignum quoddam ſpirituale, quo anima il-

lius inſignitur interius, quod à græcis caracter dicitur, qui ſignum eſt, & poteſtas quædam mirabilis, & indelebilis, quam nullus vnquam ab ea remouere poterit.

Tertiò differunt in poteſtate conficiendi corpus, & ſanguinem Chriſti; ſacerdotes enim noui Teſtamenti ritè ordinati poſſunt panem in corpus, & vinum in Chriſti ſanguinem virtute verborum, quæ Eccleſiæ catholicæ à Chriſto preſcripta ſunt, cum recta eiuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ intentione conuertere, quam poteſtatem, nec ipſi Angeli habuerunt, vel vllus alius cuiuſcunque generis ſacerdos fuerit; In qua poteſtate noſtrum ſacerdotium longè ſuperat ſacerdotium Aaronis, & Melchiſedech.

Quartò differunt in ſacrificio, quod offertur; illi enim panem, & vinum, aut animalia Deo offerebant. Noſtri verò ſacerdotes Chriſtum Dominum, Dei Filium offerũt, quo nihil Deo Patri gratius eſſe poteſt.

Quintò differunt in poteſtate mirabili abſoluendi à peccatis; nullum enim vnquam audiuimus ſacerdotem, niſi noſtrum, hanc poteſtatem habuiſſe, nullumuè hanc dignitatem à Deo accepiſſe, vt vel vnum peccatũ etiam veniale poſſet dimittere: Iudæi hoc (vt Deo ſoli cõueniens) Chriſto opponebant, quod peccata dimitteret: vnde ante eius aduentum nulli vnquam fuit talis, ac tanta conceſſa poteſtas, donec Deus homo fieret, & hoc nobilitatis genere natura inſigneretur humana. Iudæ enim peccatum ſuum confitenti dixerũt principes ſacerdotum; quid ad nos? tu videris; oſtendentes ſe poteſtate dimittendi peccata carere.

Sextò differunt ratione ſtatus, quia illi erant coniugati, & vxores ducebãt, etiam poſt ſacerdotium: At verò ſacerdos noui Teſtamenti eſt in ſtatu continentiæ, quæ longè perfectior eſt, quàm coniugatorum: ſi qui autem olim coniugati fuerunt in primitiua Eccleſia, id non fuit poſt ſacerdotiũ, & Eccleſia nondum erat in ſua perfectione, vt modo, & hoc non ſine cauſa. Primò quidem ad denotandum huius ſacerdotij excellentiam. Vt enim longè ſuperat omnia officia, & munera ciuilia, ita debuit etiam ad ſtatum hominum perfectiſſimum reduci, qualis eſt continentium.

Secundò, ad exprimendam puritatem, & munditiam ſacrificij in hoc ſacerdotio oblati: nam, vt eſt Angelorũ, ac Beatorum cibus, ita per puras manus, & Angelicas eſt tractãdus.

Tertiò, ad exprimendum ſimilitudinem cum capite. Chriſtus enim Dominus ſacerdotum caput, & princeps, virgo cõtinentiſſimus, & caſtiſſimus ſemper extitit. Debuerunt ergo eius miniſtri, & membra eodem cum illo ſacerdotio fungentes, eſſe caſti. Veſte enim alba ad ſacrificium offerendum induuntur, quò animi puritas, quæ in ſacerdote requiritur, oſtendatur, ad ſimilitudinem vigintiquattuor ſeniorum, quos D. Ioannes in ſuis reuelationibus ſe vidiſſe in thronis ſedẽtes, veſtibus albis indutos affirmat Apoc. 4.

De prima parte prioris officij Sacerdotis noui Teſtamenti.

Quid ſit Diuinum Officium. Cap. I.

CVm triplex (vt iam diximus) ſit munus ſacerdotis noui Teſtamenti, recitandi ſcilicet diuinum Officium, & Miſſam celebrandi, adminiſtrandi ſacramenta Eccleſiæ, & populum inſtituendi.

Conſideranda nobis hæc omnia proponuntur, & primò, quid ſit diuinum Officium. Quod Dei laudem voce expreſſam ex Eccleſiæ inſtitutione determinatam dicimus. In qua deſcriptione quattuor conſiderantur: primum eſt diuinum Officium dici laudẽ; laus enim eſt manifeſtatio quædam excellentiæ alicuius: nam cum virtutes aliorum declaramus, illos laudare dicimur.

2 Eſt, quod diximus laudem Dei: quoniam diuinum officium non eſt laus hominis, ſed Dei, cuius cum extollimus ſapientiam, potentiam, bonitatem, miſericordiam, &c. illum laudamus, Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 3. ſeſſ. 25. de inuoc. Sanctorum. Et licet Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorũ, ac Defunctorum Miſſas, & officia perſoluamus; Dei tamẽ præcipuè laudes canimus, iuxta illud pſal. Laudate Dominum in ſan-

ctis

ctis eius, pſal. 50. Quid enim eſt Beatiſſimæ Virginis, & San ctorum virtutes enarrare, niſi Dei gratiam, & miſericordiam, à qua bona cuncta procedunt, extollere? Quid eſt animarum in Purgatorio igne exiſtentium pœnas referre, quàm Dei iuſtitiam, & clementiam magnificare? iure ergo, ac merito diuinum Officium Dei laudem appellamus.

3 Diximus tertiò, diuinum Officium voce expreſſa, & articulata eſſe recitandum: Nam cum duplex ſit laus cordis. ſ. & oris, S. Thom. 22.q.83. 91. cordis eſt recogitatio quædam virtutum, & excellentiæ alterius cum affectu quodam mentis in illum: Vnde Deum corde laudamus, cum ipſius magnitudinem, aliasq; ipſius excellentias recognoſcimus, ac cogitamus, & in eum pariter mentis affectu ferimur.

Oris verò, quæ voce fit, noſtri cordis beneuolentiam declarante. Bonum eſt Deum corde laudare, ſed melius corde, & ore ipſius gloriã extollendo benedicere, & propalare. Quapropter diuinum Officium laus non tantum cordis, ſed oris eſt, quæ voce exprimitur articulata, non autem muſſitando, iuxta illud pſalmi, Cantate Domino canticum nouum: cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ, pſal. 118. Item exemplum Chriſti habemus, qui in vltima cœna gratias alta voce Deo Patri egit, vt colligitur ex textu Euangelij Matth. 26. Et hymno dicto, exijt in montem oliuarũ; vnde Concil. Tolet. de conſecr. d. 1. dicit, De hymnis canendis, & Saluatoris, & Apoſtolorum habemus exemplum. Immò verò cantus in diuinis laudibus adeò naturalis eſt, vt etiam auctori ipſi naturæ in cœlis eodem modo vocibus ſupernaturalibus concini referatur. Et Apocal. 4. de ſanctis quattuor animalibus refert D. Ioannes: & ſancta Eccleſia in præfationibus ſupplex orat Dominum, vt ſuas quoque voces iubeat admitti cum beatis illum laudantibus, dicens, cum quibus, & noſtras voces, vt admitti iubeas deprecamur: Diuus item Auguſtinus in libello de laudibus ſpiritualium canticorum, ex eo, quod Zacharias hymnis, ſeu cãticis voce propheтauit; & Angeli, Gloria in excelſis Deo decantarunt; Et pueri Hæbreorum, Hoſannam conclamarunt. Et Chriſtus Dominus cum ſuis Diſcipulis hymnũ cecinit, ſic dicit:

dicit: Quis iam tali documento habito de pſalmorũ, & hymnorum religione dubitauerit? quando ille, qui à cęleſtibus adoratur, hymnum cum Diſcipulis dixiſſe perhibetur? Patet igitur Dei noſtri laudem voce expreſſa eſſe canendam, & recitandam. Et ſi quis obiecerit, Deum eſſe cordium inſpectorem, nec voce aliqua indigere, quo ſenſa noſtri cordis intelligat, huic ſtatim occurrimus, id fieri pluribus rationibus.

Primò, vt animorum noſtrorum affectus magis excitentur: eo enim magis laudantis mouetur affectus, clara voce proferendo quodam quaſi ſtimulo actus, quàm ſi mente, aut muſſitando tantummodo loqueretur.

Secundò, vt aſtantium quoque prouocetur animus; facilius enim ad Dei laudem accenduntur corda hominum vocibu , & modulationibus, quam ſilentio: & propterea cantus in Eccleſia, & diuina muſicorum genera ſunt inſtituta.

Tertiò, vt Deus noſter pluribus modis laudetur.

Quartò, vt Deum noſtrum laudantes, fidemq; noſtram oſtendentes ab infidelibus Deum verum, & Dominum noſtrum negantibus, & blaſphemantibus ſegregemur.

Quintò, vt id facilius præſtare poſſimus; ſola enim mente orare, & Deum aſſiduè corde laudare difficile eſſet, cum ad hoc actualis attentio requiri videatur, ſed ore laudando, virtualis ſufficiat, ſi fortè deerit actualis.

Diximus poſtremò ex Eccleſiæ inſtitutione determinatam: quoniam non ſemper cum Deum laudamus, diuinũ Officium recitamus, ſed cum ea voce laudamus, illiſque verbis, quæ ab Eccleſia ad hoc ſunt inſtituta, videlicet Hymnis, Pſalmis, cãticis, lectionibus, reſponſorijs, antiphonis, orationibus, & ſimilibus, quæ Officio continentur, & in Miſſali, & Breuiario prout à ſummis Pontificibus fuerit ordinatum. Determinatum inquam diximus, quia Eccleſia in tantum inſtituit Deum ore laudare, cum hoc iure naturæ ita edoctæ ſint gentes, vt & ipſæ falſos Deos clamoribus, & vociferationibus laudarint: vt in naſcenti Eccleſiæ Apoſtoli tradiderunt, ſed modum laudis prædictum ſtatuit Eccleſia determinatum perſonis, loco, & tempore.

Qua-

Quare laus iſta Diuinum vocetur Officium. Cap. II.

CVm Officium ſit actus cuique proprius; id enim in quo quiſque, vt in propria operatione ab alijs diſtincta verſatur, illius officium eſſe dicimus. Propterea cum nihil Chriſtiano homini tàm ſit propriũ, quàm Deum laudare, nihilq; durabilius, cum & in Cœlo diuina laus nunquam ceſſet, iuxta illud pſal. 63. Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſeculum ſeculi laudabunt te. Et damnati contra perpetuis maledictis Deum maximè laudandum offendant: meritò diximus laudem Dei diuinum Officium à Chriſtiano homine perſoluendum vocari, & laus dicitur Officium: ſed quia Dei laus eſt, ideò dicitur diuinum Officium, quod cum dies, noctesq;, iuxta Pauli ſententiam, Teſſ. 5. huiuſmodi Officium pendere debeamus ſine intermiſſione orãdo, hoc eſt nullum ad hoc ſtatutum tempus prætermittendo, ſtatuit ſancta Mater Eccleſia, Spiritu ſancto illuſtrata, vt laus hæc à fidelibus nocturno, & diurno tempore ſolueretur, & quidem conſultiſſimè. Nocturnum enim tempus orationi maximè conuenit; quæ cum inter alia negotia altiſſimum exigat ſilentiũ, noctis quies, & tranquillitas, id maximè præſtat, noſq; ad orandum inuitat; eoquod ſenſus tunc temporis mentem noſtram negotij penè liberam, ad contemplandum, & orandum aptiorem, ac paratiorem reddunt: Vnde non tantum prophetarum oraculis, ſed etiam à veritatis magiſtro, re ipſa edocemur, Luc. 6. Matth. 26. Apoſtolorũ necnon & ſanctorum Patrũ exemplo commonemur, qui ſanctum hoc futurum dixerunt, propterea quod in naſcenti Eccleſia infeſtiſſimæ Chriſti fidelibus erant Dæmonum incurſiones nocturnæ, cõtra quas nocturnas ideò vigilias orationibus inſtructas ordinauerunt, ſicuti enim milites in exercitu, & in naui nautæ quattuor nocturnas ſtationes ordinant, quas vocant vigilias, vt Luc. 12. & Marc. 13. ita ſuas Eccleſia vigilias, & ſtationes inſtituit, noctem ipſam ab occaſu Solis vſque ad pri-

primam, in quattuor quartas diuidens; has noctis poſtea vigilias appellauit; quarum prima à Solis occaſu vſque ad horam tertiam noctis ducebatur. Poſtquam matutinæ à fidelibus incipiebantur, eas in tres nocturnos diuidendo, quarum prior in ſecunda vigilia perſoluebatur, poſtea in tertia vigilia, hoc eſt media nocte, alij ſurgentes canebant ſecundū nocturnum. Poſtremò in quarta vigilia ſurgebant alij, & tertium nocturnum abſoluebant; quibus abſolutis, campanarum pulſu canebatur, Te Deum laudamus, quo tempore omnes aderant ad diuinas laudes præcinendas; & ne fortè mireris ſi vnico tempore nocturno tres horas inſumerent; ſcias tunc in qualibet quarta nocturnum diei, Beatiſſimæ Virginis, & Defunctorum longè maiori deuotione, & attetione, quàm noſtris his corruptis temporibus ſolitum recitari. Diebus autem ſolemnibus aderat populus ſecundo, & tertio nocturnis, & laudibus, quod noſtra tempeſtate, quaſi penitus obſoleuit, cum ab aliquibus in ſecunda, ab aliquibus in tertia vigilia vnico tractu temporis omnia perſoluantur.

Horæ diurnæ ſunt, quæ die recitantur. Dies nanque à veteribus in quattuor quartas ſecari conſueuit, & in principio primæ quartæ dicebatur prima: initio ſecundæ tertia: initio tertiæ ſexta. Inter ſextam, & nonam fiebat ſacrum ſolemne. A prandio dicebatur nona, poſt nonam veſperæ, & completorium ferè occidente Sole, & eo modo diem diuinis laudibus veteres concludebant: quod non ab re factum eſt, nam cum ad earum laudum ſolutionem magnus debeat fideliū munerus conuenire, niſi ad hoc peragendum ſtatuerētur tempora, conuenire nequaquam poſſet, ignorans quomodo familiaria eſſent diſponenda negotia, ne huiuſmodi precationibus impedimento futura eſſent: quando enim cuiq; negotio non præfigitur tempus, & hora, hoc hominis eſt ingenium, vt vbi tempore non cōſtringitur, liberum ſibi videatur differendi negotia: vnde qui in aliqua re diutius perſeuerare conſtituit, tempus præfigat opus eſt.

Quare nulli eſt dubitandum Eccleſiam veterum patrum teſtimonijs, & exemplis edoctam, horas diurnas ſtatuiſſe canēdas: Vnde Actorum cap. 2. legimus, Spiritum ſanctum lin-

guarũ, & cordium inflãmatorem, Apoſtolis orantibus apparuiſſe; idque hora tertia contigiſſe, quam ob cauſam ad tertiam cantatur hymnus, Nunc ſanctè nobis Spiritus. Et tempore Pentecoſtes cantatur, Veni creator Spiritus. De ſexta Actorum 10. habemus Petrum circa horam ſexta in ſuperiora aſcendiſſe, vt oraret. De nona verò act. 3. habemus Petrum, & Ioannem aſcendiſſe in Templum ad horam orationis nonam, quæ cum vera ſint, & de fide catholica tenenda, nullus negare audebit, horas iſtas ſanctè, piè, & catholicè ab Eccleſia fuiſſe ſtatutas, quibus Dei laudes ſoluerentur. Dicuntur Horæ canonicæ, quia per canones ſunt inſtitutæ à tempore, in quo fiant, de quibus habetur in cap. 1. 91. diſt. & in cap. fin. 12. & in Clem. 2. de celebr. Miſſ. & in d. cap. dolentes, de celebr. Miſſ. Horæ igitur canonicæ ſunt certa penſio diuini cultus debita ab ijs, qui in ſortem Domini ſunt electi, pro qua in ſubſtentationem recipiunt patrimonium IESV Chriſti, extra de præben. c. cum ſecundum. & dicuntur ab oro, oras, quia orando, & contemplando dicuntur; & quia certis horis ſunt dicendæ. Dicuntur canonicæ, quaſi regulares à canone, vt dictum eſt. Obligatio recitandi has Horas, partim eſt de iure diuino, & partim de iure humano poſitiuo. De iure diuino eſt, vt perſona eccleſiaſtica celebret ſacrificium laudis, illudq; Deo omnipotenti offerat, de fructu laborium, vt probatur per Apoſt. 1. Corinth. cap. 9. à contrario ſenſu: nam cum temporalia laici miniſtrent clericis, æquum eſt, vt ſpiritualia metant.

Cum ergò clerici viuant de bonis laicorum, rationi eſt cõſonum, vt pro eis orent, capit. cum ſecundum, de præbend. Hinc infertur Papam non poſſe diſpenſare, vt ex toto illud non dicatur, quamuis poſſit diſpenſare circa modum dicẽdi hanc, vel illam orationem; ita tenet Panorm. in cap. 1. de celebr. Miſſ. Circunſtantiæ verò recitandi, ſunt de iure poſitiuo, videlicet tempus, ordo, qualitas, locus, modus, & numerus; ſuper quibus poteſt Pontifex diſpenſare, cum ipſe ſit ſupra ius poſitiuum.

SS Qua-

Quare Horæ canonicæ ſint ſeptem, & non plures, neque pauciores. Cap. III.

Horæ iſtæ, quibus diuinæ laudes perſoluuntur, ſeptem ſunt, & non plures, neque pauciores, & hoc multis rationibus, quas ex ſacris voluminibus, & vſu Eccleſiæ coniectari licuit.

Prima, vt miniſterium creationis, quod ſeptem diebus abſolutum legimus noſceremus, Deoq; ipſi creatori pro huiuſmodi beneficio gratias ageremus.

Secunda, cum ſeptem ſint mundi, hominumq; ætatis, quibus & ille, & iſti facilè concluduntur: fatemur Deum ipſum creatorem omni tempore, & toto vitæ noſtræ curriculo eſſe laudandum.

Tertia, vt ſciremus, & ſæpius ad memoriam reuocaremus, ſeptem eſſe dona Spiritus ſancti, quibus mundus ipſe, & nos recreamur, 3. q. 1. cap. peruenit.

Quarta, vt nobis innoteſceret, quemadmodũ ſeptem ſunt petitiones orationis Dominicæ, quibus hæc dona poſtulam⁹; ita iuxta hunc numerum eadem oratione ſaltem ſepties in die Dominum oraremus; ideò initio omnium horarum prætermittitur Pater noſter.

Quinta, quemadmodum Leuit. 16. Aaron ſepties ſanguine Vituli digito aſpergebat contra propitiatorium: ita ſacerdos noſter, qui Aaronis perſonam figuratè gerit, ſeptem horas in memoriam Vituli, id eſt Chriſti Domini orando perſoluit.

Sexta, ſicuti ſeptem Candelabra aurea in templo Domini ponebantur, & in naſcenti Eccleſia ſeptem Diaconi conſtituti ſunt, ita eccleſiaſtici noſtri temporis, preces tanquam luminaria amoris, & charitatis igne ardentia funderent.

Septima, quemadmodum Dauid Rex ſepties in die Deum laudabat, iuxta illud pſalmi, Septies in die laudem dixi tibi, pſal. 118. Ita æquum eſt, toties eumdem à nobis, & Chriſti fidelibus, vt Eccleſiæ præſcripto edocemur, laudari.

ſuppoſuit columnas ſeptem,quem locum interpretans D. Auguſtinus, ſeptem columnas ad vnitatem retulit Eccleſiæ.

Decimatertia, D. Ioãnes Apoſtolus in ſuis diuinis reuelationibus refert, Beatos illos ſpiritus Deum iugiter laudãtes, clamare his vocibus, Benedictio, & ſapientia, & claritas, & gratiarum actio, honor, virtus,& fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum. Amen. Ita & nos ſepties laudando Deum noſtrum honorare debemus.

Decimaquarta,D.Paulus Apoſtolus ſeptem Eccleſijs ſcripſit epiſtolas,nempè ad Romanos, Corinthios,Galatas, Epheſios,Theſſalonicenſes, Philippenſes,& Coloſſenſes; & poſtea ſingularibus perſonis.ſine numerum ſeptem Eccleſiarum excedere videretur. Et anno Iubilæi Romæ præcipuas illas ſeptem Eccleſias viſitandas proponit ſummus Pontifex,in quibus aſſiduè tot millia annorum Indulgentiæ viſitantibus acquiruntur.

Decimaquinta, per ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei, Apoc.8. ſignificatur vniuerſitas Sanctorum, & iuſtorum.

Decimaſexta, per ſeptem dies azima comedere,nil aliud ſignificari videbatur,quàm cunctis vitæ noſtræ diebus humiliũ Chriſti actionum, ſacræ paſſionis, & acerbiſſimæ mortis eius nos meminiſſe debere, & pro tanto beneficio ei ſepties in die gratias agere.

Decimaſeptima, vt diuinã vltionem fugiamus ſeptem plagarum nouiſſimarum, quas D. Io. in Apoc. cap. 15. narrat, quibus perfectam punitionem, & perpetuam vltionem indicare voluit; quoniam in illis conſumata eſt ira Dei, vt inquit Beda; propterea ſepties Deum laudamus, & benedicimus.

Decimaoctaua, Præterea ſi hunc numerum ad religionem referre volueris, inuenies omnem purificationem per numerum ſeptenarium fieri: nam ſeptem animalia munda ingrediuntur in arcam Nohe; hinc ſeptimo die emiſſa eſt Colũba, vt exploraret Nohe, an ceſſaſſent aquæ diluuij: Reuerſa Columba, expectatis alijs ſeptem diebus, iterum emiſit illam, quæ reuerſa eſt ramum oliuæ afferens virentibus folijs, iudicans purgationem, mundiq; munditiẽ,& pacem eſſe ſequutã.

Moyſes item, Exo. 8. 29. ſeptem diebus expiauit altare, &

ſeptem

ſeptem vicibus aſperſit, & ſeptem diebus conſecrabantur manus Pontificum.

Decimanona, Dauid de adulterio reprehenſus, & homicidio, ſeptem diebus pœnituit. Item pſalmi pœnitentium ſeptemnario numero ſunt ordinati.

Vigeſima, ſeptẽ modis peccata hominibus poſſunt dimitti. Primò, per Baptiſmum. Secundò, per martirij paſſionem. Tertiò, per eleæmoſynam. Quartò, per hoc, quod nos remittimus fratribus noſtris. Quintò, cum conuerterit quis peccatorem ab errore viæ ſuæ. Sextò, per abundantiam charitatis. Septimò, per pœnitentiam: Sed his quoque addendum eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentũ dignè ſuſcipientibus. Inueniuntur etiam alij modi remittendi peccata, ſed tamen Eccleſia plurimum ſeptenario numero tribuit, ſeptem opera miſericordiæ, ſeptem tanq; inſtituit ordines eccleſiaſticorum; ſeptem ſacramenta eccleſiaſtica numerauit: & alia multa incluſit hoc numero ſeptenario, quo Dei, aliarumque rerum ab ipſo factarum perfectionem demonſtrat; quæ quia non ſunt noſtri inſtituti, in præſenti omitto.

Qui teneantur ad recitandum Diuinum Officium. Cap. IV.

ORdo ſacer, & eccleſiaſticum beneficium ad Horas canonicas præcipuè obligant. Quocirca omnes clerici in ſacris poſiti, & beneficiati tenẽtur ad huiuſmodi officium diurnum, & nocturnum, conc. Agaten. extra de celebr. miſſ. cap. presbyter, gloſſ. & communis opinio ſuper d. c. presbyter, S.Thom. quolibet. 6. art. 8. diſt. 5. c. fin. Hæc eſt omnium Theologorum, & canonici iuris peritorum affirmatiua concluſio. Quoniam qui ſacris ordinibus inſignitur, ſingulari Dei cultui deputatur, atque in eo locatur ſtatu, qui ad diuinas laudes inſtitutus eſt, iuxta illud Iſaiæ 43. Omnis, qui inuocat nomen meum, in laudẽ meam creaui illum: quemadmodum enim alijs quibuſcunque functionibus proprij magiſtratus, & miniſteri aſſignantur, ita etiam clerici, vt non ſolum ſacramenti populum ſanctificent, doctri-

doctrina, & exemplis inſtruant, ſed etiam, vt publico populi nomine, qui alijs artibus, opificijs, & negotijs occupatur, Deum laudent, & tanquam inter Deum, & populum mediatores, preces aſſiduè fundant. Quæ laudes, & preces cum debeant arte, & peritia celebrari, & ſolui; neceſſe fuit perſonas ad hoc deſtinare, quæ pro huiuſmodi ſoluendo munere peritæ eſſent, atq; edoctæ, ſicut alij in cæteris artibus eſſent. Duo itaque perſonarum genera ſub mortali peccato obligantur ad Horas recitandas, videlicet: Omnes clerici ſeculares, ac regulares in ſacris poſiti, omneſq; beneficiarij: Monachi verò, & religioſi; item Moniales profeſſæ, choro deputatæ ex antiquiſſima, & ſancta conſuetudine, vel ſtatuto religionum ſuarum tenentur.

Qui etiam penſionem fructuum, vt clericus percipit, tenetur ad recitandum Horas Beatæ Mariæ Virginis, & non recitando, peccaret m. & teneretur ad reſtit. iuxta conſtitutionem Pij Quinti. Ita tenet Nauar. in man. cap. 25. num. 122. & 108. modo iſti penſionarij non ſint obligati alia de cauſa, puta qa ſunt in ſacris, vel quia habent beneficium, aut milites religioſi, quia tunc non obligantur ad Horas B. M. Virginis: ita tenet Nauar. extra de celebr. Miſſ. lib. 3. conſ. 18. Nec etiam obligantur illi, qui penſionem percipiunt, vt laici, quod eſt, quando viris benemeritis datur penſio pro aliquo temporali commodo, vt notant DD. in c. quamuis, el ſecondo, de præben. lib. 6. Vbi notandum eſt, penſionem differre à beneficio, quia in beneficio ſunt duo: Primum, titulus, ideſt dignitas eccleſiaſtica, vt Archiepiſcopatus, Archipresbyteratus, &c. Secundum eſt ius percipiendi fructus eccleſiaſticos; in penſionario autem adeſt tantum ius percipiendi fructus eccleſiaſticos, quod quidem ius dicitur penſio à pendendo, quia dependet à beneficio, vt vſufructus à proprietate. Rurſus per penſionem non obligatur quis ad reſidentiam, vt beneficiati per beneficium, quæ penſio de iure cōmuni non debet excedere tertiam partem fructuum, in c. conquerente, de clericis non reſiden. & conc. Trid. in c. quoniam pleræq; ſeſſ. 24. & ita ſeruat ſtilus Romanæ Curiæ. Iuſta nanque penſio illa dicitur, quæ exacta per penſionarium tantum remanet beneficia-

ficiato, vt poſſit commodè viuere, iura epiſcopalia ſoluere, & alia onera beneficij ſufferre, c. de monachis, c. cum cauſam, c. vacante, de præbend. c. 1. de cenſibus.

Item, qui habet beneficium eccleſiaſticum ſub ritu clericali, tenetur ſub mortali peccato recitare Horas, facit tex. in c. fin. de reſcrip. Vbi beneficium non datur, niſi propter officium; etiam ſi ipſi beneficiarij peregrinentur, iuſta ex cauſa; etiam ſi reliquerint Vicarium, qui beneficio deſeruiet, ita eſt communis opinio; quia onus recitandi Horas eſt perſonale, iuxta textum in Clemen. 1. de celebr. miſſ. etiam ſi non ipſe, ſed pater, vel amicus percipiat fructus ſui beneficij; ita tenet Nauarr. cap. 25. nu. 103. quia hoc onus recitandi Officium inhæret inſeparabiliter perſonæ beneficiati, eamq; ſequitur, vt lepra leproſum: ita tenet Iaſon in §. omnium, num. 2. de actione perſonali. & cæteri ciuiliſtæ; & hoc intellige ſi iſte beneficiatus ſit in ſacris; quoniam ſi non eſt in ſacris, ab aliquibus non benè excuſatur à peccato mortali, non recitando, Nauar. de horis can. cap. 7. num. 28.

Etiam ſi ſit tenue beneficium, peccat m. non recitando, & ſibi imputetur, quia illum recipit, ſicuti vir, qui duxit vxorem cum parua dote, tenetur illam alere; etiam ſi beneficiatus eſſet ſuſpectus, indirectus, denunciatus, excommunicatus, tenetur Horas canonicas recitare priuatim, & occulto ratione beneficij, ſicuti ratione ordinis ſacri, tenetur clericus depoſitus, vel ſuſpenſus, vel excommunicatus, ſeu etiam degradatus, nec illum excuſat, ſi redditus non percipiat, ſed non poteſt dicere, Dominus vobiſcum, quod ad ordinis dignitatem pertinet, quia regula eſt, quod inducta in odium, vt excommunicatio, non debent retorqueri in fauorem l. relegatorum.

Præterea nulli dubium eſt, præter peccatum mortale, beneficiatos, quoſcunque teneri ad reſtitutionem, qui non recitant Horas canonicas; quia quando aliquid datur alicui ob cauſam, cauſa non ſequuta, illud datum repetitur, ff. de cōdit. ob cauſas. Sed beneficium datur propter officium, vt habetur c. vlt. de reſcript. lib. 6. & notat Cald. in c. 1. de celebr. miſſ. ergo officio non recitato, fructus reſtituendi ſunt, quod con-

Confirmatum eſt per conſtitutionem Pij Quinti, ex primo Lateranen. concilio relato per Nauarrũ in man.cap.25.nu.122. Qua conſtitutione ſtatuitur, vt qui habet beneficium,& non recitat Horas canonicas, teneatur ad reſtitutionem fructuum pro rata omiſſionis recitandi, v. g. qui Horas canonicas omnes, vno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficij, ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi eo, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie diuiderentur: at qui matutinas tãtum, dimidiam; qui cæteras horas, aliam dimidiam, vt qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum eiuſdem diei amittat. Quæ reſtitutio in fabricas Eccleſiæ, vel in eleemoſynas pauperum erogetur; ita Nauar. in cap. quando, not.7.nu.32. de conſecr. diſt. 1. Immò ſecundum eundem Nauar. poterit confeſſarius diſpenſare huiuſmodi fructus non recitanti tanquam pauperi, modo verè ſit pauper, & ex hoc ſciat confeſſarius illum non ſumpturum occaſionem iterũ non recitandi.

Hac item conſtitutione diſponitur, quòd penſionari, aut clerici non recitantes Horas Beatiſs. Virg. teneantur ad reſtitutionem fructuum prò rata; quæ etiam ampliatur, vt teneantur ad reſtitut. fructuum, etiam non expectata ſententia declaratoria in foro conſcientiæ, quia non imponitur propriè vt pœna, ſed vt quædam conditio, vel modus, quia beneficij ſub hoc modo, vel conditione dantur, vt Horas canonicas recitent, vt reſidentiam faciat, & huiuſmodi, vt adnotauit Nauar. in cap. non liceat, 32. q. 2. quare aduertant confeſſarij pro viribus, vt non abſoluant non ſatisfacientes. Ampliatur item ad eos, qui recitando Officiũ, ad alia conſulto mentem diuerterent: nam ſi illud iterum non recitarent, non ſatisfacerent,& ex conſequenti tenerentur ad reſtit. Nauar. cap.20. num.31.& ſeq.de hor.can. Hinc vt nullus excuſari poſſit circa onus recitandi Horas canonicas ſtatuit concilium Trider. ſeſſ. 23. cap. 6. vt nullus ante annum decimumquartum poſſit beneficium obtinere; ne ſit exemptus à recitatione horarum,& propterea nulli neſcienti illas recitare, licèt beneficiũ conferre.

Item, ampliatur etiam ſi fuerit beneficium curatum, ſiue ſimplex, ſiue omiſerit horas, ſiue horam, contra illud, quod

dici ſolet de minimis non curat Prætor. Quandoquidem conſtitutio iſta mentionem facit etiam de minimo.

Item ampliatur, ſi recitauerit Horas can. non tamen iuxta modum Breuiarij noui Romani, vel Eccleſiæ matricis, quia tunc non ſatisfacit, & tenetur ad reſtit. vt in Bulla dicti Breuiarij adnotatum eſt. De illis autem, qui non teneutur vti Breuiario nouo, dubium eſt, an ſi velint, poſſint vti illo extra chorum; in cuius rei gratiam Nauarrus lib. 3. de celebr. miſſ. conſ. 16. ponit exemplum cuiuſdam Abbatis Ciſtercienſis, qui recitabat ſuas Horas canon. extra chorũ iuxta formam præfati Breuiarij; quæritur inquam, an iſte ſatisfaceret præcepto de dicendis Horis canon. qui Nauarrus dicit ſatisfacere, quia inquit Pius Quintus in ſua Bulla, non vetat eis vſum talis Breuiarij, ſed ſolum permittit vſum antiqui; illis inquam, qui habent antiquum Breuiarium ducentorum annorum, ſed tamen videtur rationi conſonum, Pontificem non habuiſſe intentionem ponendi diuerſitatem in his, qui ſunt vnius ordinis, & habitus, quod eſſet, cum alij extra chorum recitarent nouum, & in choro vetus.

Nota prætereà illum, qui omnes horas omittit recitare, vnum tantum peccatum committere, ſicuti etiam quoties deliberauit omittere, quod peccatum grauius eſt, quam ſi vnam, vel duas tantum omitteret, vel deliberaret omittere, quod peccatum tenetur confiteri per eandem extrauagan. Pij Quinti ad hoc, vt confeſſarius poſſit colligere quænam illi reſtitutio ſit neceſſario facienda, Sotus de iuſt. & iure lib. 10. q. 5. art. 3.

De clericis autem minorum ordinũ, & de illis, qui nullam obtinent præbendam eccleſiaſticam, quamquam Panormit. aliter ſentiat, abſque dubitatione tamen credendum eſt, eos nequaquam ad Horas canonicas recitandas teneri. Ratio illius eſt, quia in ſortem Domini aſſumuntur, quæ ratio nulli' eſt roboris, & momenti: Non enim ad minores ordines ita aſſumuntur, vt ſtatum illum aſſiduè ſeruent, & teneant, quãdiu enim illis liberum eſt matrimonia contrahere, ſtatum non mutant, & præſertim cum illorum ordinum functiones, in ſola præparatione Templi, & vaſorum verſentur, & finiantur.

tur. Et quamuis dicat Palude in 4. diſt. 16. q. 5. ipſos ad aliquid amplius teneri, quàm laici, non tamen credendum de præcepto, ita vt eius omiſſio aliqua culpa ſit, ſed forſan de honeſtate, ſi voluerint. Nulla enim lex, & conſuetudo eſt, quæ talem iniiciat ſcrupulum, neque Epiſcopus ordinans ad hoc obligat eos. Clerici verò, qui beneficium quodcunque etiam modicum, aut præbendã obtinuerint ſub titulo clericali, tenentur ſub reatu mortali ad plenam Horarum canon. ſolutionẽ etiam ſi nullo ſint ſacro ordine inſigniti, Silu. verbo Hora can. §. 3. Hoſt. in ſũma in titulo de conſecr. eccleſ. vel altar. & in c. fin. diſt. 92. dicat Sotus quid velit; habetur enim in canone presbyter, aut diaconus, vel quilibet clericus Eccleſiæ deputatus ad quotidianum officium teneatur. Vbi verbum deputatus, intelligitur per titulum alicuius beneficij; nomine verò beneficij intelligas quemcunque redditum eccleſiaſticum, qui ſub titulo clericali habeatur, hoc eſt, qui non niſi ſolis clericis conferatur: vnde non tantum obligantur ij, qui curata obtinent beneficia, aut ſimplicia, ſed qui habent præbendas, penſiones, præſtimoniales portiones, & præſtimonia, quæ ſunt tituli clericalis. Præterea conſiderandum eſt aliter ſimpliciter clericos, aliter beneficiarios obligari, nã ſimplices clerici in ſacris poſiti, qui ſine cauſa rationabili omittunt totum officium, vel vnam horarum, peccant mortaliter, modo, quo ſupra diximus, ſed ad nullam obligantur reſtitutionem. Qui verò obtinent beneficium, non ſolum peccant mortaliter, ſed etiam tenentur ad reſtitutionem perceptri redditus, modo, quo ſupra dictum eſt, ex Pij Quinti conſtitutione. Eſt & aliud dubium de beneficiatis, qui Horas canonicas longo tempore prætermittunt; rationem autem dubitandi affert decretum concilij Lateranen. ſeſſ. 9. cuius verba ſunt; Statuimus, & ordinamus, quòd quilibet habens beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio diuinum Officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, beneficiorum fructus ſuos non faciat, pro rata omiſſionis officij, & temporis, ſed eos tanquam iniuſtè perceptos in fabricas Eccleſiarum huiuſmodi beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Si verò in ſi-

mili negligentia contumaciter permanſerint, legitima moni tione præcedente, beneficio ipſo priuentur: cum propter officium detur beneficium; intelligas tamen Officium omittere, quo ad hoc, quod eſt beneficio priuari poſſe; qui per quindecim dies illud bis ſaltem non recitauerit: hoc ex conc. Later. Sotus verò lib. 10. q. 5. art. 6. dicit non eſſe dicendum, poſt, ſed per, vt ſit ſenſus, qui per ſex menſes ab obtento beneficio, totum, vel quamlibet partem Officij non dixerit, ſolum teneatur pro rata; elapſo verò ſemeſtri, ſi poſt admonitionẽ in quindecim diebus bis non recitauerit, beneficio priuetur: Vnde primum ſemeſtre non datur tanquam induciæ, vt clericus non recitans nulli ſubiaceat pœnæ (eſſet enim omnino ratione diſſonũ) ſed vt non priuetur; & hoc pacto verba concilij ſunt intelligenda, alioquin non; hæc Sotus. Sed vt omnis tollatur ambiguitas; Pius Quintus Pont. Max. declarans hoc cõcilium ſtatuit eſſe tenendum, vt infra, his verbis:

Nos huic rei euidentius, atque expreſſius prouidere volentes, ſtatuimus, vt qui Horas omnes canonicas vno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficij, ſeu beneficiorum ſuorum fructus amittat, qui illi, vel illis diebus responderent, ſi quotidie diuiderentur: Qui verò matutinum tantum dimidiam; qui cæteras omnes Horas aliam dimidiam: Qui horarum ſingulas, ſextam partem fructuum eiuſdem diei amittat. Tametſi choro addictus non recitans omnibus Horis canonicis cum alijs præſens adſit, fructuſq;, & diſtributiones fortè aliter aſſignatas ſola præſentia, iuxta ſtatuta, cõſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucri feciſſe prætendat. Is etiam, præter fructuum, & diſtributionum omiſſionem: Item ille, qui primis ſex menſibus officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſauerit, graue peccatum intelligat admiſiſſe. Declarantes præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacunque alia beneficia, et nullum omnino ſeruitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter contineri. Ac quicunque penſionum fructus, aut alias res eccleſiaſticas, vt clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum Officium paruum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum fructuum, rerumq; ipſarum,

ſarum, amiſſioni obnoxium: Nulli ergo omnino hominum liceat hãc paginam noſtri ſtatuti, declarationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1571. 12. Cal. Octobris, Pontificatus noſtri anno ſexto.

An Religioſi teneantur ad Horas canonicas.

VT omnis penitus ambiguitas auferatur, quamuis ſupra dictum ſit, omnes Religioſos, & Religioſas aliquo modo teneri ad Horas canonicas, quia tamen non fuit dictum, qua ratione, an propter votum, an ex conſuetudine, an ex vi profeſſionis, hoc loco proptereà id recenſendum duximus, ne quid relinquamus in dubio. Quapropter circa hoc varia eſt opinio: ſi enim loquimur de Religioſis, qui nondum maiores ordines ſuſceperunt, dubium eſt, qua ratione ad officium teneantur, cum eos neq; ordo ſacer, neq; beneficium obliget. Vnde Dominus Gaietanus in ſua ſumma, verbo Hora. Certè, inquit, niſi cõſuetudo illos obliget (de qua tamen nihil ſcio) non tenentur ex profeſſione. Quod verò dicant aliqui eos teneri ratione voti, ex cap. licet de voto, hoc non videtur vim habere cogendi; illic enim habetur ſolum, quod ſi quis quid vouit, teneatur illud implere, & ſoluere. Religioſi autem tria vota eſſentialia tantummodo emittunt, & pollicentur ſe ſuas conſtitutiones ſeruaturos. Præterea hoc eſt diſcrimen inter religioſorum ordinem, & clericorum, quod clerici deputantur Eccleſiarum famulatui. Religioſi verò non, niſi contemplationi, & hoc videtur annuere, S. Thom. 2. 2. q. vlt. art. 8. ad ſecundum, ſi dixeris eos teneri ad hoc propter decimas, & elæemoſinas, quibus fortè ſuſtentātur, quæ illis à populis propter diuinum cultum erogantur, nihil concludis, quia Decimæ ſunt propria merces eorum, qui ſeruiunt Eccleſijs, reliquæ verò elæemoſynæ nõ habent hoc onus annexum, ſed dantur illis, ſicuti & cæteris pau-

peribus. Et eſto, quod pro benefactoribus onere teneantur, non tamen propterea Horas canonicas perſoluere. Si dixeris Religioſos teneri ad horas, ſaltem vinculo ſuæ regulæ, de hoc non contendimus; ſi verò vim tantum religionis cõſulas, non audeo negare celeberrimam, & laudabilem conſuetudinem, vno antiquorum Patrum conſenſu approbatam, vim habere quaſi præcepti. Conſuetudo enim eſt altera lex; Pro cuius rei confirmatione, & robore hãc adducimus rationem Soti. Omnes, & ſinguli Monachorum Conuentus, qui ſub ratione ſolemnis voti ab Eccleſia ſunt approbati, tenentur in communi ad diuinum Officium recitãdum, quia bona pars eſt in ſacris; nam reliqui non tenentur adeo ſtrictè. Ergo quicunq; eidem muneri ſunt addicti, quoties choro defuerint, tenentur idem Officium perſoluere, quod illic publicè ſolueretur. Antecedẽs nemo audebit negare, cum illorum ſit munus præcipuum orandi, & contemplandi, quæ contemplatio, & oratio in diuino Officio potiſſimum conſiſtit. Conſequentia maximam habet probabilitatem, ex hoc, quod vniuerſalis religio eidem muneri eſt dedicata. Vnde colligere poſſumus, nullum Religioſorum, qui Choro ſit deſtinatus ab onere recitandi diuinum Officium, illic poſſe excipi. Nam ſicut Clericus ratione ordinis, ita & Religioſus Choro deſtinatus, ratione religionis ad officium exoluendum tenetur. Et propterea S. Tho. loco cit. quæſt. vlt. ad 2. ſolos laycos ab officio clericorum recitando excipit. Quod ſi de viris religioſis verum eſſe dicatur, idem de ſacris quoque Monialibus choro deſtinatis dicendum erit, quod ſcilicet in communi teneantur, vbi fieri poteſt; ſin minus, priuatim diuinũ Officium recitare poſsũt.

De Officio B. Mariæ Virg. ſeptem Pſalmis: De Gradualibus, & Officio Mortuorum.

EST & aliud dubium; Vtrum Officium Beatiſſimæ Virg. ſit ſub præcepto recitandum, cum de eo nullum ius, ſeu canon reperiatur, ſed ſola conſuetudo à trecentis hinc annis, quæ non videtur cœpiſſe tanquam vim præcepti habens, cum alicubi legeretur, ſed ex pietate, & deuotione,

tione, qua Sanctiſſima Virgo digniſſima eſt, & fuit: Nam ſi præceptum eſſet Eccleſiæ, in choro iuberetur ſolui ab omnibus, non autem dum ſurgimus, & ambulamus: ſed decurſu temporis, hæc cõſuetudo adeo inualuit, vt nullus Doctorum, aut ſanctorum Patrum negare audeat ſaltem in Choro vim aliquam habere præcepti. Quod tamen vinculum Pius Quintus in Bulla, quæ initio Breuiarij noui iuſſu eiuſdem habetur, facilè diſſoluit his verbis. Quod verò in Rubricis noſtri huius officij præſcribitur, quibus diebus officium Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & Defunctorum; item ſeptem pſalmos Pœnitentiales, & Graduales dici, ac pſalli oporteat: Nos propter varia huius vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præſcriptione remouendum duximus, verum, &c. Vide Bullam, in qua dicentibus conceduntur indulgentiæ, & in Eccleſijs, vbi ſolitum eſt recitari, Clerici tenentur illud omninò perſoluere. De officio Mortuorum idem iudicium eſt ferendum, quamuis hoc, vt D. Thomæ quol. 6. art. 8. placet ſit introductum potius ratione præbendarum, quas Clerici poſſident, quàm ratione ordinis. Ad officium tamen Defunctorum omnium, quod poſt feſtum omnium Sanctorum celebrat Eccleſia, Clerici quicunq; in ſacris poſiti, ſicuti beneficiarij, tenentur illud recitare, cum ſit proprium illius diei; ſed ad aliud officium, quod iuxta diuerſarum Eccleſiarum conſuetudines variè ſoluitur, non videntur teneri, niſi illi, qui ex decimis viuunt, puta beneficiati, vt illic S. Tho. cenſere videtur; & illi, qui in ſcholis exiſtunt, ſoluitur enim pro bonis, quæ mortui Eccleſijs reliquerunt, & propterea in Religionibus tenentur ſinguli Clerici, iuxta ſua ſtatuta (vt opinor ſub pœna peccati mort.) illud perſoluere, ſicuti Clerici ſeculares in ſacris poſiti, & Breuiarium ſemel in menſe illud præcipere videtur, ſaltem in Choro, &c.

Qua attentione, & deuotione ſit recitandum diuinum Officium. Cap. V.

QVoniam quod in hominis poteſtate non eſt, ei quoq; ad culpam nequaquam imputandum eſſe videtur. Propterea

rea ſupereſt dubium, an ad ſoluendum diuinum Officium, neceſſaria ſit attentio, & deuotio. Ad quod ex S. Thoma, & ex Ariſtotele 5. Metaphyſ. hac diſtinctione reſpondetur, videlicet: Neceſſarium aliquid dicitur duobus modis, ſimpliciter, & ſecundum quid, hoc eſt, vel per quod melius, & facilius peruenitur ad finem, ſicuti equus ad iter peragendum; vel ſimpliciter, hoc eſt, ſine quo res finem non poteſt attingere, ſicuti cibus neceſſarius eſt ad vitam; ita attentionis neceſſitas duobus modis conſiderari poteſt, vno, vt tamdiù perſeueret, quamdiù duret oratio: Altero, vt cum quis ad orandū accedit, attēdat quid facere aggreditur: prima attentio priori modo, hoc eſt per totam orationē neceſſaria non eſt: ſplendidiſſimum quidem orationis eſt ornamentum, ſingulis verbis attendere, quis, quid, cum quo loquaris. Si verò ſimpliciter neceſſitatis nomen accipias; tunc in oratione tres ſunt conſiderandi effectus: Primus, vt actus ſit moraliter bonus, ſi extra gratiam fiat, idemq; meritorius, ſi cum gratia procedat; quare ſi actus eſt moraliter bonus, ſatis eſt, vt qui oraturus accedit, conſideret quid opus incipiat: tunc enim vis illius attentionis, per totum durat orationem. Secundus eſt impetratio, ad quem effectum non eſt ſimpliciter neceſſaria attentio, quæ totam orationem comitetur, immò ſi quis initio attendat quid petit, poterit impetrare. Tertius, & præcipuus eſt ſpiritualis quædam mentis refectio, quæ ex Dei colloquio concipitur, ad quam conſequendā neceſſaria ſimpliciter eſt attentio, quæ totam comitetur orationem, quæ cum primum ceſſauerit, effectus quoque euaneſcat, oportet.

Rurſus triplex eſt attentio, quæ oratione vocali adhiberi poſſet; prima, vt ad verba tantum attendamus orantes; ne ſcilicet vno pro alio, aut confusè proferamus. Secunda, vt ad verborum ſenſum, quò mentem applicemus ad rem, quæ per illa ſignificatur. Tertia, vt finem orationis attendamus, ſcilicet ad Deum, & ad rerum, pro qua oramus; quæ quidem eſt maximè neceſſaria. Hanc docti pariter, & indocti habere poſſunt; itaque per eam Deo mente affici, vt aliorum omnium obliuiſcantur, quæ communia ſunt omni vocali orationi, tàm clericorum, quàm eorum, qui ſpontè orant; & hæc de vocali di-

li dicta volumus, non de mentali; repugnaret enim mente orare, & non attendere: nam cum primum mens diuagare cęperit, orare mente deſinit. Notandum tamen, quod diximus de attẽtione, non eſſe omnino intelligendum de deuotione, cum hæc duo differant inter ſe S. Thom. 2. 2. q. 82. Deuouere nanque eſt aliquid ſanctè promittere: Vnde deuotio eſt quædam animi propenſio in obſequium alterius. Dum itaq; promptiſſimũ Deo, vel Beatiſs. Virg. vel alicui Sanctorum præſtamus obſequium, deuoti tunc appellamur. Attendere aũt nil aliud ſonat, niſi mentẽ habere præſentem ad id, quod quiſque loquitur, itaut, quod ore profertur, verſetur in corde: iuxta illud D. Pauli, Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente, 1. ad Corinth. 14. Diuerſæ igitur inter ſe res ſunt, deuotio, & attentio. Deuotio tamen natura ſua eſt cauſa attẽtionis; hinc eſt, vt ex illis tribus attentionis ſpeciebus, vltima cæteris antecellat. Prima nanque infimum gradum obtinet, quam habere non poteſt, niſi is, qui ſaltem nouerit linguam latinam; & propterea clerici omnes latini ſermonis cognitionem noſſe deberent, alioqui incongruè, & ineptè proferre cogentur. Secunda non omnibus, ſed tantum peritis Theologis. Tertia viris, & mulieribus ẽt imperitis communis eſt: Ex præmiſſis igitur concludendum attentionem eſſe in præcepto, non ſolum clericis canonicè canẽtibus, & orantibus, ſub reatu mortali obligante, ſed etiam ſuo modo laicis, & ſecularibus, dum ſpontè orant: nam cum oratio ſit actus virtutis religionis, qui Deo debetur, ſuis loco, tempore, & modo fiat, neceſſe eſt. Modus autem nullus eſt naturæ orationis aptior, magisq; proprius, quàm attentio, quod confirmatur verbis Innocentij, in concilio generali cap. dolentes, de celebrat. miſſ. dicentis; Diſtrictè præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, vt diuinũ Officium, nocturnum pariter, & diurnum quantum eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent, & deuotè: Vbi verba illa diſtrictè, & in virtute obedientiæ declarant vim præcepti obligantis ſub culpa mortali: quibus verbis eo tempore is modus orandi publicè, & recitandi Officium, ſenſim deſtruebatur, curatumq; eſt ſub præcepto illum inſtaurare. Verba autem illa (quantũ Deus

dederit) ſic videntur intelligẽda, vt nemo teneatur ſummam recitandi habere attentionem, & deuotionem, ſed tamen ſeſe ita orando diſponere, vt eis Deus influat deuotionem. At ne quis mandati huius rigore nimium perhorreſcat, ſcire debet præceptũ attentionis, in Officio diuino canonicè perſoluendo, duo includere; vnum, vt orandi initio, quicunque orãs attendat, quid aggreditur negotij: alterũ, vt hanc attẽtionẽ dũ orauerit, conſultò non interrũpat, agendo aliquod, quo animum ſuum à priori attentione diſtrahi comprehẽdat. Vnde ad prius membrũ ſat eſt, vt virtute alicuius attentionis præcedentis, aut conſuetudinis fiat, quo huic præcepto ſatiſfaciat. Ad ſecundum verò S. Thom. art. citato in ſolutione tertij dicit: ſi quis ex propoſito in oratione vagetur, hoc peccatum eſt, fructumq; impedit orationis, adde tu & meritum, & impetrationem; quare ſi eſt peccatum, ergo præceptum: Euagatio autem mentis, quæ nobis inuitis, & ex fragilitate, ſeu infirmitate ſolet accidere, non tollit meritum, & impetrationem orationis. Cauendum eſt tamen, nè quis ex negligentia craſſa, mentem hincinde vagare permittat, quoniam non minus faceret, quàm ſi id ſpontè, & conſulto faceret. Diuagari enim mens dicitur, cum à propoſito auerſa, ſine ſcopo aberrando diſcurrit. Cuius rei cauſa triplex eſt; prima, quam Diuus Baſilius refert in de vita perfecta, eſt debilitatio, & languor, quem ex peccato originis contraximus: ſecunda eſt malus habitus peccandi, & inueterata conſuetudo cogitãdi terrena: tertia eſt moleſta Dæmoniorum infeſtatio, ne Deo ipſi adhærere poſſimus. Vnde non eſt mirum, ſi mentem in oratione retinere non poſſumus: non tamen propterea eſt diſperandum, ſed omni potius ſtudio inuigilandum, vt præſentes animo ſimus diuinum præ omnibus auxilium poſtulando, quemadmodum initio omnium horarum, ſancta nos docet Mater Eccleſia, cum dicit: Deus in adiutorium meum intende: Nota etiam nullum cenſeri conſultò diſtrahi, niſi hæc cõcurrant: primum, vt dum Horas recitat, alio negotio occupetur, quod orationis attentionem non patiatur; puta ſi quis orando ſcribat, pingat, aut quodcunque aliud opus faciat, quod attentionem requirat, Sotus de iuſt. & iure lib. 10. q. 5. art. 5.

art. 5. Quapropter ſi dum quis orat, ſe induit, manus lauat, pennam temperat, aut facit aliquid, quod tantam non exigat attentionem, quamuis contra dignitatem faciat orationis, non facit tamen contra præceptum, nec peccat mortaliter. Secundum, ne quid fiat, aut dedita opera cogitetur, quod ab orationis attentione ſit remotum; nam ſi voluntariè cogitet diuerſa ab oratione quouſque videat ſe diſtrahi, ſemper inconſideratè vagari nutatur, atque propterea excuſatur ab omiſſione præcepti, impletq; orandi præceptum, iuxta D. Caiet. in ſua ſumma; negandum tamen non eſt propter dignitatem orationis, & propter periculum, ſæpè veniale peccatum committi: Illud quoque addas, nos quoties per omiſſionem attentionis mortaliter peccamus, non propterea reſtituendi fructus neceſſitatem incurrere, ſed tantum obligationem eãdem horam, vel horas iterum repetendi, & in hoc non eſt dubitandum; in c. dolentes, & in concil. Baſilienſi, titulo qualiter horæ, ſeſſ. 21. Nauar. cap. 25. num. 13. in cap. quando, per Clem. 1. de celebr. Miſſ. Qui verò cum alijs recitando, vel cantando publicè, vel priuatim ea celeritate recitant, vel cãtant, vt videantur verba officij deglutire, indeq; notabilis (vt ſæpè fit) oriatur confuſio, niſi propoſitum habuerint idem officium repetendi, peccant mortaliter, niſi fortè parum excederent, puta ſi vnam, vel alteram dictionẽ, vel etiam partem verſus, non tamen relinquant notabilem; tunc enim eſſet veniale; ſi verò poſtea repetant officium, non peccant mortaliter, ſicuti nec etiam, qui obliuione omitteret partem aliquam etiam notabilẽ, aut ordine præpoſtero procederet, præponens poſterius, puta ſi recitaret tertiam ante primam, vel aliquem pſalmum, vel lectionem ante illud, quod debebat, non tenetur repetere primam, & poſtea iterum tertiam, aut partem omiſſam, & deinde totum, quod dixerat prius, ſed ſatis eſt, omiſſum ſuppleat.

Officium igitur ſtudioſè, quo ad pronunciationem, ideſt voce articulata, ita ut ſi priuatim recitet, aut cum alijs rectè intelligatur, recitandum eſt, iuxta gloſ. in Clem. vnica, de reliq. & veneratione ſanctorum; quia illud pronunciari debet voce, lingua, & labijs, ad excitandum ſuam, & audien-

tium deuotionem, vt habetur can. nonnunquam, de conſecr. diſt. 5. Verba nanque officij, pronuncianda ſunt integra, vt probatur in dicta extrauag. 1. de vita, & honeſt. cleric. non autem ſcincopando, vel aliquid omittendo, quod pariat cõfuſionem; quia, ſecundum Nauarrum in manuali, cap. 25. num. 99. qui recitat officium cum balbutientibus, quiq; verſus notabiliter anticiparet, ſine animo repetendi, peccaret mortaliter: Non ſolum autem ſtudioſè eſt recitandum officium, ſed deuotè, quod refertur ad officium Cordis. 23. diſt. cap. pſalmiſta, hoc eſt, vt animus in diuino officio perſoluendo ſit attentus, hoc eſt, vt mentem habeat præſentem ad id, quod dicitur, nempè, vt quod lingua foris perſonat, mens ſimul intus concipiendo loquatur; quæ attentio, vt iam diximus, cadit ſub præcepto, ex Nauar. cap. 25. num. 106. inexcuſabilis enim eſt, qui mente vaga precatur. Et hæc, quæ diximus de attentione ſaltem virtuali, ſi non actuali, vel habituali, quæ virtualis eſt neceſſaria ſub vinculo peccati mortalis, procedunt in orationibus vocalibus, quæ de præcepto ſunt recitandæ, vt Horæ canonicæ, & orationes iniunctæ pro ſatisfactione, vel ex voto, non autem in orationibus vocalibus, quæ non cadunt ſub præcepto, vt ſunt orationes voluntariæ: nam cum penitus illæ omitti poſſent, ſine peccato, cõſequitur, quod euagatio mentis tollens attentionem, non inducit culpam mortalem, ſed tantum venialem, niſi fortè adeſſet contemptus, vel ſcandalum puſillorum: ita Gabr. de canon. miſſæ, lect. 22. & Sotus de iuſt. & iure lib. 10. q. 5. artic. 5.

Notandum tamen eſt, quod quando, & quoties quis obligatus ad horas dedita opera mente vagatur, vtputa ſcribendo, aut legendo aliena ab alijs, quæ recitantur, ſed id deliberatè fit ſine animo repetendi, & eſt pars notabilis, tunc eſt peccatum mortale; quod ſecus eſſet ſi quis ob neceſſitatem, aut vrbanitatẽ, ſalutaret aliquem, aut reſpondeat alicui, vel ſubſcriberet litteras, modo haberet animum recitãdi ea, quæ ſocij recitant, dum ipſe ſcribit, ita Nauar. cap. 25. num. 107. ſic etiam non peccaret mortaliter, nec venialiter, qui ob aliquam cauſam, puta tuſſim, collocutionẽ, aliquid etiam nota-

tabile, cum animo repetendi omiſerit, alijs non expectantibus, alias eſſet mortale, ſi ſit aliquid notabile ſine animo repetendi, Nauar. capit. 25. num. 98. Nam ſi quid exiguum eſſet, non oporteret repetere, quod alij dicunt, etiam ſi ipſe recitare non poſſit, vel quia tuſſit, vel ſanguis è naribus effluit; & quamuis ob id choro egredi oporteat, modo ſit exiguum, quod omittitur, etiam ſi ſit pſalmus integer, quia ratione ſocietatis, dictum ab vnis, cenſetur dictum ab alijs. Etſi ſemper conſulerem, eſſe ſupplendum; ita Nauarr. de horis can. cap. 19. num. 83. Attamen cum de neceſſitate ſupplere teneatur, non erit faciendum dum pſallitur in choro, præcipuè ſi ſunt pauci, vel ſi ipſe reaſſumendo perturbet alios, ſed pœniteat, & expleto officio, ſuppleat, quod omiſit, ſi eſt quid notabile.

Qui excuſantur à recitando Horas canonicas. Cap. VI.

VIdimus in præcedenti capite, qui teneantur ad horas canonicas recitãdum, ſupereſt modo, vt videamus, quænã ſint cauſæ excuſantes à recitando. Quæ quidem multæ ſunt, quarũ prima eſt ægritudo, ſeu mala valetudo, & infirmitas, iuxta Innocentium de celebrat. miſſ. & communem opin. Ratio huius cauſæ eſt, quia ægrotus non poteſt cantare, nec recitare horas, & nemo tenetur ad impoſſibile. Notandum eſt tamen non quamlibet ægritudinem excuſare, quia non omnis infirmitas aufert potentiam pronunciandi horas, ſed illa tantum excuſat, quæ ægroto notabiliter, & directè obeſt, vt qui laborat graui febre, vel dolore capitis, ſtomachi, aut inteſtinorum, ita ut nec directè, nec indirectè poſſit recitare, niſi probabiliter det occaſionem maioris nocumenti, neque poſſet præuenire, nec poſtponere & cum ſocio vſque ad mediam noctem. Sunt præterea aliquæ infirmitates, quæ excuſant nos ab obligatione recitandi Horas in choro, quæ non excuſant domi, qualis eſt illa, qua quis redditur impotens adeundi Eccleſiam, non autem ſtandi domi, & recitandi; vt ſi quis choro addictus, haberet in facie

apo-

apoſtema, vel qui laboraret podagra, ita Nauar. de hor. canó. cap. 11. Item ſunt infirmitates, quæ nos excuſant à recitando vſque ad meridiem, aut veſperas, & non toto die, qualis eſt febris tertiana, aut quartana ſtatim à meridie ceſſans, itaut Medici viri docti, & probi iudicio non noceat ægrotanti illa horarum pronunciatio. Ille enim ægrotus, qui poteſt loqui ſerio, & alia profana tractare negotia cum amicis, non video quo pacto excuſari poſſit ab onere recitandi, cum hoc non ſit illo facilius: & præſertim ſcientes noſtrã ſalutem à ſolo Deo pendere, à quo illam orando petere deberemus. Item infirmi, qui liberi à febre patiuntur defectum, vel debilitatẽ membrorum ſuorũ, ij quidem excuſantur, ſi ſoli recitare non poſſint, & neque habere ſocium, quo caſu tenentur, ea ſaltem recitare, quæ memoriter ſciunt.

Item cœcus, & ſurdus, tenentur ea recitare, quæ ſciunt memoriter iuxta regulam, qui tenetur ad aliquid totum, ſi non poteſt totum, faciat partem meliori modo, quo poteſt, argumen. l. impoſſibilium. ff. de reg. iur. cap. nemo ad impoſſibile, de reg. iur. lib. 6. Hinc infertur, qui non poteſt totã Quadrageſimam ieiunare, tenetur eius partem, quam poteſt, ſecundum omnes, diſt. 15. 4. ſent. & Nauar. de horis can. cap. 21. & eſt notandum, quòd, qui ob infirmitatem excuſatur, non tenetur eas audire ab alio tempore ægritudinis, nec loco horarum Deum mente precari, iuxta Palud. in 4. ſenten. diſt. 2. q. 8. ar. 2. concluſ. 1. & Silueſtrum verbo hora, q. 4. & Nauar. cap. 24. num. 100. Ratio eſt, quia non obligamur ad omnia, quæ poſſumus, ſed ad ea, quæ nobis iubentur; non iubetur autem auditio, ſed recitatio, & propterea, qui nequit recitare, excuſatur à recitatione iuſſa, & non obligatur ad auditionem, 4. diſt. §. fin.

Secunda cauſa eſt diſpenſatio Papæ, quæ paucis, & ferè nulli conceditur, vel rariſſimè, & quoad aliquam partem, vel aliquo tantum tempore, non ſemper.

Tertia cauſa eſt, defectus Breuiarij, puta quia iter faciens, oblitus eſt Breuiarium domi, & cum reperitur in remotis regionibus, itaut nec poſſit emere, quia eſt pauper, nec mutuo inuenire, vel eſſet inter infideles, vbi Breuiarium neutiquam repe-

reperiretur. Tunc tamen tenentur ea, quæ memoriter ſciūt, memoriter recitare, quinimò de conſilio ſubſtituere aliquos pſalmos pro illis, quos ignorant, Sotus lib. 10. q. 5. ar. 3. Nauar. de horis can. cap. 2.

Quarta, repentina occupatio, quæ non ſine ſcandalo omitti non poteſt, vt ad comprimendum populi ſeditioſi furorē, vel ad concludendum pacem, vel prouidendum concioni, cum omitti non poſſent, niſi cum detrimento, & ſcandalo populi, excuſat occupatum à ſoluendis horis. Item, qui lecturus lectionem oppoſitionis, vel examinis ad capienda Doctoris Inſignia, vel aliquid facturus, in quo vel ſibi, vel Reipublicæ benè ſe gerere expediret: Securius tamen eſſet partem officij antea, & partem poſt recitare, Henric. de Gadan. in quolibet. 15. q. 12. Maior. in 4. diſt. 12. q. 6. Silueſt. verbo hora, q. fin. Nauar. de hor. can. cap. 7. num. 29. dicit; Tunc omittendum fore officium, quando eſſet impeditiuum maioris boni: vt ſi neceſſe foret, impeditos eſſe circa infirmos, vel prædicationem, aut confeſſionem, vt nullatenus poſſit orare, modo fraus omnino caueatur, & negligentia abſit; quia tunc non excuſarentur, quando ex negligētia omiſiſſent, puta quia ante potuiſſent recitare: Sotus de iuſtitia, & iure lib. 10. q. 5. art. 3. maximè quando rationabili coniectura, quod venturum erat, potuit prouidere, & præuenire dicendo Horas, tunc enim omittendo peccant mortaliter: ita Aſtēſis lib. 6. de clericatu, & tonſura tit. 1. ar. 6. q. 5. ſed hoc iudicarem, perſuaderemq; omnibus clericis, vt diuinum Officium, quicquid negocij eis incumbat, ſiue litterarum, ſtudiū, ſiue aliud, Horis canonicis poſtponant. Caueant tamen omnes, ne fraude, dolouè aliquo vtantur, cum præceptum recitandi, ſit arctiſſimum, & à iure diuino deſcendens, ita Sotus.

Quo tempore, loco, & modo ſit recitandum diuinum Officium. Cap. VII.

COmmunis opinio eſt, obligatos ad diuinum Officium, in Choro, & publicè recitandum, ad hoc ſtatis ab Eccleſia horis, iuxtà patriæ, & propriæ regulæ conſuetudinem, tene-

teneri, eaq; ad hoc neceſſitate cogi, vt ſi id voluntariè, & ſinè cauſa rationabili omiſerint, peccare mortal. Vade clem. 1. de celeb. miſſæ. adducit hæc verba Concilij; Sancimus vt illi, ad quos pertinet, &c. Et paulo poſt, vt in cathedralibus, regularibus, & collegiatis Eccleſijs, horis debitis deuotè pſallatur: Cathedralis Eccleſia eſt, quæ habet Epiſcopum, 50. diſtin. Poſtquā Collegiata autem dicitur illa, vbi eſt Collegium ſimul viuentium, & vbi eſt commune dormitorium, & refectorium; ita per Innoc. in cap. poſtulaſti, de iure patron. & hoc iuxtà illud pſalmi, In Eccleſijs benedicite Domino. Ratio eſt, quia ſi reliquis publicis hominum actionibus, propria ſint deſtinata loca, vt forum ad iudicandum: ſenatus ad Concilia: ad docendum ſcholæ: theatra ad ludos: Ita decuit loca ſtatuere, in quibus eiuſmodi laudes, publicè à fidelibus ſoluerentur. Cum enim Dei cultus, res quædam ſacratiſſima ſit, non omnia illi apta ſunt loca, ſed locum illum, vt etiam vaſa, veſtes, illaq; ornamenta oportuit conſecrare; vnde Deus ſibi templū Hieroſolymis pręcipit ædificari, quod Chriſtus Domum orationis vocauit. Aptiſſimus ergo, ad orādum, publicèq; pſallendum locus, tèmplum eſt, in quo Deus præcipuè à cætu fidelium adoratur, & colitur, non autem in vijs, in foro, aut alibi more ſecularium negociorum pręſtare, cum maximum attentioni impedimentum obijciatur: non autem inquam in locis indecentibus, vbi profana fiunt, vel inter compotandum, aut dum naturæ ſatisfit, quod non vacat culpa, ſaltem veniali; ità Sotus, & Nauar. de horis can. Quapropter non video quomodo excuſare poſſim à peccato mortali, Canonicos, alioſq;, qui Choro ſunt deſtinati ad canendas, pſallendas, vel pronunciandas collegialiter horas canonicas, horis ad hoc ſtatutis nolentes adire Chorum ſuarum Eccleſiarum: Nam qui de præcepto tenentur aliquid facere in aliquo loco, vel erga certum genus perſonarum, ſi non faciunt illud in eo loco, vel erga illas perſonas, non ſatisfaciēt ſuæ obligationi, etiam ſi alibi illud faciāt, vel erga alias perſonas; vt probat text. in cap. Nos quidem. & cap. Ioannes, de teſtam. l. ſi quis ad declinandam, cap. de Epiſcopis. l. quæ conditio. §. Cum ita. ff. de demon. At canonici omnes,
iure

iure communi, & regulari tenentur canere, pſallere, & collegialiter pronunciare cum alijs in choro, ex mente ſacrorum canonum, quæ colligitur ex cap. 1. de celebr. miſſ. & melius in c. dolentes, in verbo choro, & in conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 12. ergo præceptiuam tranſgrediuntur legem, ſi eas non recitant in choro, quamuis alibi dicant. Rurſum, qui tenentur ad faciendum aliquid qualitate aliqua qualificata, non ſatisfaciūt ſuæ obligationi faciendo illud ſimpliciter, ſine illa qualitate, cap. ab eo, de elect. lib. 6. ſicuti qui obijcit electo manifeſtum aliquem defectum, non ſatisfacit probando huiuſmodi defectum ineſſe illi, niſi probet id eſſe manifeſtum: ita à ſimili, qui tenetur recitare in choro, & collegialiter cum alijs recitando, non ſatisfacit recitando extra chorum huic obligationi: qui tamen iuſtè impediretur, vel quia infirmus, captus, vel violenter detentus eſſet, excuſaretur à choro, & non peccaret recitando extra chorum; quod dicendum eſt tàm de canonicis, quàm de alijs quibuſcunque deſtinatis ad recitandum Horas collegialiter in choro, cum iuſto impedimento impediuntur; de conſuetudine verò iam recepta nunc aliter fieri ſolet.

De modo recitandi.

IN recitandis Horis ſeruari debet modus, vt ſcilicet reuerenter, deuotè, & attentè pſallatur, diſt. 92. cap. cantantes. Reuerentia autem conſiſtit in hoc, vt ſint corpore compoſiti; corpus enim incompoſitum mentis inæqualitatem indicat, cap. fin. 91. diſt. quemadmodum enim, qui terrenum Principem eſſet allocuturus habitum, inceſſum, & amictum, omniaq; corporis membra, & ornamenta componit, itaut nihil habeat, quod diſpliceat Principi, multo magis hoc facere debent, qui Deum, & Dominum Angelorum ſunt allocuturi. Hoc tamen non eſt adeo neceſſarium, vt qui incompoſitus recitat, non ſatisfaciat præcepto; modò alia neceſſaria ſeruet, ſicuti etiam, qui indeuotè recitat, quia cōpoſitio, & deuotio non cadunt ſub præcepto, ſicuti cadit attentio. Modus item officiandi debet ſeruari iuxta morem

matricis Eccleſiæ, vel Metropolitanæ, cap. inſtituto, de conſecr. diſt. 2. & in Religionibus iuxta ſua ſtatuta, Caiet. in verbo hora, Nauar. de hor. can. cap. 12. num. 217.

De tempore dicendi Horas.

HOris competentibus diuinum eſt Officium recitandum. Tempus autem ſatisfaciendi præcepto Eccleſiæ incipit à primis Veſperis diei præcedentis, & terminatur vſque ad mediam noctem diei ſequẽtis, iuxta Soti ſententia lib. 10. q. 5. art. 4. Caietani in verbo hora, & Nauarri de horis can. cap. 30. num. 20. Nam infra hoc tempus debet perſolui diuinum Officium, alias peccatum eſſet mortale, & infra hoc tempus perſolui debet ſuis horis cõpetentibus, quãuis hoc non obliget omnes ſub peccato mortali; qui tamen ſine culpa ſua, & legitimo impedimento detentus eſſet, itaut debitis horis recitare non poſſet ſingulas Horas canonicas, melius erit præuenire, quàm poſtponere, quia primum eſt prudentiæ, ſecundum eſſet negligentiæ, S. Thom. quolib. 1. art. 28. iuxta exemplum Abbatis, referẽtis in cap. 1. de celebr. miſſ. de quodam Eremita, quem deficientibus alimentis Angelus nutriebat, & tẽpore vendemiæ, & vuarum portabat illi, quandoq; vuas bonas, quandoque marcidas, quandoq́ue agreſtes. Interrogatus ab eo Angelus, quæ eſſet cauſa tantæ diuerſitatis, reſpondit: Bonas affero tibi vuas, quando horis competentibus recitas: agreſtes, quãdo tempus præuenis: Marcidas verò, quando horã debitam tranſcendis: immò grauis culpa eſſet, licet non mortalis, horas omnes ſummò manè recitare vſque ad Nonam, vt poſtea ludat, vel ocietur; ſicuti etiã, vt voluptuoſius mane dormiat, veſperi ſoluere Matutinum, vt Nauar. in man. cap. 25. num. 97. & de horis can. cap. 3. num. 54. Monitos præterea omnes eſſe volo, vt præcipit conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 12. ſolam præſentiam in choro non ſufficere, ſed teneri quoſcunq; clericos cum effectu pſallere, & cum alijs in choro recitare, niſi alias dictas horas recitãdo ſatisfecerint. Res tamen eſt mali exempli, vel domi, vel in cubiculo diuinum perſoluere Officium,

ſium, ad hoc, vt in choro liceat deinde ſilere, hoc enim ſine peccato effici non poteſt. Præterea hoc non eſt ignorandum illum videlicet, qui ex ignorantia, vel inaduertentia, aliauè probabili cauſa diceret Officium de ſancto, quod de feria dicere debuiſſet, & nunc replicare faſtidit, vel ex maiori commoditate, quia hoc memoriter tenet, & non illud, vel nullũ, vel ſaltem peccatum veniale committere, quia qualitas officij non eſt in præcepto, ſed qui in fraudem hoc faceret, graue peccatum, ſed tamen non mortale committeret: Hæc Graſſius ex Siluestro in verbo hora, nu. 15. Addendum quoque non poſſe diuinum Officium propria authoritate alterari, & mutari; ſi ſimplex ſit, vel ſemiduplex, ſic de eo fiat: Nec octauas addendo; aut de Sanctis nullo modo notis, niſi ex indulto Apoſtolico; præſertim, quia interdum hoc fit dedita opera, vt feriale Officiũ dimittatur ob longitudinis tædium.

De altera parte primi muneris Sacerdotis noui Teſtamenti, quam communi vocabulo Miſſam dicimus. Cap. VIII.

ALteram partem primi muneris Sacerdotis noui Teſtamenti diximus eſſe Miſſam celebrare, in qua cum de altiſſimo, & ſanctiſſimo Altaris ſacrificio, nobis tractãdum ſit; videbimus primò, quibus nominibus huiuſmodi ſacrificium appelletur; nam cum plures variosq; effectus, & ꝓprietates, & plura repreſentet; pluribus etiam, varijsq; nominibus appellare conſueuit. Primò enim voce græca, vocatur ſynnaxis, quod apud latinos idem ſonat, atq; communio, cuius rei Damaſcenus rationem affert dicens; quia per ipſam Chriſto Domino communicamus; & quia de eius carne, & deitate participamus, iuxta illud Pauli 1. Cor. 10. Omnes de vno pane, & de vno calice participamus. Ad quam vnitatem ſignificandam Chriſtus Dominus materiam huius ſacrificij iuſſit, voluitq; ex ijs rebus eligi, quæ ad vnum aliquod rediguntur: ſicut enim ex multis granis vnus panis efficitur, & ex multis vuis vinum ex-

primitur, ex quibus corpus, & ſanguis Chriſti conſecratur, ita & nos cum multi ſimus, vnum tamen in Chriſto per hoc ſacramentum efficimur.

Secundò, appellatur viaticum, quia cibus ſpiritualis eſt, quo in huius vitæ peregrinatione ſuſtentamur; tum etiã, quia nobis viatoribus iter noſtrum perueniendi in patriam munit: vnde iuxta hanc ſignificationem ſortitur etiam nomen Euchariſtiæ, hoc eſt bonæ gratiæ: quia realiter Chriſtum authorem gratiæ, & plenitudinem continet, nobiſq; illum dignè ſumentibus, & manducantibus vitam gratiæ operatur, iuxta illud, Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi: ſi qs manducauerit ex hoc pane viuet in æternum; & qui manducat me, & ipſe viuet propter me: panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: niſi manducaueritis carnem filij hominis, ſaltem in voto proprio, aut Eccleſiæ, non habebitis vitam in vobis, Ioan. 6.

Tertiò, dicitur ſacrificium, vt paſſionem Domini, quæ eſt verum ſacrificiũ repreſentat, quapropter Miſſæ quoque vocẽ retinet, ſi intelligas Miſſam pro ſacro illo miſterio, quod fit in conſecratione, oblatione, & cõmunione corporis, & ſanguinis Domini ſub ſpeciebus panis, & vini: vnde nomine ſacrificij, omnes Theologi intelligunt quãcunque oblationem, quæ Deo offertur in recognitionem ſupremi dominij, ſeu ad impetrandum miſericordiam, & veniam peccatorum, & gratiam acquirendam, ſeu ad vltionem, & iram auertendum, ſeu ad gratias reddendas pro beneficijs; quo modo etiam contritio, ſeu dolor pro peccatis, dicitur ſacrificiũ, iuxta illud pſalmi 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. Recognitio ſupremi dominij duplex eſt, interior, & exterior. Interior eſt, Deũ interius corde contrito, & humiliato laudare, eiq; gratias agere, & pœnitentiæ operationes interius operari, quæ nobis cum hominibus veteris legis erat cõmunis. Exterior verò, alia erat in lege Moyſis, alia in lege gratiæ, & ſic aliud eſt ſacrificium exterius veteris legis, aliud nouæ. In veteri enim lege, aliquando res inanimatas in ſacrificium

cium offerebant, panem ſcilicet, vinum, ſimilam, thus,&c. in laudem, & gratiarum actionem pro beneficijs acceptis: & oblatio ſimpliciter dicebatur, quod omnibus ſacrificijs commune erat: Aliquando offerebant animata, quæ cum effuſione ſanguinis occidebantur; quod genus ſacrificiorum, victima dicebatur, fiebatq; propter tria, & ſic triplici quoque nomine dicebatur. Aliquando fiebat in ſatisfactionem pro peccato, aut pœnis debitis peccato, & tunc dicebatur ſacrificium expiationis, & hoſtia pro peccato. Aliquando ad placandum Deum, & dicebatur holocauſtũ, ſeu victima holocauſti. Aliquando fiebat in gratiarum actionem pro acceptis beneficijs, & tunc dicebatur ſacrificium pacificum. Quæ omnia cum ad noſtrum altaris ſacrificium ordinarentur, hinc eſt, vt hoc ſacrificium omnibus prædictorum ſacrificiorũ nominibus appelletur: vbi ſciendum eſt, triplex Iudæis fuiſſe genus ſacrificij: Primum, offerebant Deo propter illius reuerentiam, recognoſcentes illum Dominum, & authorem omnium bonorum vniuerſalem, quod dicebatur holocauſtum, in quo integrum animal igne comburebant, nihil ex eo ſeruantes. Secundum erat in conciliationem pro aliquo peccato, quod dicebatur hoſtia, ſeu victima placabilis, in quo ſeruabatur aliqua pars ſacerdoti; reliquum igne comburentes, in quo notabatur Deum eſſe cauſam noſtræ ſalutis, ſed medijs miniſtris ſuis. Quando tamen erat peccatum ſacerdotis, vel totius populi, tunc fiebat expiatio per holocauſtum, vt demonſtraretur, aut miniſtri iniquitas, aut grauitas peccati.

Tertium, erat in gratiarũ actionem pro beneficio accepto, & dicebatur hoſtia pacifica, cuius tres partes fiebant. Altera dabatur Deo per ignem, quo comburebatur. Altera ſacerdoti, tertia ipſi offerenti remanebat, in quo notatur Deum nobis per ſuos miniſtros ſalutem impartiri, nobis etiam cooperantibus. Dicitur oblatio ab Apoſtolo Epheſ. 5. Qui dilexit nos, & tradidit ſemetipſum oblationem pro nobis. Oblatus, eſt, quia ipſe voluit, Iſaiæ 53. Eſt autem oblatio hæc, actus exterior latriæ, quo Deo offerimus aliquam creaturam in recognitionem, quod ipſe ſit principium totius eſſe, ac Dominus omnium, à quo bona cuncta procedunt: & hoc dicitur ſacrifi-

crificare, quod propterea nulli alij conuenit, niſi ſoli Deo viuo, & vero. Cui nos, quorum religio ſancta, & vera eſt, ſacrificium maximè acceptabile offerre debemus, & hoc in ſacrificio Miſſæ; in qua ſacrificium corporis, & ſanguinis Domini, non Taurorum, non Hircorum, aut Vitulorum facimus; ſed Chriſti Domini noſtri, cuius valor, & virtus eſt infinita: miro .n. modo Deus noſter hoc ſacrificio delectatur, de quo in pſalmo 49. dicitur, ſacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei. Dicitur ab eodem Apoſtolo Rom. 5. Hoſtia, ſeu victima in holocauſtum; nam cum inimici eſſemus, recōciliati ſumus Deo per mortem filij eius.

Dicitur ſacrificium expiationis, ſeu ſacrificium, & hoſtia pro peccatis Hebr. 9. ſi enim (inquit Apoſtolus) ſanguis hircorum, aut vitulorum inquinatos ſanctificat, ad emundationem carnis, quanto magis ſanguīs Chriſti, qui ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis? donans nobis omnia delicta, delens quod aduerſum nos erat, Chirografum decreti, &c. Iſaiæ 53. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.

Quæ ſint partes eſſentiales ſacrificij. Cap. II.

Partes quæ ſunt de ſubſtantia, ſeu de eſſentia ſarrificij, ſunt tres, videlicet Conſecratio, Oblatio, & Manducatio, ad quæ omnia, requiritur authoritas faciendi, & inſtrumenta ad hoc ſpectantia, vtputa Altare, Calix, & alia, de quibus habetur tàm in veteri, vt leuitici, quàm in nouo teſtamento Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10. Hæbr. vlt. c. Concil. Lateran. ſub Innoc. III. & habetur in cap. firmiter. §. vna. extra de ſum. trin. & fide cath. & in cap. perlectis. 2 . . diſt. & ſacerdotium cum ad ſacerdotem tantūmodo noui Teſtamenti ritè ordinatum ſpectet, in perſona Chriſti huiuſmodi ſacrificium conficere & offerre. Nàm cum ſacerdotes habuerit dominus in omni ſtatu, tàm naturæ, quā legis, & gratiæ: ſacerdotes tamen euangelici cæteris omnibus perfectiores, & preſtantiores exiſtunt, quod ex differentijs, quas ſuperius diximus, facile poterit coniectari. Requirun-

runtur etiam in quolibet ſacrificio, illa quatuor, hoc eſt.

1. Cui offertur, Deo enim ſoli debetur ſacrificium.

2. A quo offertur, ſcilicet ab homine ſacerdote.

3. 4. Quid offertur, & pro quo: quæ omnia in ſacrificio noſtro, modo quodam illuſtriori, quàm in alijs elucere vidētur.

Quod ſacrificium noſtrum Altaris ſit alijs præſtabilius, & in perpetuum duraturum.

Cap. III.

CVm ſacrificium ex D. Auguſtino lib. 10. de Ciuit. Dei, c. 4. & cap. 20. ſit actus, ſiue cultus latriæ, qui Deo ſoli modo quodam præſtantiſſimo eſt exhibendus, adeò vt nulli Angelorum, neq; hominum debeatur: cumq; medium ſit valde efficax, ad gratias, quas à Deo petimus obtinendas, condecens quoque fuit, vt in lege gratiæ eſſet ſacrificium, quod cæteris omnibus antecelleret: ac cum ipſa Eccleſia, ſecundum ordinem Melchiſedech, vſq; ad ſecundum Chriſti aduentum eſſet duraturum. Præſtat cæteris hoc mirabile ſacrificium, quòd omnia in ſe vno complectatur, quæ in cæteris omnibus continere videbantur; immo huc omnia ſacrificia ſunt relata: & quòd plura, & excellentiora conferat munera illud dignè ſuſcipientibus, quàm quæcunq; alia ſacrificia, quia in alijs Vituli, Tauri, & huiuſmodi animalia offerebantur (vt diximus) in hoc verò corpus, & ſanguis Chriſti; cuius valor eſt infinitus, cum diuinitati inſeparabiliter vniatur.

Quod ſit in perpetuum duraturum, probatur, & prophetarum vaticinijs, & varijs noui, ac veteris Teſtamenti oraculis: Probatur enim primò figuris, præfiguratum enim fuit, vt D. Cyprianus refert, lib. 2. epiſt. 3. & D. Aug. de Ciuit. Dei lib. 16. c. 22. D. Hieronym. ad Marcellam. D. Ambroſ. lib. 4. de Sacram. & lib 5. c. 1. Origen. parte 1. in Leuit. 24. hom. 13. & vt alijs Eccleſiæ Doctoribus placet, in pane, & vino, quæ obtulit Melchiſedech Abrahæ, reuertenti à cæde Amalech Et pro panibus propoſitionis, & pro altero hircorum, qui effuſo ſanguine occidebatur, quo cruentam Chriſti Domini oblatio-

tionem, quam in Cruce obtulit, à qua hoc ſacrificium incruentum (de quo loquimur) vim, & efficaciam ſumpſit: & demum quo ad rem, quæ in ſacramento altaris continetur, quæ eſt Chriſtus IESVS, omnia veteris legis ſacrificia, & præſertim ſacrificium expiationis, quod erat omnium maximum, & ſolemniſſimum, noſtrum hoc ſacrificium præſignarunt. Quo ad effectum iſtius ſacrificij, hoc in manna oſtenditur, quo ad omnia hæc ſimul agnus paſchalis verè, & propriè hoc noſtrũ ſacrificium præſignauit, id quod affirmat D. Io. Chriſ. hom. 82. in Matth. cum quo concordat D. Ambroſ. dicens, lib. 1. offic. Offerebatur agnus, offerebatur vitulus, nunc verò offertur Chriſtus. Dauid quoq; hoc idem ſuo vaticinio confirmat dicens in pſal. 71. Et erit firmameutum in terra in ſummis montium; vbi Hæbraica verſio habet; erit in terra placenta triticea. Verſio Caldea, quæ ante Chriſtum in carne facta eſt, habet, erit Corban. hoc eſt ſacrificium frumenti in terra in ſummis montium, ideſt ſuper caput ſacerdotum, & prælatorum Eccleſiæ, de hoc Roſſen. de ſacerdotio, congreſſu, 2. contra Lutherum ar. 45. Rabbi Kymbi, & Rabbi Salomon Doctores, & Rabbini non infimæ auctoritatis affirmant, hoc de Meſſia à Dauide dictum fuiſſe; addentes Chriſti ſacrificium in placenta panis tritici eſſe faciendum. Rabbi Iohai probat ſacrificium panis, & vini, nunquam defuturum. Rabbi Pinhas Iair filius dicit Meſſiæ tempore, ceſſabunt omnia ſacrificia, ſed ſacrificiũ panis, & vini nunquam ceſſabit. Ezechiel præterea, cap. 37. huius ſacrificij perpetuã durationem prædixit, dicens; Et Dauid ſeruus meus princeps eorum in perpetuum cum eis fœdus, pacis, pactum ſempiternum erit eis; & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo ſanctificationem meam in medio eorum in perpetuum: & erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus, quo loco durationem iſtius ſacrificij profetauit, & vocauit corpus Chriſti, tabernaculum ſuum, in quo plenitudo diuinitatis eius inhabitat. Hieremias item cap. 31. loquens de hac duratione dicit, ſanctũ Domini non euelletur, & non deſtruetur vltra in perpetuum. Malachias quoque 1. & 3. cap. dicit, Ab ortu Solis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum

in gen-

in gentibus; & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum: qui Malachias fuit nouiſſimus omnium prophetarum minorum, qui nunciare cœpit aduentum Ioannis Baptiſtæ; & deinde loquitur de futuro populo Chriſtiano, cuius tempore ſacrificium ſacroſanctũ non in vno tantum loco, ſed in vniuerſo terrarum orbe offerendum erat. Quocirca Hireneus Martyr auditor Policarpi, diſcipuli Beati Ioannis Euangeliſtæ, dicit, ſuis temporibus, hoc eſt mille, & quadringentis ab hinc annis, oblationem iſtam in vniuerſo orbe offerri ſolitam Deo, quam Eccleſia ab Apoſtolis accepit.

Sacrificium Altaris quo ad omnia, quæ ad verum ſacrificium ſpectant, plenè, & perfectè à Christo fuit institutum. Cap. IV.

Diuus Cyprianus de Cœna Domini, & lib. 2. epiſt. 3. cum D. Auguſtino lib. 3. de Trinitate c. 4. tom. 3. & lib. 83. 99. q. 61. tom. 4. & ad Marcellinum epiſt. 5. tom. 2. & ſerm. de tempore ſerm. 150. tom. 10. & Theofilato ſuper Matth. c. 26. ſuper Luc. c. 5. & cæteris antiquis Patribus teſtatur Chriſtum Dominum primo inſtituiſſe conſecrationem, quæ fit ſolemni benedictione iſtius panis ſuperſubſtantialis, & huius calicis, & mirabili ſuorum verborum virtute mutaſſe, naturam, & ſubſtantiam panis in verum corpus, & ſanguinem ſuum precioſiſſimum; quippe quæ minorem non habet virtutem, quam ignis, cui in diuinis ſcripturis comparatur, qui lignum in ſui naturam conuertit: nec minorem, quam organa noſtri corporis, quæ panem, vinum, & alia in carnem, & ſanguinem vertunt: vnde ſicuti in Chriſto videbatur humanitas, ſub qua diuinitas celabatur; ita in hoc ſacramẽto viſibili, hoc eſt ſub ſpecieb. panis, & vini, quas videmus, diuina verbi eſſentia occultatur; ille inquam idem qui natus, paſſus, crucifixus, mortuus, & reſurrexit, propriaq; virtute, videntibus diſcipulis, aſcedit in cœlum, vbi ad dex-

ceram Patris, cum maieſtate ſedet; & inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos. Contra impium Lutherum, qui panem ſimul cum Chriſti corpore eſſe dicit, cum facta ſit trāſubſtantiatio panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti; & accidentia, quæ prius inhærebant ſubſtantiæ panis, nunc per ſe ſubſiſtunt præter naturam ſuam, quod nulli creaturarum vnquam conceſſum eſt. Nulla enim creatura, quamuis potentiſſima, poteſt ſubſtantiam deſtruere, aut ad nihilum redigere; & qđ accidentia panis, & vini per ſe ſubſiſtant, Philoſofi capere non poterunt; immò impoſſibile factu dicunt; quibus dicendum, ſi Heliæ Thesbytis verba ignem de cœlo traxerunt ad comburendos quinquaginta viros: cur eandem verbis Chriſti negabimus ineſſe virtutem, vt mutet ſubſtantias? cum ſolo verbo fecerit vniuerſa? Dixit enim, & facta ſunt: mandauit, & creata ſunt; & ne fortè dubites, quomodò ſub illis ſpeciebus ſit Chriſtus, ſcias Chriſti corpus habuiſſe triplex eſſe, materiale, ſenſibile, & paſſibile, quod de ſacratiſſimo Virginis vtero ſumpſit, quodque videri, palpari, comedi, pati, & dentibus laniari poſſet; & hoc modo interpretati ſunt Iudæi verba Saluatoris dicentis; Niſi manducaueritis carnē filij hominis, &c. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, &c.

Secundum, immediatè poſt reſurrectionem fuit eſſe glorioſum, ſpirituale, & impaſſibile, quomodo etiam latet in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis, & vini, ideò non eſt mirū ſi in hoſtia conſecrata non videtur, non tangitur, non frangitur in fractione hoſtiæ, non percipitur eius odor, nec ſapor, licet ibi verè, & realiter cum anima, corpore, & diuinitate exiſtat. Tertium eſſe eſt ſingulariſſimum in cœleſti gloria, vbi non ſub ſpeciebus, ſed maniſeſtiſſimè à Beatis videtur. Nota tamen corpus Chriſti corporale, & ſpirituale idem eſſe in re, ſed differre penes accidentia, & corporis conditiones: nam dicitur corporale, prout ſubijcitur corporeis qualitatibus, & accidentibus: dicitur ſpirituale, prout à corporeis conditionibus poteſt eſſe abſtractum. Ita præterea in illo eſt ſacramēto, vt non deſinat eſſe in cœlo, & alijs in locis, in quibus tot particulæ conſecrantur. Et quamuis toties, & à tam multis

quotidie ſumatur fidelibus, nunquam tamen propterea minuitur, de quo Ioannis cap. 6. habetur ſub miraculo quinque panum, quibus tot millia hominum ſatiauit. Et hoc eſt mirandum, quod ſacerdos, quamuis malus, per verba conſecrationis efficiat, quoties voluerit ad Altare, vt ſub illis ſpeciebus ſit corpus Chriſti, & patiatur ipſe Chriſtus ab illo tractari, & comedi, vt fit quotidie. Præterea cum in ſacramento Altaris, vt in alijs, ſint duo; ſignum videlicet, & res ſignata, fit aliquando, vt ſacramentum nomine ſigni, & figuræ vocetur, cum loquimur de forma illa exteriori, quam corporeis oculis intuemur; ſed non propterea ſequitur, quin à ſanctis Doctoribus intelligatur, ſub tali ſigno tegi illud, quod ipſe Dominus ore proprio pronunciauit, ſuum videlicet venerabile corpus, quod in Euangelio à ſancto Simeone ſene vocatū eſt ſignum, cui contradicetur; quia etiam corpus Chriſti figura eſt, & ſignum vnitatis Eccleſiæ: propterea ſic à D. Auguſtino contra Donatiſtas, alioſq; hæreticos ſumitur, qui non habēt vnitatem ſignatam in corpore Chriſti, cum ſint membra Diaboli ab Eccleſia ſeparata. Dicitur etiam panis hoc ſacramētum, quoniam Hæbrei, & ſcriptura pro pane intelligunt, carnem, & quemcunque cibum; ſed nunquam tamen declaratur quid ſit iſte panis poſt conſecrationem, quin etiam apertè caro Chriſti dicatur. Illud verò, quod habetur in Symbolo, Chriſtum aſcendiſſe in cœlum, ſedere ad dexteram Patris, venturum ad iudicandum, &c. ita debet intelligi, vt huic veritati nullo ſit contrarium, quod Chriſtus ſit in Euchariſtia; nam Angeli declarauerūt qualis futurus eſſet ſecūdus Chriſti aduentus, eodem quippe modo, quo illis videntibus, aſcendit in cœlū, id quod nihil derogat velatæ eius præſentiæ ſub ſacris illis ſignis, licet modus apparendi ſit diuerſus: quod dicatur ſedere ad dexteram Patris, hoc non propterea impedit, quin etiam ſit in ſacramento, nam in hoc ſacto corpus Chriſti, quod diuinitati vnitum eſt, vtitur eadem proprietate, quę hoc habet, vt tota ſit in cœlis, & tota vbiq; abſque vlla mutatione, & motu; quocirca corpus Chriſti non ordine, & modo naturali corporum, eſt in hoc ſacramento, dum eſt ad dexteram Patris, quod Dei glororiam, & maieſtatem ſignificat;

Sed ibi eſt per diuinam proprietatem modo indicibili; quem nec naturalibus argumentis, nec rationibus poſſumus cognoſcere, ſicuti nec etiam ſcire poſſumus, nec ſenſu, nec intellectu noſtro percipere, niſi fidem credere, quo pacto Chriſtus penetrarit parietes, ambulauerit ſuper aquas, transfigurarit ſe coram diſcipulis, in cœlum propria virtute aſcenderit, cum præter naturam, & corporum grauitatem, ſoliditatemq; parietum ſit impoſſibile, duo corpora eodem tempore locum vnius tantummodo occupare; quod tamen diuinitas, quæ naturæ noſtræ vires longè ſuperat, illi concedebat: & propterea ipſe corpus ſpirituale habere dicitur, ſicut & nos poſt reſurrectionem habituri ſumus, 1. Corinth. 15. & per donum glorificationis à nullo impedietur, quin liberè animam diuinis radijs illuſtratam ſequatur. Quod verò dixerit Dominus, Hoc facite in meam commemorationem; non propterea intelligas excludi præſentiam corporis Chriſti, ſed memoriam, quam facimus, non fieri de præſenti corpore, ſed de morte, quæ iam in prædicto corpore fuit, non enim dixit Chriſtus, Facite memoriam huius corporis, ſed hoc facite, idest conſecrate hoc corpus in memoriam mortis meæ, vt maiori affectu illum Deo Patri offeramus, qui vt nos redimeret, mortem paſſus eſt; & eundem ſumentes, eam vitam ſumamus, quam panis communis dare non poteſt, ſed caro Chriſti, quæ non ſolum affectu, & amore, ſed etiam (vt ait Cyrillus) naturaliter nobis ipſis vnitur, lib. 10. in Io. 13. & lib. 3. in Io. capit. 37. Quæ omnia cum ſint admiranda, non tamen neganda, immò de fide catholica tenenda, omnem intellectum captiuant in obſequium fidei, quæ præter rerum ordinem fideles confirmat, & dubios in fide tanquam infideles arguit, & repellit: & ſi non poteris capere, quomodo ibi ſit Chriſtus, non propterea dubites, neque neges, dicendo, quia non poſſum capere, ergo eſt impoſſibile, hoc namque idem facit hæreticus, & infidelis, qui iure, ac meritò reprehenduntur: nam ſi audires ruſticum, & imperitum negare aliquam propoſitionem, omnibus Theologis acceptiſſimam, quia ipſe non capit, non nè illum rideres? vide Cyrillus, tractatu 4. ſuper Io. cap. 13. & Baſilius contra Eunomium hoc eleganter reprehendunt, di-

centes; Si Deum negas, quia non capis, quomodo ergo capere poteris oculum ita paruũ cœli, & orbis vaſtitatem videre? ſi ergo negas, quia non capis malè negas. Chriſtiane igitur, piè, & catholicè admireris, vt inde fidei meritũ conſequaris, & Dei diuinitatem, quam non vides, confiteare, ne veluti Arrianus, Deum tibi facias, quem poſſis capere, & videre.

Inſtituit oblationem Dominus, & ſeipſum in ipſa nocte cœnæ patri obtulit, quod & in gratiarum actione, ac in oculorum eleuatione oſtendit; id quod per apoſtolicas traditiones habemus, Dionyſius Pauli diſcipulus, in fine lib. Hierarchiæ eccleſiaſticæ, & cum dixit, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Quæ oblatio nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt, ſicuti ex concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. habetur; & vt inquit Chryſoſtomus tom. 4. hom. 2. & in 2. ad Timoth. & in lib. 3. cap. 4. de dignitate ſacerd. & hom. 78. in Ioan. & hom. 17. in epiſt. ad Hæbreos 10. à quocunque ſacerdote cuiuſcunque meriti offeratur, ſemper eſt eadem cum ea, quam Chriſtus dedit Apoſtolis, & quam nunc conſecrant ſacerdotes, & hoc quia eam non ſacrificant homines, ſed Chriſtus, qui antea ſacrificauerat: vnde D. Auguſt. tom. 5. lib. 18. cap. 22. de ciuitate Dei; & de ſpiritu, & litera cap. 11. & lib. 20. cap. 18. contra Fauſtum dicit, Chriſtiani eiuſdem ſacrificij memoriã faciunt, cum ſacramenta oblatione, & communione corporis, & ſanguinis Domini.

Inſtituit denique manducationem, quando corpus, & ſanguinem ſuum precioſiſſimum diſcipulis præbuit manducandum, & bibendum, dicens; Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum: Bibite, hic eſt ſanguis meus, &c. At ne fortè quis dubitet, quomodo corpus Chriſti manducetur. Notandũ eſt, corpus quodcunque comedi poſſe à nobis duobus modis .ſ. corporaliter, & ſpiritualiter: corporaliter quotieſcunque ſub corporis ſumitur accidentibus, videlicet cum in educatione rei alicuius percipitur eius pondus color, odor, ſapor, &c. & huiuſmodi res conuertitur in ſubſtantiam comedentis, ſicuti ſi comederes carnem vituli, agni, panem, &c. Spiritualiter verò, non dico ſpiritualiter, ideſt per fidem tantum, ſed ſpiritualiter, hoc eſt, ſine corporeis, & materialibus

 con-

conditionibus, pro cuius rei declaratione ſume exemplum in vino ſæpius lambicato, quod quidem vinum ex huiuſmodi lambicatione amittit colorem, ſaporem, & odorem vini; ibi tamen remanet eſſentia, & ſubſtantia vini, virtuſq; ipſius, quod cum bibitur, non bibitur ſub accidentibus illis corporalibus, ideò dici poteſt ſpiritualiter bibi, ſic ſuo modo, & altiori de corpore Chriſti dicendum videtur, quod non comeditur ſub ſpeciebus corporis, vt putabant Iudæi, quomodo carnes ouium, quæ dentibus conteruntur. Manducatur itaq; corpus Chriſti verè, & realiter, ideſt ſub propria ſpecie carnis, & lineamẽtis corporalibus humano corpori conuenientibus, ſed ſpiritualiter, ideſt ſub ſpecie aliena, ſub qua latet, & ſic non ſubijcitur alicui corporalium ſenſuũ, ſub qua ſpecie habet quodammodo modum exiſtendi ſpiritus, quia ibi eſt modo inuiſibili; & hæc ſiquidem manducatio ſpiritualis, verè eſt manducatio ſacramẽtalis, quæ opponitur manducationi corporali; & hoc modo intelligas verba Chriſti, dicentis; Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: quam manducationem Iudæi corporaliter faciendam arbitrati ſunt: ſed Chriſtus diſcipulos ſuos edocens dixit: Spiritus eſt, qui viuificat, caro non prodeſt quicquam, Ioan. 6. Spiritus eſt, qui viuificat, ideſt caro mea ſpiritualiter ſumpta viuificat; caro nõ prodeſt quicquam, ideſt eo modo, quo Iudæi intelligunt, quod ſcilicet carnaliter manducetur: Addit præterea, verba quæ locutus ſum vobis, ſcilicet de carne manducãda, ſpiritus, & vita ſunt, ideſt ſpiritualem habent intellectum, ſecundum quem caro mea vitam præſtat ſpiritualiter ſumpta ſub ſacramento. Ex quibus itaque inſtitutionibus conſtat, quænam ſunt, quæ ad perfectum ſacrificium requirantur, & quæ ſint partes, quæ ſunt de ſubſtantia ſacrificij.

Si autem quæſieris, cur Dominus inſtituerit hoc ſacramentum ſub ſpeciebus panis, & vini, potiuſquã ſub alijs ſpeciebus. Reſpondetur, id varijs feciſſe rationibus: Prima, quia panis præ alijs cibis, maximum confert robur ſumentibus, iuxta illud pſal. 103. Et panis cor hominis confirmat: homines enim, qui panem non comedunt, imbecilles ſemper ſunt: qui

verò

verò vel ſolo pane reficiuntur, vt homines inferiores aſſiduis licèt incumbant laboribus, maximè tamen pollent viribus: vinum etiam maximè cõuenit, quia hominem multum exhilarat, iuxta illud, & vinum lætificat cor hominis; hæc enim duo robur, & lætitia nobis præcipuè conferuntur hoc ſacramento. Secunda, quia panis nobis nunquam licet poſt diuturnam conſuetudinem, nauſeam parit, ſicut alia ferè omnia ciborum genera, quamuis lautiſſima; hinc ſacri Doctores, illud, Panem noſtrum quotidianum, interpretantur de hoc ſacramento; ex quo fit, vt illum malum annum dicamus, non in quo ceraſa mala, vuæ, & alia id genus fructuum deſunt, ſed in quo penuria eſt tritici: quare ſanctus Illarius, malè inquit cum illo agitur, qui in peccato mortali eſt, cũ non poſſit hoc cibo refici, & recreari. Tertia, quia Chriſtus Dominus pro omnibus venerat, & propterea ſub cibo omnibus grato, & communi voluit ſui corporis inſtituere ſacramentum. Quarta, vt paſſionis Chriſti immanitas, & abiectio noſceretur; multa enim patitur panis, multa vinum priuſquam ad panis, & vini perfectionem reducantur: frumentum nanque, ex quo panis conficitur, in terram proijcitur, moritur, trituratur, mola teritur, commaſſatur, & tandem igne in clibano ſolidatur; quam immanitatem indicauit Dominus per Hieremiam, cum dixit, O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus: & iure hæc verba dixit, ipſe enim dolorem ſubijt, qui omnibus peccatis, & hominum maleficijs debebatur. Abiectio verò oſtenditur in vino, quod antequam fiat, racemi abſcinduntur à vite, ita Chriſtus agnus, vt ad cultros depulſus ab vbere matris, vna pedibus calcatur, & hincinde voluitur, tanquam res abiectiſſima, ſic Chriſtus ex horto ad Cayfam, à Cayfa ad Pilatum, à Pilato ad Herodẽ, & tandem ad Caluarie locũ poſt multa opprobria, in crucem manibus, & pedibus conclauatus inter Latrones, felle, & aceto potatus, illuſus, flagellatus, & tanquã hominũ ſceleratiſsimus, vita priuatus eſt; quã abiectionem prædixit Dauid his verbis; Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis, pſal. 21. & alibi: Cõculcauerunt me inimici mei, &c. Quinta, vt Eccleſiæ ſuæ vni-

tatem

tatem præſignaret; ſicuti enim ex multis granis vnus panis efficitur, ita ex multis hominibus vnũ Ecclesiæ corpus Chriſti miſticum, cuius caput Chriſtus eſt, efficitur. Et quia ipſe nobiſcum vult eſſe, iuxta illud Io. 6. Qui manet in me, & ego in illo, propterea ſub iſtis ſpeciebus voluit hoc inſtituere ſacramentum. Sexta huius poſtrema ſacramenti inſtitutionis cauſa fuit, vt nobis pignus amoris relinqueret, & propterea feſtum corporis Chriſti tribus de cauſis fuit inſtitutum: Primo, vt hoc beneficium cognoſceremus. Secundo, ad ſupplẽdos defectus, qui in toto anni curriculo committuntur circa hoc ſacramentum communicando, & celebrando. Tertio, vt hæretici in vniuerſalis Eccleſiæ lætitia contabeſcãt, & pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant. Quibus omnibus inſtitutionibus conſtat, quænam ſunt, quæ ad perfectum ſacrificium requirantur, & quæ ſint partes eſſentiales, & ſubſtãtiales ſacrificij.

Quibus reliquerit Chriſtus poteſtatem conficiendi hoc Altaris ſacrificium. Cap. V.

Authoritatem conficiendi, & conſecrandi hoc altaris ſacrificium, ſolis Apoſtolis, & Sacerdotibus reliquit Chriſtus Dominus; quod probatur ex conc. Niceno cap. 14. & Athanaſio cap. 6. de miraculis Crucifixi; ex Baſilio de ritu ſacrificij, & forma celebr. miſſ. Cum æquum eſſet, eos ſpeciali quodammodo conſecrandos eſſe, qui res etiam ſacratiſſimas pertractarent; quibus etiã præcepit, vt aſſiduè in ſui memoriam facerent hanc actionem, quam ipſe facit accipiendo in manibus panem, & vinum, eleuando oculos, agendo gratias, conſecrando, & offerendo Patri corpus, & ſanguinem in memoriam paſſionis, & mortis ſuæ; quo nobis ad remittenda peccata, reddatur propitius; quod certè quidem nũquam Apoſtolis Dominus præcepiſſet, vt Germanus Archiepiſcopus Conſtantinopol. lib. de inſtitut. Eccleſiæ, & miſtica contemplatione ſcriptor Græcus vetuſtiſſimus dicit; Niſi iiſdem etiam faciendi illud poteſtatem dediſſet; vbi notandum eſt, verbum illud facite, frequenter in ſcripturis,

Exod. 29. Leuit. 23. Num. 15. & 29. Iudic. 13. Ezech. 43. 46. 3. Reg. cap. 18. idem ſignificare, quod offerte, ſicut cum dixit Saluator Apud te facio Paſca, ideſt offero. Oſtendit quoque ipſe Chriſtus materiam huius ſacrificij eſſe panem triticeum, & vinum vitis; alia etiam, quæ ad ipſum pertinent, ſcilicet menſam, quæ loco altaris erat: calicem quoque, &c. ex quibus facilè colligitur deſcriptio huius ſacrificij, hoc eſt, quid ſit ſecundum propriam ſubſtantiam, quod Chriſti fideles Miſſam vocant, quæ eſt oblatio corporis & ſanguinis Domini ſacrificij ab eo ſemel exhibiti expreſſiua: vnde, qui Miſſam celebrat, non ſolum offert Chriſti corpus, & ſanguinem, ſed repreſentat Chriſti Domini noſtri oblationem; vnde repreſentãdo offert, & offert, & offerẽdo repreſentat ad modum tragediæ alicuius; in qua factũ aliquod regis refertur, & ille idẽ Rex, cuius factũ in tragedia illa refertur, verè introducitur: qđ vt melius intelligas, nota, cũ Chriſtus ſacrificauit, in illo ſacricio duo cõſiderantur: vnũ qđ oblatum eſt, & hoc eſt corpus, & ſanguis: Alterum eſt modus, qui fuit verè moriendo. In Miſſa aũt eſt illud idẽ, quod oblatũ eſt, ſcilicet corpus, & ſanguis, ſed modus eſt in repreſentatione, & ſignificatione: nam per hoc, qđ corpus ſeparatim conſecratur, mors Chriſti ſignificatur; ob id eſt veritas, & eſt repreſentatio; & propterea diximus expreſſiua ſacrificij à Chriſto Domino exhibiti.

Chriſtum in ſacramento Altaris cultu latriæ adorandum. Cap. VI.

CVm Chriſtus verus Deus ſit, & verus homo, ac Dominus omnium, vbiq; locorum proculdubio ab omnibus eſt cultu latriæ adorandus; & præſertim in ſacratiſſimo Altaris ſacramento, in conc. Triden. ſeſſ. 13. cap. 5. de quo D. Chryſoſtom. Hom. 24. in 1. ad Corint. dicit. Corpus hoc adorauerunt Magi; & maximo timore poſt longum iter adorauerunt barbaræ nationes, quas ſaltem imitari debemus. Non enim in præſepe, ſed in altari vides, non mulierem, quæ ipſum Dominum amplexetur, ſed præſentem ſacerdotem: D. Ambroſius lib. 3. de ſpiritu, & littera cap. 12. & de Miſſa dicit; Nos carnem Chriſti Domini myſterijs ado-

ramus. Quanta igitur cordis contritione, & quo lachrymarum fonte: quanta reuerentia, & tremore, quanta corporis caſtitate, & animi puritate, ò Domine Deus, diuinum hoc, & cœleſte myſterium eſt celebrandum? in quo carnem tuam verè ſumimus, in quo ſanguinem tuum verè bibimus: vbi ſupremis infima, & humanis diuina iunguntur: quam ſanctorum Angelorum chori præſentes adorant, vbi tu mirabili, & modo ineffabili, es ſacerdos, & ſacrificium: Quis hoc dignè poterit celebrare myſteriũ? niſi tu Deus omnipotens dignũ feceris offerentem? D. Auguſtinus loquens de humanitate Chriſti, ſuper verbis pſalmi 98. Adorate ſcabellum pedum eius: de carne ipſius interpretatur, & quia in ipſa inter homines, vt homo verus in terris ambulauit, ipſamq; carnem nobis ad manducandum in ſalutem dedit, quam nemo niſi prius adorauerit mãducat, & non ſolum non peccamus adorando, ſed peccamus non adorãdo: quare qui carnem Chriſti non adorat, verbo Dñi cõtradicit, qui per Dauidem dixit; Adorate ſcabellũ pedum meorũ: & propriè in Deũ peccaſſe dicitur, qui nõ adorat, nã veritas hæc, verbis Dñi cõprobatur, dicentis, Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. Pauli 1. Corinth. 10. Hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus. Item cõmuni omnium patrum ſententia: authoritate conciliorum Turronenſis, Vercellẽſis, Romanorum duorum contra Berengarium, Lateranenſis ſub Innocentio Quarto, Conſtantienſis, Florentini; Et demum Tridentini ſeſſ. 13. can. 6. Item Simboli Apoſtolorũ, vbi habetur, Credo ſanctam Eccleſiam catholicam, quæ tenet, & docet miniſterium huiuſmodi ſuper omnia ad orandum latria.

Differentia, & conuenientia ſacrificij Crucis, & Altaris. Cap. VII.

IN duobus, vel etiam in pluribus differunt ſacrificiũ Crucis, & Altaris: Primo, Dominus IESVS ſe ipſum in Cruce obtulit, quo nobis gratiam, iuſtitiam, & ſanctitatem pararet, & ſalutem æternã per ſuam mortem, & paſſionem, qua vicit Dæmonem: Mortemq; moriendo deſtruxit, ope-

operaretur. At in Cœna inſtituit ſacrificium, & oblationem Altaris, non vt in ipſis noua eſſet ſatisfactio, & redemptio, quod impiũ eſſet credere; ſed vt hoc medio gratiæ illius ſatisfactionis, & redemptionis, quam nobis obtinuit, & promeruit, per ſacrificium Crucis, participes eſſe, & vt nobis carnem ſuam glorificatam, cum augumento illorum bonorum, quæ per eam elargitur in cibum perpetuum concederet.

Differunt ſecundo, quia Dominus in Cruce ſeipſum viſibiliter patiendo, & ſanguinem fundendo, obtulit. At in ſacrificio Altaris nihil prorſus patiendo, ſeipſum æterno Patri, cum ſuæ paſſionis memoria, inuiſibiliter offert: & hæc eſt vera oblatio, & ſacrificium; quamuis in hoſtia, quæ offertur, nulla nec mors, nec ſanguinis effuſio conſequatur, cum vltra non moriatur Chriſtus. Nam & in veteri lege multa ſine ſanguinis effuſione fiebant ſacrificia: vt ea, quæ cum farina offerebantur, quæ Euchariſtiam, noſtrumq; altaris ſacrificium præſignabant, & in altero Hircorum, & in altero Paſſerum, qui poſt oblationẽ viui dimittebantur. In reliquis verò, quæ ad noſtrum altaris oblationem pertinent, eandem, licet modo diuerſo, cum Domino facimus oblationem.

Tertio, ſacramento Altaris conſecratione, & mãducatione perficitur, omnis verò ſacrificij vis in eo eſt, vt offeratur.

Quarto, ſacramentũ ijs, qui diuinam hoſtiam ſumunt, meriti cauſam affert, & omnes vtilitates illius: ſacrificium verò, non merendi ſolum, ſed ſatisfaciendi quoq; continet efficientiam; illud ergo cruentum, hoc incruentum: illud Crucis ſacrificium tm̃; hoc Altaris, & ſacrificium, & ſacramentũ.

De hac voce Miſſa. Cap. VIII.

Miſſa, vt alia multa omittamus, quæ de hoc dici ſolent, Hæbraica vox eſt; Hæbrei enim vocant oblationem, Miza, ſeu Miſach; vnde in pſalmo, pſal. 140. vbi dicitur, Eleuatio manuũ mearum, ſacrificium veſpertinum, Hæbraicè habetur, Miza: & D. Hieronymus vertit, oblatio manuum mearum: hoc igitur ſacrificium dicitur Miſſa, ideſt oblatio quædam can. Apoſtol. 28.

teram Patris, cum maieſtate ſedet; & inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos. Contra impium Lutherum, qui panem ſimul cum Chriſti corpore eſſe dicit, cum facta ſit trāſubſtantiatio panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti; & accidentia, quæ prius inhærebant ſubſtantiæ panis, nunc per ſe ſubſiſtunt præter naturam ſuam, quod nulli creaturarum vnquam conceſſum eſt. Nulla enim creatura, quamuis potentiſſima, poteſt ſubſtantiam deſtruere, aut ad nihilum redigere; & qđ accidentia panis, & vini per ſe ſubſiſtant, Philoſophi capere non poterunt; immò impoſſibile factu dicunt; quibus dicendum, ſi Heliæ Thesbytis verba ignem de cœlo traxerunt ad comburendos quinquaginta viros: cur eandem verbis Chriſti negabimus ineſſe virtutem, vt mutet ſubſtantias? cum ſolo verbo fecerit vniuerſa? Dixit enim, & facta ſunt: mandauit, & creata ſunt; & ne fortè dubites, quomodò ſub illis ſpeciebus ſit Chriſtus, ſcias Chriſti corpus habuiſſe triplex eſſe, materiale, ſenſibile, & paſſibile, quod de ſacratiſſimo Virginis vtero ſumpſit, quodque videri, palpari, comedi, pati, & dentibus laniari poſſet; & hoc modo interpretati ſunt Iudæi verba Saluatoris dicentis; Niſi manducaueritis carnē filij hominis, &c. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, &c.

Secundum, immediatè poſt reſurrectionem fuit eſſe glorioſum, ſpirituale, & impaſſibile, quomodo etiam latet in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis, & vini, ideò non eſt mirū ſi in hoſtia conſecrata non videtur, non tangitur, non frangitur in fractione hoſtiæ, non percipitur eius odor, nec ſapor, licet ibi verè, & realiter cum anima, corpore, & diuinitate exiſtat. Tertium eſſe eſt ſingulariſſimum in cœleſti gloria, vbi non ſub ſpeciebus, ſed manifeſtiſſimè à Beatis videtur. Nota tamen corpus Chriſti corporale, & ſpirituale idem eſſe in re, ſed differre penes accidentia, & corporis conditiones: nam dicitur corporale, prout ſubijcitur corporeis qualitatibus, & accidentibus: dicitur ſpirituale, prout à corporeis conditionibus poteſt eſſe abſtractum. Ita præterea in illo eſt ſacramēto, vt non deſinat eſſe in cœlo, & alijs in locis, in quibus tot particulæ conſecrantur. Et quamuis toties, & à tam multis

quotidie ſumatur fidelibus, nunquam tamen propterea minuitur, de quo Ioannis cap. 6. habetur ſub miraculo quinque panum, quibus tot millia hominum ſatiauit. Et hoc eſt mirandum, quod ſacerdos, quamuis malus, per verba conſecrationis efficiat, quoties voluerit ad Altare, vt ſub illis ſpeciebus ſit corpus Chriſti, & patiatur ipſe Chriſtus ab illo tractari, & comedi, vt fit quotidie. Præterea cum in ſacramento Altaris, vt in alijs, ſint duo; ſignum videlicet, & res ſignata, ſit aliquando, vt ſacramentum nomine ſigni, & figuræ vocetur, cum loquimur de forma illa exteriori, quam corporeis oculis intuemur; ſed non propterea ſequitur, quin à ſanctis Doctoribus intelligatur, ſub tali ſigno tegi illud, quod ipſe Dominus ore proprio pronunciauit, ſuum videlicet venerabile corpus, quod in Euangelio à ſancto Simeone ſene vocatũ eſt ſignum, cui contradicetur; quia etiam corpus Chriſti figura eſt, & ſignum vnitatis Eccleſiæ: propterea ſic à D. Auguſtino contra Donatiſtas, alioſq; hæreticos ſumitur, qui non habẽt vnitatem ſignatam in corpore Chriſti, cum ſint membra Diaboli ab Eccleſia ſeparata. Dicitur etiam panis hoc ſacramẽtum, quoniam Hæbrei, & ſcriptura pro pane intelligunt, carnem, & quemcunque cibum; ſed nunquam tamen declaratur quid ſit iſte panis poſt conſecrationem, quin etiam apertè caro Chriſti dicatur. Illud verò, quod habetur in Symbolo, Chriſtum aſcendiſſe in cœlum, ſedere ad dexteram Patris, vẽturum ad iudicandum, &c. ita debet intelligi, vt huic veritati in nullo ſit contrarium, quod Chriſtus ſit in Euchariſtia; nam Angeli declarauerũt qualis futurus eſſet ſecũdus Chriſti aduentus, eodem quippe modo, quo illis videntibus, aſcendit in cœlũ, id quod nihil derogat velatæ eius præſentiæ ſub ſacris illis ſignis, licet modus apparendi ſit diuerſus: quod dicatur ſedere ad dexteram Patris, hoc non propterea impedit, quin etiam ſit in ſacramento, nam in hoc facto corpus Chriſti, quod diuinitati vnitum eſt, vtitur eadem proprietate, quę hoc habet, vt tota ſit in cœlis, & tota vbiq; abſque vlla mutatione, & motu; quocirca corpus Chriſti non ordine, & modo naturali corporum, eſt in hoc ſacramento, dum eſt ad dexteram Patris, quod Dei glororiam, & maieſtatem ſignificat;

 Sed

Sed ibi eſt per diuinam proprietatem modo indicibili; quem nec naturalibus argumentis, nec rationibus poſſumus cognoſcere, ſicuti nec etiam ſcire poſſumus, nec ſenſu, nec intellectu noſtro percipere, niſi fidem credere, quo pacto Chriſtus penetrarit parietes, ambulauerit ſuper aquas, transfigurarit ſe coram diſcipulis, in cœlum propria virtute aſcenderit, cum præter naturam, & corporum grauitatem, ſoliditatemq; parietum ſit impoſſibile, duo corpora eodem tempore locum vnius tantummodo occupare; quod tamen diuinitas, quæ naturæ noſtræ vires longè ſuperat, illi concedebat: & propterea ipſe corpus ſpirituale habere dicitur, ſicut & nos poſt reſurrectionem habituri ſumus, 1. Corinth. 15. & per donum glorificationis à nullo impedietur, quin liberè animam diuinis radijs illuſtratam ſequatur. Quod verò dixerit Dominus, Hoc facite in meam commemorationem; non propterea intelligas excludi præſentiam corporis Chriſti, ſed memoriam, quam facimus, non fieri de præſenti corpore, ſed de morte, quæ iam in prædicto corpore fuit, non enim dixit Chriſtus, Facite memoriam huius corporis, ſed hoc facite, ideſt conſecrate hoc corpus in memoriam mortis meæ, vt maiori affectu illum Deo Patri offeramus, qui vt nos redimeret, mortem paſſus eſt; & eundem ſumentes, eam vitam ſumamus, quam panis communis dare non poteſt, ſed caro Chriſti, quæ non ſolum affectu, & amore, ſed etiam (vt ait Cyrillus) naturaliter nobis ipſis vnitur, lib. 10. in Io. 13. & lib. 3. in Io. capit. 37. Quæ omnia cum ſint admiranda, non tamen neganda, immò de fide catholica tenenda, omnem intellectum captiuant in obſequium fidei, quæ præter rerum ordinem fideles confirmat, & dubios in fide tanquam infideles arguit, & repellit: & ſi non poteris capere, quomodo ibi ſit Chriſtus, non propterea dubites, neque neges, dicendo, quia non poſſum capere, ergo eſt impoſſibile, hoc nanque idem facit hæreticus, & infidelis, qui iure, ac meritò reprehenduntur: nam ſi audires ruſticum, & imperitum negare aliquam propoſitionem, omnibus Theologis acceptiſſimam, quia ipſe non capit, nonne illum rideres? vnde Cyrillus, tractu. 4. ſuper Io. cap. 13. & Baſilius contra Eunomium hoc eleganter reprehendunt, di-

centes; Si Deum negas, quia non capis, quomodo ergo capere poteris oculum ita paruũ cœli, & orbis vaſtitatem videre? ſi ergo negas, quia non capis malè negas. Chriſtiane igitur, piè, & catholicè admireris, vt inde fidei meritũ conſequaris, & Dei diuinitatem, quam non vides, confiteare, ne veluti Arrianus, Deum tibi facias, quem poſſis capere, & videre.

Inſtituit oblationem Dominus, & ſeipſum in ipſa nocte cœnæ patri obtulit, quod & in gratiarum actione, ac in oculorum eleuatione oſtendit; id quod per apoſtolicas traditiones habemus, Dionyſius Pauli diſcipulus, in fine lib. Hierarchiæ eccleſiaſticæ, & cum dixit, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Quæ oblatio nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt, ſicuti ex concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. habetur; & vt inquit Chryſoſtomus tom. 4. hom. 2. & in 2. ad Timoth. & in lib. 3. cap. 4. de dignitate ſacerd. & hom. 78. in Ioan. & hom. 17. in epiſt. ad Hæbreos 10. à quocunque ſecerdote cuiuſcunque meriti offeratur, ſemper eſt eadem cum ea, quam Chriſtus dedit Apoſtolis, & quam nunc conſecrant ſacerdotes, & hoc quia eam non ſacrificant homines, ſed Chriſtus, qui antea ſacrificauerat: vnde D. Auguſt. tom. 5. lib. 18. cap. 22. de ciuitate Dei; & de ſpiritu, & litera cap. 11. & lib. 20. cap. 18. contra Fauſtum dicit, Chriſtiani eiuſdem ſacrificij memoriã faciunt, cum ſacramenta oblatione, & communione corporis, & ſanguinis Domini.

Inſtituit denique manducationem, quando corpus, & ſanguinem ſuum precioſiſſimum diſcipulis præbuit manducandum, & bibendum, dicens; Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum: Bibite, hic eſt ſanguis meus, &c. At ne fortè quis dubitet, quomodo corpus Chriſti manducetur. Notandũ eſt, corpus quodcunque comedi poſſe à nobis duobus modis. ſ. corporaliter, & ſpiritualiter: corporaliter quotieſcunque ſub corporis ſumitur accidentibus, videlicet cum in educatione rei alicuius percipitur eius pondus color, odor, ſapor, &c. & huiuſmodi res conuertitur in ſubſtantiam comedentis, ſicuti ſi comederes carnem vituli, agni, panem, &c. Spiritualiter verò, non dico ſpiritualiter, ideſt per fidem tantum, ſed ſpiritualiter, hoc eſt, ſine corporeis, & materialibus

 con-

conditionibus, pro cuius rei declaratione ſume exemplum in vino ſæpius lambicato, quod quidem vinum ex huiuſmodi lambicatione amittit colorem, ſaporem, & odorem vini; ibi tamen remanet eſſentia, & ſubſtantia vini, virtusq; ipſius, quod cum bibitur, non bibitur ſub accidentibus illis corporalibus, ideò dici poteſt ſpiritualiter bibi, ſic ſuo modo, & altiori de corpore Chriſti dicendum videtur, quod non comeditur ſub ſpeciebus corporis, vt putabant Iudæi, quomodo carnes auium, quæ dentibus conteruntur. Manducatur itaq; corpus Chriſti verè, & realiter, ideſt ſub propria ſpecie carnis, & lineamẽtis corporalibus humano corpori conuenientibus, ſed ſpiritualiter, ideſt ſub ſpecie aliena, ſub qua latet, & ſic non ſubijcitur alicui corporalium ſenſuũ, ſub qua ſpecie habet quodammodo modum exiſtendi ſpiritus, quia ibi eſt modo inuiſibili; & hæc ſiquidem manducatio ſpiritualis, verè eſt manducatio ſacramẽtalis, quæ opponitur manducationi corporali; & hoc modo intelligas verba Chriſti, dicentis; Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: quam manducationem Iudæi corporaliter faciendam arbitrati ſunt: ſed Chriſtus diſcipulos ſuos edocens dixit: Spiritus eſt, qui viuificat, caro non prodeſt quicquam, Ioan. 6. Spiritus eſt, qui viuificat, ideſt caro mea ſpiritualiter ſumpta viuificat; caro nõ prodeſt quicquam, ideſt eo modo, quo Iudæi intelligunt, quod ſcilicet carnaliter manducetur: Addit præterea, verba quæ locutus ſum vobis, ſcilicet de carne manducãda, ſpiritus, & vita ſunt, ideſt ſpiritualem habent intellectum, ſecundum quem caro mea, vitam præſtat ſpiritualiter ſumpta ſub ſacramento. Ex quibus itaque inſtitutionibus conſtat, quænam ſunt, quæ ad perfectum ſacrificium requirantur, & quæ ſint partes, quæ ſunt de ſubſtantia ſacrificij.

Si autem quæſieris, cur Dominus inſtituerit hoc ſacramentum ſub ſpeciebus panis, & vini, potiuſquã ſub alijs ſpeciebus. Reſpondetur, id varijs feciſſe rationibus: Prima, quia panis præ alijs cibis, maximum confert robur ſumentibus, iuxta illud pſal. 103. Et panis cor hominis confirmat: homines enim, qui panem non comedunt, imbecilles ſemper ſunt: qui

verò vel ſolo pane reficiuntur, vt homines inferiores aſſiduis licèt incumbant laboribus, maximè tamen pollent viribus: vinum etiam maximè cõuenit, quia hominem multum exhilarat, iuxta illud, & vinum lætificat cor hominis; hæc enim duo robur, & lætitia nobis præcipuè conferuntur hoc ſacramento. Secunda, quia panis nobis nunquam licet poſt diuturnam conſuetudinem, nauſeam parit, ſicut alia ferè omnia ciborum genera, quamuis lautiſſima; hinc ſacri Doctores, illud, Panem noſtrum quotidianum, interpretantur de hoc ſacramento; ex quo fit, vt illum malum atnum dicamus, non annum in quo ceraſa mala, vuæ, & alia id genus fructuum deſunt, ſed in quo penuria eſt tritici: quare ſanctus Ilarius, malè inquit cum illo agitur, qui in peccato mortali eſt, cũ non poſſit hoc cibo refici, & recreari. Tertia, quia Chriſtus Dominus pro omnibus venerat, & propterea ſub cibo omnibus grato, & communi voluit ſui corporis inſtituere ſacramentum. Quarta, vt paſſionis Chriſti immanitas, & abiectio noſceretur; multa enim patitur panis, multa vinum priuſquam ad panis, & vini perfectionem reducantur: frumentum nanque, ex quo panis conficitur, in terram proijcitur, moritur, trituratur, mola teritur, commaſſatur, & tandem igne in clibano ſolidatur; quam immanitatem indicauit Dominus per Hieremiam, cum dixit, O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus: & iure hæc verba dixit, ipſe enim dolorem ſubijt, qui omnibus peccatis, & hominum maleficijs debebatur. Abiectio verò oſtenditur in vino, quod antequam fiat, racemi abſcinduntur à vite, ita Chriſtus agnus, vt ad cultros depulſus ab vbere matris, vna pedibus calcatur, & hincinde voluitur, tanquam res abiectiſſima, ſic Chriſtus ex horto ad Cayfam, à Cayfa ad Pilatum, à Pilato ad Herodẽ, & tandem ad Caluariæ locũ poſt multa opprobria, in crucem manibus, & pedibus conclauatus inter Latrones, felle, & aceto potatus, illuſus, flagellatus, & tanquã hominũ ſceleratiſsimus, vita priuatus eſt; quã abiectionem prædixit Dauid his verbis; Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis, pſal. 21. & alibi: Cõculcauerunt me inimici mei, &c. Quinta, vt Eccleſiæ ſuæ vni-

tatem præſignaret; ſicuti enim ex multis granis vnus panis efficitur, ita ex multis hominibus vnū Eccleſiæ corpus Chriſti miſticum, cuius caput Chriſtus eſt, efficitur. Et quia ipſe nobiſcum vult eſſe, iuxta illud Io. 6. Qui manet in me, & ego in illo, propterea ſub iſtis ſpeciebus voluit hoc inſtituere ſacramentum. Sexta huius poſtrema ſacramenti inſtitutionis cauſa fuit, vt nobis pignus amoris relinqueret, & propterea feſtum corporis Chriſti tribus de cauſis fuit inſtitutum: Primo, vt hoc beneficium cognoſceremus. Secundo, ad ſupplēdos defectus, qui in toto anni curriculo committuntur circa hoc ſacramentum communicando, & celebrando. Tertio, vt hæretici in vniuerſalis Eccleſiæ lætitia contabeſcāt, & pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant. Quibus omnibus inſtitutionibus conſtat, quænam ſunt, quæ ad perfectum ſacrificium requirantur, & quæ ſint partes eſſentiales, & ſubſtātiales ſacrificij.

Quibus reliquerit Chriſtus poteſtatem conficiendi hoc Altaris ſacrificium. Cap. V.

AVthoritatem conficiendi, & conſecrandi hoc altaris ſacrificium, ſolis Apoſtolis, & Sacerdotibus reliquit Chriſtus Dominus; quod probatur ex conc. Niceno cap. 14. & Athanaſio cap. 6. de miraculis Crucifixi; ex Baſilio de ritu ſacrificij, & forma celebr. miſſ. Cum æquum eſſet, eos ſpeciali quodammodo conſecrandos eſſe, qui res etiam ſacratiſſimas pertractarent; quibus etiā præcepit, vt aſſiduè in ſui memoriam facerent hanc actionem, quam ipſe facit accipiendo in manibus panem, & vinum, eleuando oculos, agendo gratias, conſecrando, & offerendo Patri corpus, & ſanguinem in memoriam paſſionis, & mortis ſuæ; quo nobis ad remittenda peccata, reddatur propitius; quod certè quidem nūquam Apoſtolis Dominus præcepiſſet, vt Germanus Archiepiſcopus Conſtantinopol. lib. de inſtitut. Eccleſiæ, & miſtica contemplatione ſcriptor Græcus vetuſtiſſimus dicit; Niſi iiſdem etiam faciendi illud poteſtatem dediſſet; vbi notandum eſt, verbum illud facite, frequenter in ſcripturis; Exod.

Exod. 29. Leuit. 23. Num. 15. & 29. Iudic. 13. Ezech. 43.46. 3. Reg. cap. 18. idem ſignificare, quod offerte, ſicut cum dixit Saluator Apud te facio Paſca, ideſt offero. Oſtendit quoque ipſe Chriſtus materiam huius ſacrificij eſſe panem triticeum, & vinum vitis; alia etiam, quæ ad ipſum pertinent, ſcilicet menſam, quæ loco altaris erat: calicem quoque, &c. ex quibus facilè colligitur deſcriptio huius ſacrificij, hoc eſt, quid ſit ſecundum propriam ſubſtantiam, quod Chriſti fideles Miſſam vocant, quæ eſt oblatio corporis & ſanguinis Domini ſacrificij ab eo ſemel exhibiti expreſſiua: vnde, qui Miſſam celebrat, non ſolum offert Chriſti corpus, & ſanguinem, ſed repreſentat Chriſti Domini noſtri oblationem; vnde repreſentãdo offert, & offert, & offerẽdo repreſentat ad modum tragediæ alicuius; in qua factũ aliquod regis refertur, & ille idẽ Rex, cuius factũ in tragedia illa refertur, verè introducitur: qđ vt melius intelligas, nota, cũ Chriſtus ſacrificauit, in illo ſacricio duo cõſiderantur: vnũ qđ oblatum eſt, & hoc eſt corpus, & ſanguis: Alterum eſt modus, qui fuit verè moriendo. In Miſſa aũt eſt illud idẽ, quod oblatũ eſt, ſcilicet corpus, & ſanguis, ſed modus eſt in repreſentatione, & ſignificatione: nam per hoc, qđ corpus ſeparatim conſecratur, mors Chriſti ſignificatur; ob id eſt veritas, & eſt repreſentatio; & propterea diximus expreſſiua ſacrificij à Chriſto Domino exhibiti.

Chriſtum in ſacramento Altaris cultu latriæ adorandum. Cap. VI.

CVm Chriſtus verus Deus ſit, & verus homo, ac Dominus omnium, vbiq; locorum proculdubio ab omnibus eſt cultu latriæ adorandus; & præſertim in ſacratiſſimo Altaris ſacramento, in conc. Triden. ſeſſ. 13. cap. 5. de quo D. Chryſoſtom. Hom. 24. in 1. ad Corint. dicit. Corpus hoc adorauerunt Magi; & maximo timore poſt longum iter adorauerunt barbaræ nationes, quas ſaltem imitari debemus. Non enim in præſepe, ſed in altari vides, non mulierem, quæ ipſum Dominum amplexetur, ſed præſentem ſacerdotem: D. Ambroſius lib. 3. de ſpiritu, & littera cap. 12. & de Miſſa dicit; Nos carnem Chriſti Domini myſterijs ado-

ramus. Quanta igitur cordis contritione, & quo lachrymarum fonte: quanta reuerentia, & tremore, quanta corporis caſtitate, & animi puritate, ò Domine Deus, diuinum hoc, & cœleſte myſterium eſt celebrandum? in quo carnem tuam verè ſumimus, in quo ſanguinem tuum verè bibimus: vbi ſupremis infima, & humanis diuina iunguntur: quam ſanctorum Angelorum chori præſentes adorant, vbi tu mirabili, & modo ineffabili, es ſacerdos, & ſacrificium: Quis hoc dignè poterit celebrare myſteriũ? niſi tu Deus omnipotens dignũ feceris offerentem? D. Auguſtinus loquens de humanitate Chriſti, ſuper verbis pſalmi 98. Adorate ſcabellum pedum eius: de carne ipſius interpretatur, & quia in ipſa inter homines, vt homo verus in terris ambulauit, ipſamq; carnem nobis ad manducandum in ſalutem dedit, quam nemo niſi prius adorauerit mãducat, & non ſolum non peccamus adorando, ſed peccamus non adorãdo: quare qui carnem Chriſti non adorat, verbo Dñi cõtradicit, qui per Dauidem dixit; Adorate ſcabellũ pedum meorũ: & propriè in Deũ peccaſſe dicitur, qui nõ adorat, nã veritas hæc, verbis Dñi cõprobatur, dicentis, Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. Pauli 1. Corinth. 10. Hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus. Item cõmuni omnium patrum ſententia: authoritate conciliorum Turronenſis, Vercellẽſis, Romanorum duorum contra Berengarium, Lateranenſis ſub Innocentio Quarto, Conſtantienſis, Florentini; Et demum Tridentini ſeſſ. 13. can. 6. Item Simboli Apoſtolorũ, vbi habetur, Credo ſanctam Eccleſiam catholicam, quæ tenet, & docet miniſterium huiuſmodi ſuper omnia ad orandum latria.

Differentia, & conuenientia ſacrificij Crucis, & Altaris. Cap. VII.

IN duobus, vel etiam in pluribus differunt ſacrificiũ Crucis, & Altaris: Primo, Dominus IESVS ſe ipſum in Cruce obtulit, quo nobis gratiam, iuſtitiam, & ſanctitatem pararet, & ſalutem æternã per ſuam mortem, & paſſionem, qua vicit Dæmonem: Mortemq; moriendo deſtruxit, ope-

operaretur. At in Cœna inſtituit ſacrificium, & oblationem Altaris, non vt in ipſis noua eſſet ſatisfactio, & redemptio, quod impiũ eſſet credere; ſed vt hoc medio gratiæ illius ſatisfactionis, & redemptionis, quam nobis obtinuit, & promeruit, per ſacrificium Crucis, participes eſſe, & vt nobis carnem ſuam glorificatam, cum augumento illorum bonorum, quæ per eam elargitur in cibum perpetuum concederet.

Differunt ſecundo, quia Dominus in Cruce ſeipſum viſibiliter patiendo, & ſanguinem fundendo, obtulit. At in ſacrificio Altaris nihil prorſus patiendo, ſeipſum æterno Patri, cum ſuæ paſſionis memoria, inuiſibiliter offert: & hæc eſt vera oblatio, & ſacrificium; quamuis in hoſtia, quæ offertur, nulla nec mors, nec ſanguinis effuſio conſequatur, cum vltra non moriatur Chriſtus. Nam & in veteri lege multa ſine ſanguinis effuſione fiebant ſacrificia: vt ea, quæ cum farina offerebantur, quæ Euchariſtiam, noſtrumq; altaris ſacrificium præſignabant, & in altero Hircorum, & in altero Paſſerum, qui poſt oblationẽ viui dimittebantur. In reliquis verò, quæ ad noſtrum altaris oblationem pertinent, eandem, licet mododiuerſo, cum Domino facimus oblationem.

Tertio, ſacramento Altaris conſecratione, & mãducatione perficitur, omnis verò ſacrificij vis in eo eſt, vt offeratur.

Quarto, ſacramentũ ijs, qui diuinam hoſtiam ſumunt, meriti cauſam affert, & omnes vtilitates illius: ſacrificium verò, non merendi ſolum, ſed ſatisfaciendi quoq; continet efficientiam; illud ergo cruentum, hoc incruentum: illud Crucis ſacrificium tm̃; hoc Altaris, & ſacrificium, & ſacramentũ.

De hac voce Miſſa. Cap. VIII.

Miſſa, vt alia multa omittamus, quæ de hoc dici ſolent, Hæbraica vox eſt; Hæbrei enim vocant oblationem, Miza, ſeu Miſach; vnde in pſalmo, pſal. 140. vbi dicitur, Eleuatio manuũ mearum, ſacrificium veſpertinum, Hæbraicè habetur, Miza: & D. Hieronymus vertit, oblatio manuum mearum: hoc igitur ſacrificium dicitur Miſſa, ideſt oblatio quædam can. Apoſtol. 28.

concil. Gangren. in epiſt.concil. & can.4. Ignatius ad Trall. Ancirant. concil. can. 1. Græci verò alia voce expreſſerunt, nempè liturgia, quod nomen propriè ſignificat officium, ſeu munus ſacerdotis; cuius proprium eſt ſacrificare, & offerre Deo pro peccatis, vt D. Paulus ad Hæbreos. Vocarunt etiam ὁσίαν, oſiam ideſt ſacram: vocauerunt ἱερουργίαν: hoc eſt ſacram operationem: à concilio Neoceſarienſe can. 9. & concil. Gangrenſe ſin. can.7. & à conc. Niceno cap.4. eadem ſignificatione, vbi loquuntur de oblatione corporis Chriſti: & ab Euſebio lib.6.cap.43.& ab Apoſtolis can.3. & 7. & Necephor. lib. 6. c. 13. in canonibus vocatur προσφορὰ ἁγία: hoc eſt ſacra oblatio, vt à Iuſtino Martyre, explicante locum Malachiæ Prophetæ προσφερομένη θυσία: hoc eſt ſacrificium, quod à nobis offertur: Cum quo D. Dionyſius diſcipulus S. Pauli Apoſtoli: & D. Ignatius diſcipulus S. Ioannis Euangeliſtæ conueniunt; & Nicen.cap.4. ἐκ τῶν διατυπώσεων Ἐκκλησιαστικῶν. A cõcilio Epheſino in epiſtola contra Neſtorium, & Gregor. de funere Baſilij, & à Gregorio Naziãzeno vocatur ἀναίματος θυσία, hoc eſt ſacrificium incruentum, vt diſtinguatur à ſacrificio cruento crucis, in qua viſibiliter, & cum paſſione facta eſt oblatio cruenta; quoniam cum vtrunque ſit eadem oblatio, quoad modum tamen (vt dictum eſt) ſunt diuerſa. D. Chryſoſtomus, & D. Baſilius duo lumina Eccleſiæ Oriẽtalis, & Cyrillus vocarunt φρικωδεστάτην θυσίαν hoc eſt ſacrificiũ terribiliſſimum; Sineſius vtitur hac voce τελετὴν ἀπόρρητον, hoc eſt ſacrificium arcanum. Alijs quoq; nominibus dictum eſt, ſacrum miſtagogia, myſterium fidei, à D.Paulo 2.Tim.3. à Dionyſio eius diſcipulo, τελετὴν τελετῶν τελετῶν, hoc eſt abſolutiſſimum ſacrificium, & ſacramentum, quo Deo ipſi vnimur, & perfecti euadimus; cum in eo ſit ipſe Chriſtus fons, & origo omnis benedictionis, & gratiæ: cui honor, & poteſtas in ſecula ſeculorum.

De

De partibus Miſſæ Cap IX

QVoniam longum eſſet, & exoptantibus breuitatem valdè moleſtum, ea omnia recenſere, ac repetere, quæ à grauiſſimis iā ſæpius authoribus dicta ſunt, multa hic conſulto omittimus; illa tantum ſummatim, & in genere proponentes, quæ ad noſtri ſacerdotis inſtructionem magis ſpectare videntur. Quapropter ſciendum eſt, hoc Miſſæ ſacrificium, de quo hic loquimur, diuidi in tres partes præcipuas: quarū prima eſt, quæ oblationem præcedit, vſque ad Offertorium excluſiuè.

Secunda eſt ipſamet oblatio, ab offertorio ad poſt communionem.

Tertia, quæ ſequitur oblationem, quæ eſt à poſt communione vſque ad finem.

Prima pars complectitur Introitum, qui extenditur vſque ad orationes, & populi inſtructionem, quæ fit per Epiſtolam, & Euangeliū, in qua parte ſi queris myſteria, Introitus oſtendit ingreſſum Chriſti in hunc mundum; & ex confeſſione, quam præmittit ſacerdos, quæ non eſt pars Miſſæ, ſed præparatio ad Miſſam, oſtenditur Chriſtum in hunc mundum veniſſe, onuſtum peccatis, quæ ſacerdos nomine Chriſti confitetur, oſtendens, ex hac confeſſione, ea omnia ſolum Chriſtum cognouiſſe, & deleuiſſe.

Oſculatur Altare, in quo oſculo deſignatur Vnio verbi cū carne, & Chriſti cum Eccleſia, iuxta illud Cantic. 1. Oſculetur me oſculo oris ſui: In ipſo Introitu exprimuntur deſideria, vaticinia, laudes Prophetarum, & Patriarcharum clamores; & propterea Introitus ſemper ſumitur ex iſtorum ſcriptis: Repetitur Introitus ad deſignandum vehemens deſiderium ſanctorum Patrum de aduentu Meſſiæ.

Poſt Introitum ſequitur verſus, quo notantur ipſorum vaticinia.

Poſt verſum Gloria Patri, &c. exprimens laudes Sanctorū.

Poſt Gloria Patri, dicitur Kyrie eleyſon, notans clamores,

& voces diuinam miſericordiam implorantes, quæ ſæpius repetuntur.

Poſtea dicitur Gloria in excelſis, quo oſtenditur Chriſti Domini aduentus, quem Angelis Paſtoribus nunciarunt, & canticum huiuſmodi, ipſis audientibus, decantarunt.

Deinde dicitur Dominus vobiſcum, ex quo notatur ſacerdotis ad populum ſalutatio. Orat enim, vt Dominus ſit cum eo; quod genus ſalutationis, ex antiqua ſacræ ſcripturæ authoritate probatur aſſumptum, ibi ſæpius inuenitur, Iudith. 6. Ruth. 2. ſecundo Paralip. 15. quem Eccleſia reſalutat dicens, Et cum ſpiritu tuo; & poſtulans, vt ſicut Dominum optauit eſſe cum illis, ita & cum eo eſſe dignetur: ita vt illi pro populo dignè poſſit orare. Salutatio verò epiſcopalis eſt (Pax vobis) ex ſacris item voluminibus deprompta eſt, Dan. 20. Matth. 10. qua ſalutatione, ſæpè Chriſtus vſus eſt, & ſalutauit Apoſtolos, & illis eandem cômendauit, dicens: In quãcunque domum intraueritis primum dicite, pax huic domui: qua ſalutatione, Epiſcopi tantum Apoſtolorum ſucceſſores vtuntur.

Poſt Dominus vobiſcum, dicitur Oratio, ſiue collecta, qa populi animus debet colligi ad diuina contemplanda myſteria, & beneficia. Quæ oratio ideò præmittitur, quia quæ nobis agenda ſunt, Dei auxilio, quo maximè indigemus, ſunt peragenda: Et propterea Deo ipſi ſemper eſt dirigenda: & quamuis nobis liceat Beatiſſimam Virginem, vel Sanctorum aliquem interceſſores ponere (mediatores enim interceſſionis ſunt.) Et quamuis Miſſa huiuſmodi ab eo Sancto denominetur, qa in Introitu, & in ipſa inſtructione populi aliqua illius vitæ, & ſimilitudo eſt; non tamẽ propterea ſacrificium offertur alicui, niſi Deo, D. Auguſt. 9. Fauſtum lib. 20. cap. 21. tom. 6. & lib. 8. de ciuit. Dei cap. 27. tom. 5. & lib. 22. cap. 10. cui tantummodo conuenit ſacrificium.

Poſt Orationem ſequitur inſtructio populi; qui quoniam prius à Prophetis edoctus eſt: deinde ab Apoſtolis, propterea præponitur Epiſtola, quæ vel ex Prophetis ſumitur, vel ex Apoſtolorum ſcriptis.

Poſt Epiſtolam ſequitur Graduale, quod ad gradus altaris dici

dici conſueuerat, ex quo ſignificantur operationes noſtræ; quæ prædicationi, & inſtructioni reſpondere debent: Debet namq; populus exequi, quæ ex prædicatione percepit.

Poſt Graduale ſequitur Euangeliũ, quod ob maiorem doctrinæ præſtantiam, ad cornu altaris dextrum legitur, & relinquitur cornu ſiniſtrum, ad ſignificandum doctrinam veritatis, & germanam ſcripturarum intelligentiã auferendam eſſe Iudæis, & dandam genti facienti fructus eius, quæ gens ad ſiniſtram ſacerdotis Euangelium legentis eſt. Iudæi enim pars dextera eſſe debuerant, cui præcipuè lex, & doctrina erat tradenda, ſed culpa ipſorum factum eſt, vt in ſiniſtra remaneant: eisq; ſit ablatum regnum, & ſacerdotium.

Poſt Euangelium ſequitur ſymbolum conc. Tolet. 3. cap. 2. ſeu Credo, vt per ſanctum Euangelium corde credatur ad iuſtitiam, & per ſymbolum ore confeſſio fiat ad ſalutem: & hæc quo ad priorem partem Miſſæ: quæ dicitur Miſſa cathecumenorum: qua cathecumeni in primitiua Eccleſia hucuſq; permittebantur adeſſe Miſſæ: ſtatim enim Diaconus alta voce dicebat, Ite Miſſa eſt: quaſi diceret, recedite, quia incipit oblatio, & ſacrificium, cui vobis non licet adeſſe, donec ſacro baptiſmate lauati, in Chriſto renaſcamini.

Secunda pars Miſſæ, quæ incipit ab Offertorio, in quo præparantur, & offeruntur ea, quæ ſunt conſecranda, quæ omnia fiunt voce ſubmiſſa, ad denotandum Chriſti exilium, de quo Ioan. 11. Cum enim Iudæi illum comprehendere decreuiſſent, non publicè, & palam loquebatur: ſed abijt in regionem iuxta deſertum, in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum Diſcipulis ſuis.

Poſt hoc ſilentiũ ſequitur Præfatio: ſignificans ingreſſum Chriſti magnificum in Hieruſalem: nam paulopoſt cap. 12. cum turba multa audiſſet, quia venit Ieſus Hieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei, clamantes, & dicentes, Oſanna filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael. Quo finito, ſequitur Canon, vſque ad communionem, in quo fit conſecratio, & ſumptio, ex quibus conſtat ſacrificium.

Tertia pars eſt poſt communio, & Oratio, quæ gratiarum actio

actio eſt, & fit in latere dextro ſacerdotis, ad deſignandos Iudæos in fine mundi conuertendos: iuxta illud, Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes, &c. pſal. 58. & de his ſatis in præſenti.

Hæ igitur ſunt partes Miſſæ, quas ne prolixiores ſimus, q̃ præſens inſtitutum exigit, breuiter attigimus, multa in particulari omittendo, quæ maiorem, longioréq; meditationem requirunt; valdè enim prolixum eſſet omnia recenſere, quæ à multis dicta reperiuntur: Vnum tantum hic admonentes, quod ea, quæ diximus non omnia eſſe de iure diuino, præter ipſam conſecrationem, reliqua ſunt de iure humano; quæ etiam non omnia fuerunt à principio naſcentis Eccleſiæ: ſed ſucceſſu temporis, multa fuerunt addita à ſummis Pontificibus, donec ad hanc, quæ modo eſt integritatem, Miſſa redacta eſt; cuius partem notabilem omittés negligenter, vel ex contemptu, graue peccatum committeret.

De quibuſdam præparatorijs præcedentibus Miſſæ ſacrificium. Cap. X.

SAcerdos noſter ad Miſſæ ſacrificium tanquam Aaron ſanctuarium intraturus, ita ieiunus debet accedere, vt nihil cibi, vel potus à media nocte præcedente ſumpſerit; Nam quicunque ſacram ſynnaxim ſumpturus, aliquid cibi, vel potus poſt mediam noctẽ ſumpſiſſet; ſiue aliud digeſſerit, ſiue non, peccaret mortaliter contra præceptum Eccleſiæ, vt benè notat Raymundus in ſumma: & Nauarrus cap. 21. de quinto præcepto Eccleſiæ num. 53. & S.Thom. 3. parte q. 80. ar. 8. & habetur de conſecrat. diſt. 2. cap. liquido: In concil. Cartaginenſi: & habetur de conſecr. diſt. 1. cap. ſacramenta: & cap. ex parte, de celebr. miſſ. & eſt de fide tenendum, & oppoſitũ eſt hæreticum, vt habetur ex concil. Conſtantien. 13. & eſt communis opinio. Maius enim ieiunium requiritur ad ſumptionem Euchariſtiæ, quàm ad obſeruandum præceptum Eccleſiæ, quod potus non ſoluit, nec medicina, neque aliud modicæ quantitatis: ſed ad ſumptio-

ptionem Euchariſtiæ, requiritur ieiunium naturæ, quod ſcilicet nihil per modum cibi, vel potus ſumatur ante illam: Ita tenet doctiſs. Victoria in ſua ſumma ſacramentorum, & eſt communis opinio. Non obſtat tamen ſi fortè abluens os, aliquos modicæ quātitatis cum ſaliua deglutiſſet humores per modum ſaliuæ, quia parua huiuſmodi quantitas, & ſaliua, non frangit ieiunium naturæ: ſicuti neq; ab Euchariſtiæ ſumptione quempiam retrahit, ſi particulam aliquam cibi præcedentis, relictam inter dentes deglutierit: id enim eſt per modum ſaliuæ, & non cibi. Quod præceptum de ieiunio ante ſumptionem Euchariſtiæ, non eſt diuinum, ſed Eccleſiæ obligans ad peccatū mortale: tùm ob reuerentiam, quæ huic ſacramento debetur: tùm etiam, vt diſcamus prius quærendum eſſe regnum Dei, & illi in charitate, & gratia copulari, quam quid aliud: In aliquibus tamen caſibus, licèt non ieiuno Euchariſtiam ſumere. Primo, ſi quis ante omnino oblitus ſumpſiſſe cibum, vel potum accedit ad celebrandum, & poſt cōſecrationem recordatur ſe non eſſe ieiunum, non debet propter hoc deſiſtere, ſed perficere. Si verò ante conſecrationem recordaretur, niſi ſequatur ſcandalū, deſiſtat, quia ſi inde ſcandalum circumſtantiū oriretur, debet potius perficere, quàm deſiſtere, quia non peccat.

Secundo, ſi ſacerdos credens ſanguinem ſumere, cōperit in ipſa ſumptione non eſſe ſanguinē, quia fortè nō appoſuit, niſi aquam, vel acetū pro vino; tunc quamuis non ſit ieiunus, debet iterū, ne ſacramētū remaneat imperfectū, apponere vinū, & aquā, & iterū incipiēs à verbis, Simili modo poſtquā cœnatū eſt, &c. vſq; ad illa, Vnde & memores, conſecrare, & ſumere, licet etiā hoſtia iam fuerit conſumpta: neque alia eſt accipienda, vt tenet Scotus in 4. diſt. 8. q. 3. D. Thom. in 4. diſt. 11. Sotus diſt. 13. q. 2. Nauar. cap. 25. num. 91. Quod item faciendum, ſi hoſtiam inueniret fuiſſe corruptam, aliam enim non corruptam debet apponere, & incipiendo à verbis, Qui pridie, quam pateretur, vſque ad conſecrationem excluſiuè illam conſecrare, & ſumere: & vtrunque iſtorum abſque eleuatione, Angel. ver. Miſſa, num. 17. vbi regula Innocentij ſeruanda eſt, vt in cap. 1. & 2. de ſacram. non iterad. cau-

tè ſupplendum, quod incautè eſt prætermiſſum.

Tertio, ſi ſumpta ablutione, inueniret particulas ſacramẽti in corporalibus: eas tunc temporis ſumat, niſi iam tempus notabile pertranſiſſet, vt poſt orationem, vel quando iam deſtitit ab ablutione, quia tunc debet eas in decenti loco conſeruare in alium diem, niſi fortè tunc ab alio ſacerdote celebrante, ſumantur.

Quarto, ſi poſt ablutionem adhuc remanet in calice, vel in ore particula aliqua Sacramenti: tunc enim melius eſſet, vt ait Angelica (quia quæ ſic fiunt, ſimul fiunt per not. in l. continuus. ff. de verb. oblig.) vinum ſuper infundere, & ſumere: ſæpè enim fit, vt ſumentibus particulam hoſtiæ poſitam in ſanguine, remaneat particula hærens calici, & ſanguinis deglutiatur: Scotus tamen tenet contrarium, vt refert Syluester, verbo Miſſa 1. §. 2. not. 6. ſed dicit eam particulam digito trahendam ad labrum calicis, & ſumendam, quod mea ſententia habet neſcio quid indecentiæ.

Debet ſecundo perſoluiſſe Horas canonicas, ſaltem Matutinum, priuſquam ad Miſſæ ſacrificium accedat, quia ſi aliter faceret, ſecundum quoſdam, quos refert Syluest. verbo Miſſa, 1. §. peccaret mortaliter: contra conſuetudinem generalem Eccleſiæ, quæ habet vim legis, Anton. par. 3. tit. 13. cap. 4. Hoſtien. Vuertuec. Palud. & omnes ferè Sumiſtæ, Nauarr. cap. 25. num. 83. ſed ipſe cum Soto lib. 10. de iuſt. & iur. q. 5. ar. 4. propè finem: & in 4. ſent. diſt. 3. q. 1. ar. 2. teneo contrarium, quia inquiunt D. D. non omnis conſuetudo habens vim legis, obligat ad mortale: nam ſi ſoluere nocturnum officium poſt ſextam, aut nonam Horam, non eſt mortale peccatum, non video vnde inferatur, quod celebrare prius Miſſam ante matutinas, & primam, vnam Horarum ante aliam, puta tertiam ante primam, vel primam in choro, & poſtea matutinam priuatim, ſit peccatum mortale: cum miſſa, & Horæ ſint diſtincta officia: nec vnum habeat ordinem ad alterum: ſi verò dixeris ob conſuetudinem, dico venialem forſan eſſe culpam, ſine cauſa peruertere ordinem iſtum, vbi cõmodè fieri poteſt, ſi non prius nocturnũ ſolueretur officium: Nam ob cauſam aliquam, ordinẽ anteuertere, nulla eſt cul-

pa,

pa, vtputa ſi illi, qui nondum ſoluto matutino, occurrat cauſa celebrandi, vel quia id prælatus iubet, vel quia aliquis obtulit eleæmoſynam, vt ſtatim celebret: immò verò ſi quis ꝓpter infirmitatem aliquā legitimè excuſaretur ab officio ſoluendo, non video cur non poſſet Miſſæ ſacrum facere, quamuis neque dixerit, neque dicturus ſit cæteras Horas: & præſertim cum Miſſa non computetur inter ſeptem Horas canonicas. De prima autem ſic videtur dicendum, vel loquimur de prima recitata in particulari, vel recitata in choro: ſi de particulari, nullus reſtat ſcrupulus, quin liceat prius Miſſam priuatam celebrare ante primam; nullum enim ibi eſt peccatum. Si autem de recitata in choro, tunc videtur ſeruanda conſuetudo loci, ne confuſio, & ſcandalum oriatur. Quare ordo legitimus eſt, vt diuinum officium ſuis horis perſoluas; priuatā verò Miſſam, quando magis videbitur expedire.

Tertio, quia non quolibet tempore, nec quauis hora diei, ſed horis debitis, etiam à ieiuno Miſſæ ſacrificium eſt faciendum, vt habetur in Concil. Trid. ſeſſ. 22. in decreto de obſeruandis, & vitandis in Miſſa: & ex communi opinione: propterea extra feſtum Natiuitatis Domini ab aurora vſque in meridiem fiat: nam qui ante auroram ſine priuilegio, aut ſine vrgenti neceſſitate, vt ait Gabriel. in can. lect. 14. & 15. puta communicandi infirmum; & in conſulto Epiſcopo præſenti (Silu. verbo Miſſa 1. §. 6.) celebraret, peccaret mortaliter ſecundum omnes: cap. fin. de priuil. lib. 6. quamuis celebrans eſſet Epiſcopus, & viator cōtra gloſſam: in d. cap. Nocte ſancta: vt etiam refert Nauarrus cap. 25. nu. 85. cum nulla ratione, ſeu textu aliquo fulciatur. Diximus Epiſcopo præſenti, quia ſi abeſſet, nec opportunè, & facilè conſuli poſſet, meo iudicio eo caſu, etiam abſq; licentia Epiſcopi celebrari poſſet. Poſt meridiem verò, ſi eſſet tempus ieiunij, non ità graue eſſet peccatum, quia nulla particularis habetur prohibitio: ſed quoniam eſſet contra conſuetudinem Eccleſiæ vniuerſalem, non videtur licere, ſine rationabili cauſa, aut priuilegio, quæ excuſarent celebrantem, paulo poſt meridiem, quo priuilegio gaudent Fratres minores obſeruantiæ, Prædicatores, ſancti Benedicti, & Carmelitæ, quibus à varijs ſummis Pontifici-

bus, varijs temporibus dicitur conceſſum, vt in ſuis Monaſterijs, & neceſſitate id exigente, celebrare poſſint, vel paulo poſt meridiem, vel paulo ante auroram, quando præſertim tenentur de præcepto audire Miſſam, & ſunt in itinere. Hora faciendi ſacrum ſolemne, diebus feſtis, eſt hora tertia, ſecundum Archid. poſt ſanctum Thomam, & habetur de conſecr. diſt. 1. nocte. Diebus profeſtis, hora ſexta: & diebus ieiuniorum, hora nona, de conſecr. diſt. 1. ſolent. Et poſt horam nonam, quando fiunt ordinationes, ar. de conſecr. diſt. 1. c. ſolent. §. in ieiunijs. Priuatæ autem Miſſæ celebrari poſſunt ab aurora, vſq; ad tertiam, vel etiam in diebus ieiuniorum, vſq; ad nonam, de conſecr. diſt. 1. neceſſe: & eſt communis doctrina. Deniq; ſeruanda eſt conſuetudo, quæ non ſit contraria diuino cultui, & inſtitutis, & decretis Conciliorum, & Pontificum. Pius enim Quintus fœlicis recordationis, reuocauit in poſterum perpetuo, omnes, & quaſcunq; facultates, & licentias conceſſas, quibuſcunq; perſonis, etiam Regibus, & Imperatoribus, celebrandi Miſſam veſpertino tempore, præcipiens in virtute obedientiæ, & ſub pœna indignationis ſuæ, & perpetuæ ſuſpenſionis à diuinis, anno 1566. 28. Martij.

Debet quarto, antequam accedat Sacerdos ad ſacrificium Altaris celebrandum, confiteri peccata; præſertim ſi eſt ſibi conſcius peccati mortalis; nec ſufficit habere contritionem, vt multorum Theologorum opinio tenet, S. Tho. Durandi, Scoti Palud. Alexandri Bonauent. Gabrielis, &c. & in Conc. Trid. ſeſſ. 13. de Euchariſtia cap. 7. & can. 11. decretum eſt: Niſi fortè, vt docet Franciſcus Victoria, vir doctiſſimus, in ſummula Sacramentorum quæſito 79. in duobus caſibus: Primo, quando Sacerdos celebraturus non recordatur peccati, niſi in Miſſa, tunc enim ſi recordatur poſt conſecrationem, doleat, & perficiat ſacrificium: ſi autem ante conſecrationem, tunc ſi poteſt commodè ſine ſcandalo recedat, & confiteatur; ſin minus doleat, cum propoſito ſtatim confitendi poſt ſacrificium, ſi poteſt habere copiam Confeſſoris: Quod dicendum videtur etiam de eo, qui poſt conſecrationem recordatur ſe eſſe excommunicatum, vel aliquo vinculo irretitum, quo arceatur à ſacrificio, quia tunc poteſt perficere, nec incurrit irregu-

regularitatem: ſi verò eſt paulo poſt principium, nec vllum inde ſequatur ſcandalum, ſiue nota, debet recedere.

Secundo, cum quis recordatur peccati mortalis ante Miſſam, & tamen inſtat tempus, & cogit neceſſitas celebrandi, puta, quia iam conuenit populus, & dies feſtus eſt, & ibi nullus eſt Sacerdos, cui poſſit confiteri, tunc debet cõteri, & cum propoſito confitendi accedere; cum præcepta Domini ſuauia ſint, nec quando præcepta poſitiua militant contra ius naturale, tenemur ea implere cum infamia noſtra, alias, non ſufficit contritio: & quod dictum eſt de Sacerdotibus, dicendum eſt de alijs, qui accedunt ad Sacramentum, & iam coram altari exiſtentes, recordantur alicuius peccati mortalis nõ confeſſi, nec poſſunt ſine nota, & ſcandalo recedere: tunc propter reuerentiam ſacramenti, vt docet idem Victoria loco citato, poſſunt, & debent communicare, cum propoſito confitendi poſt communionem. Aliqui ſunt inter Summiſtas, vt docet Nauarrus, in quinto præcepto Eccleſiæ cap. 21. nu. 50. & alij, qui affirmant non licere etiam contrito, & confeſſo, de peccato carnis ſtatim poſt cõfeſſionem accedere ad communionem, & ſi acceſſerit, peccare mortaliter: quibus doctiſſimus Victoria in ſummula, quæſito 81. contradicit, affirmans id ſimpliciter non eſſe peccatum mortale, niſi fieret ex contemptu, ſed eſſe irreuerentiam quandam. Dicit enim abſolutè, nullam pollutionem nocturnam impedire ſumptionem Euchariſtiæ, ſub pœna peccati mortalis. Hoc idem tenet Palude 4. diſt. 6. q. 4. concl. 2. & Gabr. lect. 10. in canone, & Gerſon de materia celebrationis conſiderat. 7. & Maior. diſt. 9. q. 2. & Syluest. verbo euchariſtia, & Bonauent. diſt. 12. q. 3. & hoc patet, quia poſt confeſſionem, non remanet, niſi quædam immũditia corporalis, quæ non videtur vim habere retrahendi à communione, non lotis enim manibus mãducare, non inquinat hominem, Matth. 18. Dicit etiam ſi pollutio ſit voluntaria, & mortalis, tunc accedere ad ſacramẽtum poſt confeſſionem, erit veniale, propter quandam irreuerentiam; & ſancti cõſulunt, vt polluti hac pollutione, abſtineãt per aliquod tempus, vt ad ſequentem diem, vel per 24. horas, vt dicit Albertus, Alex. & S. Thom. & etiam ſi pollutio

fue-

fuerit merè naturalis, propter reuerentiam tanti ſacramenti, melius eſſet non accedere illo die: & ita conſulunt decreta cap. teſtamentum, & cap. non eſt, diſt. 6. quod intellige niſi fuerit feſtum aliquod, vel niſi cauſetur nota aliqua apud videntes, quod iſte non communicat, vel non celebrat, quia tunc melius eſſet celebrare, & communicare propter ſcandalum, & notam. Hæc autem irreuerentia non facit, quod ſit peccatum mortale ad Euchariſtiam accedere, quia talis immunditia fuit merè naturalis; ita dicit S. Thom. 3. par. vbi ait id, quod ſancti conſulunt, totum eſſe de congruitate, & conſilio, non de neceſſitate. Dicit præterea non eſſe peccatum accedere ad Euchariſtiam poſt legitimum vxoris concubitum; poſt quācunque verò aliam pollutionem in vigilia, fornicationem, aut adulterium accedere ad Euchariſtiam etiam poſt pœnitentiā, & confeſſionem, magna irreuerētia eſt, ſed non peccatum mortale (ſecluſo contēptu) melius tamen, & congruentius eſſet abſtinere: Hæc ita videntur præmittenda ante Miſſæ ſacrificium, quæ hoc verſu continentur. Ieiunia: recita: expecta: tua crimina pande.

De quibuſdam concomitantibus Miſſæ ſacrificium. Cap. XI.

QVoniam non omnis locus aptus eſt ad altiſſimum Miſſæ ſacrificium peragēdum, propterea quærendus eſt locus huic ſacrificio aptus, qui ab Epiſcopo ſit conſecratus, vel ſaltem benedictus, non interdictus, non pollutus: Vnde qui in agro, vel in alio loco non ſacro, ſeu benedicto, ſine Papæ, vel Epiſcopi licentia, vel ſine priuilegio, & extra tempus neceſſitatis, Miſſæ ſacrificiū faceret, peccaret mortaliter, vt docet Nauarrus cap. 25. nu. 82. allegans de conſecr. diſt. 2. cap. miſſarum. cui Sotus in 4. diſt. 13. q. 2. art. 3. innixus dictis S. Thomæ, videtur repugnare dicens, De licentia Epiſcopi etiam citra neceſſitatem, licitum eſt celebrare in locis non conſecratis, vel benedictis, immò propter neceſſitatem, etiam ſine licentia Epiſcopi, vt pateſ

patet de conſecr.diſt.1.can.conſecrationem,& ita tenet Syl-
ueſt. verbo miſſa 1.§.5. Vbi tamen licentia haberi poteſt,
condecens eſt, vt petatur; quare in bello licet ſub die, & in
tentorijs conſecrare, etiam ſine licentia: Quamuis vt omnis
tollatur ſcrupulus, prouidendum eſt, illam ab initio habe-
re: concil. Trid. in decreto de obſeruandis,& vitandis in ce-
lebrat. Miſſæ prohibet priuatis in domibus, & extra Eccleſiā,
ſacrum Miſſæ ſacrificium facere, can. Nullus, in 1. diſt. 1. ca-
uetur, quod eſt decretum Sylueſtri Papæ: Idem cauetur de-
creto Fœlicis cano. ſunt non alij; ſicuti etiam iure prohibe-
tur, non eſſe faciendum in flumine, vel in mari propter peri-
culū effundendi ſanguinem; neque in loco interdicto; alias
celebrans peccaret mortaliter, & eſſet irregularis, vt Nauar.
cap.25. num.83. neque in loco polluto, pollutione notoria
ſanguinis, vel ſeminis, in quo, qui ſcienter celebraret, pecca-
ret mortaliter, quamuis non eſſet irregularis, can. 15. qui in
principio. & §.1. de ſent. excom. lib. 6. Si tamen eſſet occul-
ta pollutio non impedit celebrationem, nec opus eſt recon-
ciliatione Eccleſiæ, vt omnes tenent ſuper cap. vnico. de cō-
ſecr. eccleſ. vel altar. lib.6.& ex gloſ. ſuper idem cap. ex cap.
ſignificaſti. de adulter. vbi notandum eſt, ſi quo die Epiſco-
pus celebrat ſuper aliquo altari, in eodem non debet ſacer-
dos inferior ſine Epiſcopi licentia celebrare, & hoc propter
ſolam Epiſcopi reuerentiam, vt habetur in cap. vltimo decre-
torum de conſecr. diſt. 11. quod eſt intelligendum, niſi ne-
ceſſitas celebrandi vrgeret,& in eadem Eccleſia illud tantum
eſſet altare, ſuper quo eſſet celebrandum, vel fortè quia Epiſ-
copus celebrans non perficit ſacrificium, vt ibi docet gloſſa:
Occurrente verò neceſſitate, nec poſſumus facilè conſulere
Epiſcopum, crederem poſſe celebrari in loco non benedicto,
aut conſecrato, apto, & decenti, vt in Oratorio, Capella, tē-
torio,&c. vt docet Nauarr. cap.25.num.82. & tunc eſſet ne-
ceſſitas, quando eſſet præceptum audiendi Miſſam, vel com-
municandi infirmū in mortis periculo, ne decederet ſine via-
tico: veruntamen obſeruentur ea, ex ſuperius dictis, quæ ma
gis expedire videbuntur, & cætera, quæ ſequuntur dicenda,
videlicet: Celebrans habeat veſtes ſacerdotales benedictas,

mun-

mundas, non laceras, ſcilicet amictum, albam, cingulũ, manipulum, ſtolam, caſulam, & alia, iuxta Eccleſiæ inſtitutionem requiſita, vt calicem, patenam, corporalia munda, purificatoria, miſſale, cereos, ſeu luminaria, vinum, & aquam, altare ſaltem portabile conſecratum, non fractum, capax calicis, & hoſtiæ, lapideum, non ligneum: nam qui ſciẽter, vel ex ignorantia craſſa celebraret ſine veſtibus benedictis, ſeu etiam cum illis, ſed turpiter laceris, & immundis, peccaret mortaliter; ſicuti, qui ſine corporalibus, aut etiam cum illis, ſed immundis, propter magnam ſacratiſſimi, & mundiſſimi ſacramenti irreuerentiam; præceptum eſt clericis, vt vaſa, & veſtes, in quibus debent celebrare ſint munda, in can. reliqui, de cuſtò. euchar. & ideo mortale eſt contrarium facere. 14.q. 1.cap.quod præcipitur. Tab. verbo miſſa. §.11. & qui ſine libro, in quo non eſſet canon, ſaltem vſque ad communionem, Anton. 3. p. tit. 13. cap.6.§.6. & direct. lib. 1. tit. 7. §.55. pro cingulo tamen in caſu neceſſitatis, poſſet vti ſtola, & pro ſtola manipulo longo, Palud. in 4. diſt. 13. q. 2. col. 5.

Peccaret etiam mortaliter, qui ſcienter, vel ex ignorantia craſſa, conſecraret ſuper aram enormiter fractam, cap. quod in dubijs, Ricard. in 4. diſt. 13. art. 4. q 2. aut non conſecratam, vel etiam conſecratam, ſed non capacem calicis, & hoſtiæ, quibus vtitur, cap. 1. cum ei annot. de conſecr. eccleſiæ, Nauarr. loco citato num. 83. Ita etiam, qui ſacrum faceret ſine aqua, & luminaribus, cap. fin. de celebrat. miſſ. & conſecraret in vino adeò acido, ſeu adeò linfato, vt mutaſſet formam ſubſtantialem vini, & tunc non eſſet vera conſecratio: Quæ veſtes, vt mundæ, & candidæ eſſe debent, ita ab Epiſcopo, ſeu Abbate, vel alio habente authoritatem benedicendæ: calix tamen, patena, & altare ab Epiſcopo ſunt conſecranda: corporalia, mappæ, & purificatoria ſint eiuſdem qualitatis, non vt à quibuſdam haberi ſolẽt; quorum graui incuria ſæpè fit, vt ſint adeò immunda, vt etiam à tabernariorum menſis cum nauſea proijcerentur.

Hæ veſtes numero ſenario, qui perfectus eſt numerantur, vt perfectionem oſtendant, qua ſacerdos noſter elucere debet, tùm quia Dominus ſex diebus creauit omnia: & ſexta

æta-

ætate mundum redemit perditum, &c. quæ veſtes non carent myſterio, & ſignificatione.

In amictu enim ſignatur velamen, quo Iudæi Chriſto Domino illudentes, faciem eius ſanctiſſimam velauerunt: quod ſi ad mores referas, fidem religionis noſtræ fundamentum ſignificat; quæ non in euidentia rerum, ſed in captiuitate voluntaria intellectus noſtri conſiſtit, id quod optimè per velamen oſtenditur oculorum: amictus iſte galea ſalutis dicitur, qua in omnibus pſentis vitæ calamitatibus fulciri debemus: & à capite deſcendit in humeros, & dorſum, ex quo bona opera deſignantur, quæ fidei connecti debent: cordulæ amictus, quibus ligatur pectus in modum crucis, rectam intẽtionem noſtrorum operum in Deo collocandam oſtendunt.

In alba, quæ eſt veſtis linea, longa, talaris, & ampla, ſignatur veſtis alba, qua Herodes Chriſtũ Regem gloriæ indutum, Pilato, & cæteris videntibus illudendum tranſmiſit: qua veſte vniuerſalis iuſtitia deſignatur, qua ſacerdos ita debet eſſe ornatus, vt quicquid agit, & operatur, rationi & diuinæ ſic conſentaneum voluntati; longa eſt, & ampla, vt magnitudinem, multitudinemq; operum ſacerdotis oſtẽdat: linea eſt, aut biſſina, non ſerica, non lanea, aut ex pellibus animalium, ſed ex herbis olim virentibus contexitur, quo morum viriditatem ſacerdotis oſtendat: alba eſt, vt ſacerdotis vitam innocentem, puram, & immaculatam demonſtret.

In cingulo, quo alba, & renes ſacerdotis colligantur, ſignatur primum vinculum, quo impij Chriſtum Dominum in horto comprehenſum ligauerunt: quo vinculo notatur caſtitas, quæ omnibus ſacerdotis operibus vniri debet. Deo enim mirificè placet, & ieiunij, & orationis vinculis maximè paratur, & conſeruatur.

In manipulo ſignatur alterum Chriſti vinculum, quo columnæ fuit alligatus, & in ſiniſtro brachio ponitur, quo amor intimus cordis, quo Chriſtus Dominus paſſionem, & flagella ſuſtinuit præſignatur: & propterea ſacerdos, qui in altari Chriſtum repreſentat, hoc manipulo profitetur ſe huic maximæ, & eximiæ charitati pro viribus reſponſurum. Hoc notatur pœnitentia, quam in præſenti vita, quæ per ſiniſtram ſigni-

gnificatur, facere debemus; cui pœnitentiæ in futura vita reſpondebit manipulus retributionis, vt habetur pſal. Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. pſal. 125. quem manipulum ſolus Pontifex poſt caſulam induit, ex quo præſignatur Chriſtus, cuius opera non fuerunt ante charitatem, & gratiam, quia ex ſumma gratia, & charitate operatus eſt; nec ſibi, ſed nobis meruit: nos verò per pœnitentiam ad charitatē venimus, propterea cæteri ſacerdotes manipulum induunt ante caſulam.

De Veſtibus ſacerdot.

IN ſtola poſtremum Chriſti vinculum præſignatur, quo ductus, & ad crucifigendum tractus eſt: In ſacerdote ſignificat, iugum euangelicæ legis, quod ipſe portare aſſiduè debet; & propterea collo imponitur, & in vtrūq; deſcendit humerum, vt oſtendatur obedientia, & patientia, quibus iugum portari debet: deſcendit ferè in terram, vt notetur perſeuerantia in virtute: Imponitur vtroq; humero, vt actiua vita pariter, & contemplatiua ſignetur, quibus ſacerdos vacare debet: Diaconus verò in ſiniſtro tantum, quia ad vitæ tantum actiuæ miniſteria in Dei Eccleſia ſtatuūtur, cum nondum ad contemplationis perfectionem aſcenderit.

In caſula ſignatur tunica inconſutilis Chriſti, & veſtis purpurea, qua in domo Pilati indutus eſt; ex qua notatur Charitas omnium virtutum, & veſtimētorum præcipua, quæ ſicuti amictui iungitur, quem diximus præſigare fidem, ita opera noſtra viuæ fidei coniungenda eſſe: Hæc in anteriori parte anguſta eſt, & in poſteriori lata, quia charitas debet eſſe erga Deum, qui vnus tantum eſt, cui reſpondet pars anterior anguſta: & erga proximos, qui multi ſunt, cui reſpondēt pars veſtis poſterior lata, quoniam extēditur ad amicos, & inimicos viuos, & defunctos: vel dic, duos hac veſte ſignari ſtatus, in quibus homines ſaluabantur ante gratiam, & poſt illam: ſed prior erat anguſtior poſteriori, quoniam diuina remedia ſalutis, erant pauciora ante Chriſti aduentum quàm poſt. Ter-

Tertiò, requiritur altare paratum, quod vtcunq; ſit, conſecrandum eſt ab Epiſcopo, ad Chriſti Domini ſanctitatem ſignificandam, vel ad ſignandam ſanctitatem, quæ in ipſo celebratur: vnde cano. altaria 2. de conſecr. diſt. 1. & concil. Agat. habetur: pro quo parando neceſſaria ſunt: ara, mappæ, corporalia, calix, miſſale, cereus: ara neceſſario requiritur, nam ſine illa conſecrare, graue peccatum eſſet: quæ debet eſſe lapidea, non autem lignea, de conſecrat. diſt. 1. can. altaria 1. ſancitur: integra, non fracta, & conſecrata: alias nullo modo ſuper ea celebrari debet, nec poteſt Epiſcopus, niſi ſummus Pontifex ſuper hoc diſpenſare. Hæc ſit ita capax, vt totam hoſtiam, & totum calicem, vel ſaltem maiorem illius partem capiat; in hac ara crux demonſtratur, in qua Chriſtus eſt immolatus: eſt lapidea, ad ſignificandum Chriſtum eſſe petrã angularem, & ſpiritualem. Mappæ non debent eſſe pauciores duabus, vel in neceſſitate vna duplicata: vt cauetur decreto Euſebij Papæ can. conſulto, diſt. 1. corporalia munda linea, non lanea, vel ſerica, & benedicta, vt diximus, ab Epiſcopo, vel ab habente facultatẽ, quia Chriſti corpus in ſepulcro in ſindone munda inuolutum eſt: calix, & patena, quæ debent eſſe aurea, vel argentea, vel in neceſſitate vix ſtannea: in calice ſepulchrum, in patena lapis aduolutus ad hoſtium monumenti, vel lapis ſuperpoſitus ſepulchro ſignatur: miſſale, & luminaria (concil. Trid. ſeſſ. 22. in decreto de obſeruandis, & vitandis in Miſſa) non tamẽ cum certo numero ſuperſtitioſo potius, quàm religioſo, neceſſaria ſunt, ſine quibus Miſſæ ſacrificium celebrare, graue peccatũ eſſet: in lumine enim accenſo, diuinitas nunquam deficiens præſignatur. Quæ omnia cum paſſim ab Apoſtolis, & ſummis Põtificibus fuerint inſtituta, de iure ſunt poſitiuo Eccleſiæ, in quibus ex conſequenti ſummus Pontifex diſpenſare poteſt; Solus verò miniſter, nempè ſacerdos ritè, & rectè ordinatus, eſt de iure diuino; & ſubinde de eſſentia: nunquam enim ſine ſacerdote fieret conſecratio.

†

Quædam in ſuperioribus notanda.

VBi notãdum eſt primo, corporalia, & purificatoria non eſſe tractanda, nec lauanda, niſi à ſacris hominibus, vt habetur de conſecr. diſt. 1. in ſancta: & de duobus cap. ſequentibus; pro quibus lauandis, Diaconi habere debent nouam peluim, & aquam ſaltem primæ lotionis in ſacrarium proijcere, de conſecr. diſt. 1. cap. nemo: nec lauanda, nec tangenda ſunt à fœminis, quam ſacratis, 23. diſt. ſacratas: & de conſecr. diſt. 1. cap. nemo, el ſecondo: ne fragmenta, & pulueres Dominici corporis malè tractentur, ſeu à prophanis manibus contingantur: circa quod, nulla poteſt eſſe conſuetudo rationabilis: quod cum Hoſtienſe in ſumma tit. de euchar. dicendũ eſt de pallis, vaſis, & alijs altariũ paramentis, præſertim ſi ab Epiſcopo ſunt benedicta: de relig. cap. 3. Crederem tamen cum Syluestro verbo corporalia, & Petr. de Palud. poſt primam lotionem poſſe per Moniales reparari, vbi eſt conſuetudo, alias non.

Secundo, quæ ſemel ſunt benedicta poſt lotionem, non ſunt iterum benedicenda, cum priorem formam non amiſerint: No. in cap. 1. de conſ. eccl. vel altar.

Tertio, caſulæ, & alia quædam pro ornamento altaris fieri poſſunt, ex quibuſcũque veſtibus etiam fœminarum, nam, vt ait Sylu. loco citato, propter benedictionem, & dedicationem ad diuinum cultum, omnis purgatur macula; non enim magis prophana ſunt templis idolorum, quæ Deo dicantur, & conſecrantur, non tamen poſſunt iſta ad vſus prophanos conuerti: de rerum permut. mancipia.

Quarto, Altare ſtabile, quemadmodum, & portatile, quo ad conſecrationem, ſolus Epiſcopus debet inſtituere: de conſecr. diſt. 1. cap. nullus, el ſecondo. & cap. concedimus; non autem presbyter 26. q. 1. miniſtrare.

Quinto verò, ad extructionem, ſiue erectionem altaris ſtabilis, presbyter poteſt erigere, ſeu inſtituere in Eccleſia non conſecrata; in conſecrata verò, ſicuti non poteſt altare deſtruere ſine Epiſcopi licentia, ita nec inſtituere, & erigere,

ar. 68.

ar. 63. diſt. quamuis, & de conſecr. diſt. 1. nullus presbyter, & arg. de conſecr. diſt. 1. cap. eccleſiæ, & cap. placuit.

Sexto, ſuper altare, in quo celebrauit Epiſcopus, ſacerdos inferior illo die celebrare non poteſt, Ioan. de conſ. d. 2. cap. ſi. niſi de licentia Epiſcopi, vel cum Epiſcopus non poſſet perficere, 6. q. 1. nihil: hæc gloſ.

Septimo, altare conſecratum, vt colligitur ex doct. in rubr. & in cap. 1. de conſecr. eccleſiæ, vel altaris, multis modis execratur: Primo, ſi menſa enormiter, vel penitus frangatur, quæ enormitas ab Epiſcopo iudicabitur.

Secundo, ſi amota fuerit iunctura, qua menſa ſtipiti adheret.

Tertio, ſi quid de lapidibus ſtipitis, tangens ipſam menſam ammoneatur, puta quando menſa fundata eſt ſuper quattuor columnas, & vna illarum moueatur: ſecus de lapidibus parietis, vel de ipſo pariete, cui compaginatum eſt altare: nam propter motionem lapidum, vel parietis, ſi altare manet immotum, non execratur altare: & item dicendum eſt de lapidibus ſtipitis, non tangentibus menſam, ſed non principalibus, vt in ſumma conf. lib. 3. tit. 14. q. 150. niſi altare mittat formam, ſecundum gloſ. Raym.

Quarto, ſi moueatur, vel frangatur, ſeu minuatur ſignum ſepulchri, de conſ. diſ. 1. motum. extra eod. quod in dubijs: & hæc ſunt de mente Panorm. in cap. ad hæc, & in cap. quod in dubijs eod. tit. quem ſequitur Sylu. cum multis alijs doctoribus, verbo altare.

Altare cõſecratum non execratur, quamuis execretur Eccleſia, ita vt noua egeat conſecratione, vt notat Panorm. in cap. propoſuiſti, de conſecr. eccl. vel altaris.

6. Secus ſi polluatur Eccleſia, quia polluta Eccleſia, polluitur etiam altare, & indiget reconciliatione. Ratio huius diuerſitatis eſt; quia cõſecratio Eccleſiæ conſiſtit in parietibus, & ſeparata eſt à conſecratione altarium, vnde illa violari poteſt, combuſtis, vel collapſis parietibus, cõſecratione altarium remanente intacta; & ita è cõtra deſtructo altari, & parietibus illeſis: Sed pollutio cõcernit totum corpus Eccleſiæ; ex homicidio nanque in Eccleſia commiſſo

totum

totum corpus Eccleſiæ cum ſit indiuiduum, polluitur vna cum altaribus, in quibus ante reconciliationem Eccleſiæ celebrari non pōt, cum ſint in corpore Eccleſiæ: vnde colligendum eſt, primo, quot modis polluitur Eccleſia, tot modis etiam polluuntur altaria, quæ ſunt in illa. Secundo, qđ nec altare exiſtens in Eccleſia, ſine Eccleſia, nec Eccleſia ſine tali altari polluitur, quia polluto altari, polluitur Eccleſia, cum talis pollutio in Eccleſia fiat, ſicut è contra polluta Eccleſia, polluitur & altare. Secus de altari, quod eſt extra Eccleſiam, niſi eius parieti eſſet connexum.

7. Ab eodem, & eodem modo reconciliatur altare, quo reconciliatur Eccleſia.

8. Veſtes, pallæ altaris, corporalia, vela, cortinæ, Eccleſiæ, vel altaris, & id genus alia, quæ Deo ſemel dicata ſunt, in vſus humanos conuerti non debent: ſed inueterata comburantur, & eorum cineres in ſacrario reponantur, cap. quæ ſemel Deo. de reg. iur. in lib. 6.

9. Ligna, lapides, & alia deſtructæ Eccleſiæ, etiam non conſecrata, cœmeterij, parietum, conuentuum, monaſterij, confraternitatis, hoſpitalium, & his ſimilia, non ſunt in vſus prophanos conuertenda, ſed eiuſdem, vel alterius Eccleſiæ, & piorum locorum, de conſecr. diſ. 1. ligna. cum gloſſ. & 19. q. 3. quæ ſemel, vt benè notat Petr. de Palud. locis cit.

Nauarrus ponit ſex caſus, in quibus polluitur Eccleſia, & primo, quando in Eccleſia ſanguis humanus effunditur iniurioſè, vel innaturalis datur cauſa ad illam effuſionem, vel mortem, in cap. eccleſijs 58. d. & cap. eccleſijs, de conſecr. diſ. 1. cap. propoſuiſti. de conſecr. eccleſiæ. Diximus in Eccleſia, quia effuſio facta ſupra tectū, vel in aliquo antro, non ſufficit, vt notat Archid. in d. cap. eccleſijs, & gloſ. in cap. 1. de conſecr. eccleſ. in 6.

Dictum eſt in Eccleſia in genere, intelligendo de cōſecrata, & non conſecrata, cap. fin. de conſecr. eccleſiæ, quamuis maxima ſit differentia in reconciliatione, quia Eccleſia conſecrata, & polluta, debet per Epiſcopum reconciliari, vel per alium, cui Papa, vel Epiſcopus id negotij commiſerit; cum aqua ab Epiſcopo benedicta: non cōſecrata verò, poteſt re-

con-

conciliari per ſacerdotem cum aqua à ſacerdote benedicta, vt habetur c. aqua, de conſecr. eccleſiæ, glo. d. c. fin. quod probant Anchar. Card. Panorm. Io. Andr.

Dictum eſt, quando ſanguis humanus ſpargitur, ſeu effunditur, quia non ſufficit ad pollutionem Eccleſię ſtillæ ſanguinis: ſed vt ex teſtibus prædictis colligitur, debet eſſe magna, & grauis effuſio, vt ex c. reuertimini 16. q. 1. gloſ. ſing. in hac ſpecie, c. cum illorũ, de ſent. excom. verbo effuſionem, commendata per Felynum ibi, & Panorm. in d. cap. propoſuiſti.

Dicitur ſanguis, quia nõ ſufficit, quòd vulnus ſit mortale, ſine effuſione ſanguinis, quamuis tale ſit vulnus, quod frangat oſſa, & carnes pinſet. ſpec. de dedicat. eccl. col. 10.

Dicitur ſanguis humanus, quoniam nulla alia effuſio quorumcunq; animalium, polluit Eccleſiam, gloſ. d c. 1. de conſec. eccl. verbo ſanguinis.

Dictum eſt iniurioſè, quia naturalis profuſio narium, vel oris, nec quæ fit ex fortuita impulſione, vel ad lapidem offenſione, vel tegula per ſe prolapſa; nec effuſio ad iuſtam defenſionem, vt Panorm. in d. c. propoſuiſti, de conſec. eccl. & dom. in d. c. 1. Nec etiam, quæ ſequitur cauſa luſus, vel ioci, licitè facti, & de re licita, arg. c. continebatur, & c. lator. de homic. quod rarò in Eccleſia contingere poteſt, niſi ad repreſentationem rerum piarum; Nec effuſio facta per furioſum, vel fatuum, Archid. in d. c. 1. vel per puerum: Collectarius in d. c. fin. ſi annos diſcretionis nondum attigerit, arg. c. 1. de delictis puerorum.

Dictum eſt, aut datur cauſa, quia ſufficit, quòd vulnus detur intra Eccleſiam, quamuis vulneratus exeat extra illam, priuſquam ſanguis defluat: & quamuis ſanguis colligatur in panno, vel vaſe, ita vt non decidat in terram: & è contra, ſi vulnus illatum fuerit extra Eccleſiam, non ſufficit, quòd ſanguis profundatur in ea: glo. d. c. communiter recepta.

Dictum eſt cauſa non naturalis, quia non ſufficit, vt etiam in Eccleſia proferatur ſententia condemnatoria, modo ob illius exequutionem, effuſio fiat extra Eccleſiam.

Dictum eſt ad mortem, quia ad pollutionem Eccleſiæ ſufficit in ea ſuffocare aliquem, vel alio quouis modo necare,

ſine

ſine ſanguinis effuſione, gloſſ. d. cap. propoſuiſti, facit l. actione. §.1. ff. ad leg. Aquil. Quemadmodum etiam ſufficit mors, & profuſio facta per fidem, & martyrium, Archid. & gloſſ. recepta in d. cap. 1. Non ſufficit, ſtando in Eccleſia occidere, vulnerare ſagitta, vel alio inſtrumento aliquem extra Eccleſiam exiſtentem: ſed è contra, ſi quis ſtans extra Eccleſiam vulneraret ſtantem in Eccleſia.

Secundo, quando voluntariè emittitur in Eccleſia ſemen humanum; humanum, dico, quia cæterorum quorumcunq; animalium, nulla eſt habenda ratio: glo. ſing. d. c. Eccleſijs communiter recepta, & glo. in d. c. 1. verſ. humani; & quia, ſufficit, quòd ſemen ſit cuiuſcunq; hominis, vel mulieris, fidelis, ſiue infidelis: & quod ſpargatur, ſiue effundatur, ſecundum, aut contra robur curſus naturalis: text. in d. c. eccleſijs, verbo cuiuſque: & ſpec. tit. de dedic. Eccleſiæ col. 10. Sicuti etiam ſufficit emiſſio ſeminis per copulam coniugalem, ſecundum glo. in d. c. 1. de conſec. & in c. eccleſijs 68. diſt. & in c. 15. qui de ſent. exc. in 6. & in c. quoniam 33. diſt.

Dictum eſt voluntariè, quia non ſufficit effuſio ſeminis, quæ fit dormiendo: gloſ. ſing. in d. c. eccleſijs communiter recepta: cum hæc non contineat irreuerentiam, ſicuti alia.

3. Polluitur Eccleſia, quando in ea ſepelitur excommunicatus, c. conſuluiſti de conſ. eccleſiæ.

4. Quando ſepelitur in ea aliquis infidelis: cap. eccleſiam de conſ. 12. diſt. & in hoc caſu, non ſolum reconcilianda eſt Eccleſia, ſed etiam ſunt radendi parietes, Panorm. in d. cap. conſuluiſti.

5. Polluitur, quãdo conſecratur, vel benedicitur per Epiſcopum publicè excommunicatum: arg. d. c. conſuluiſti.

6. Polluitur Eccleſia, cum omnes parietes reficiũtur: glo. in c. ligneis de conſ. eccleſiæ: ſed contraria opinio videtur verior, vt in d. c. eccleſijs in 2. notando diximus, hæc Nauar. Quod intelligendũ eſt ad mentem Anton. Guilel. & Hoſtienſ. de pollutione notoria, non de occulta; nam ſi eſt occulta, non opus eſt reconciliatione, quoniam Eccleſia non iudicat de occultis: fit autem notoria, vel ex euidentia facti, vel ex confeſſione eorum, qui fecerunt, vt benè notat Victoria

ria in ſummula ſacramentorũ de Euchar. cap. 60. quæſito 99.

Requiruntur ergo ad rectè celebrandum multa, quæ ſummatim hùc referenda duximus.

Primum eſt: vt celebrans ſit ſacerdos ritè, & rectè ordinatus: qui enim non eſt ſacerdos, celebrans, nihil agit propter defectum poteſtatis: immò maximum malũ, & ſacrilegium operatur, cauſam offerendo aſtantibus idolatrandi.

2. Vt iſte celebrans licet ſit ſacerdos, ritè ordinatus, non tamen ſit excommunicatus, vel ſuſpenſus, interdictus, irregularis, aut degradatus; quia & ſi conficeret ſic celebrando, peccaret tamen ſemper mortaliter, & non dignè celebrat, & ſi poſſit de facto, de iure tamẽ nunquam licet ei ſic celebrare.

3. Vt non ſit corpore vitiatus, puta vt non ſit cæcus, claudus notabiliter, monoculus, & huiuſmodi celebrare non poteſt, nec in altari miniſtrare, licet poſſit prædicare, & confeſſiones audire.

4. Vt non ſit in peccato mortali, nec habeat conſcientiam talis peccati, qui licet celebrando conficiat, peccat tamen mortaliter, iudicium ſibi manducat, & bibit.

5. Vt ſit ieiunus ieiunio naturæ, quamuis ſecundum aliquos in aliquibus caſibus, etiã non ieiunus poſſit celebrare.

6. Vt habeat intentionem rectam faciendi, quod facit Eccleſia, alias nihil faceret.

7. Vt habeat debita veſtimenta, ad hoc deſtinata; altare, vaſa, corporalia, tobaleas, luminaria, miſſale, & miniſtrũ reſpondentem.

8. Vt habeat legitimam materiam panis triticei, non ſiliginis in defectum tritici, nec alterius ſpeciei; & vinum vitis non acidum, neque corruptum.

9. Vt celebret in loco debito ad id deputato, quia non in omni loco poteſt celebrari.

10. Vt celebret hora competenti. & ſolita de more.

11. Vt debita forma verborum vtatur ad conſecrandum, alias nihil efficeret.

Dubia aliquot occurrunt, quibus breuiter reſpondetur.

Primum eſt, An ſacerdoti noſtro ſufficiat vnicum tantummodo ſacrificium in vita ſua facere, cum plura poſſit: cui

difficile reſpondetur, cum nullum ſit, videaturq́; præceptum expreſſum, aut conſuetudo, quæ obliget ſacerdotem, cui nulla incũbit cura animarum, ad plura ſacrificia faciendũ: & ad mortale peccatum aliquem condemnare, vbi non eſt præceptum temeritatis potius, quàm charitatis, & modeſtiæ eſſet: propterea quamuis nemo ſit, qui neget eſſe peccatum ſaltem veniale, tàm excellenti poteſtate nunquam fungi, tamen de peccato mortali, omiſſa cura animarum, aut alia obligatione, ratione ſtipendij, putat Alexã. de Ales. 4. parte, q. 51. membro 3. huiuſmodi ſacerdotes omni obligatione liberos, niſi à ſuis ſuperioribus ſibi iniungatur, non peccare, licet per totam vitam nunquam celebrarent, hoc idem videtur ſentire Caiet. non alia ratione ductus, niſi quia non habetur præceptum: at Sanctus Thomas, 3. p. q. 82. ar. 10. apertè contrarium ſentire videtur, quod ſcilicet ſit mortale peccatum: non enim propter veniale, de quo nulli eſt dubium, vnquam ſerio quæſtionem hanc mouiſſet, & definiuiſſet: quo circa cum ſancto Thoma dicemus, ſacerdotem teneri ſaltem in feſtis præcipuis celebrare; in illis præſertim, quibus populus communicare conſueuit, vbi cenſura peccati mortalis inſinuatur: idem tenet Richardus diſt. 13. ar. 2. §. 7. & Durandus, Palud. eadem quæſt. & Sylueſter verbo miſſa 1. §. 7. & alij ſummiſtæ: & reuera ratio ſancti Thomæ vrgere videtur: non enim Chriſtus fruſtra ſacerdotibus hãc poteſtatem contulit, ſed vt in memoriam ſuæ paſſionis, ea ſæpius vterentur dicens: Hæc quotieſcunq; feceritis, in mei memoriam facietis; vbi non conſilium tantum, ſed præceptum oſtenditur: & Venerabilis Beda dicit, qui ſine peccato mortali celebrare poteſt, & non celebrat, priuat ſanctam Trinitatem gloria; Angelos lætitia, homines in militanti Eccleſia auxilio, & veniam animas in purgatorio ſubſidio, & gaudio, ſeipſum priuat ordinatione mentis: informatione intellectus; verborum veritate, famæ claritate, deſideriorum puritate, & omni ſtabilitate; vt refert Cardinalis Sancti Sixti in d. c. quotidie: cui rei accedit parabola talentorum, Matth. 26. Luc. 19. qua ſeruus nequam iuſſus eſt mitti in tenebras exteriores: ſacerdos item non celebrãs,

malè

Digitized by Google

malè audit coram populo, & cenſetur ſui ordinis, & facultatis contemptor, ſcandalizando fideles.

Si verò curam habeat animarum, diebus omnibus tenetur Miſſam celebrare, quibus populus ad ſacrum audiẽdum præcepti vinculo obligatur: niſi fortè illud per alium præſtiterit; & eſt communis opinio, & omittens ſine cauſa, reus erit negligentiæ. Adde quod concilium Trident. docet, & præcepit, ſeſſ. 23. cap. 14. vbi habentur hæc verba. Curet Epiſcopus, vt ſacerdotes (quod de ſimplicibus intelligitur) ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus: Si autẽ curam habuerint animarum, tàm frequenter, vt ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent: Quod idem velle videtur ſeſſ. 22. in decreto de obſeruandis, & vitandis in Miſſarum celebratione, & cap. 8. de ſacrificio Miſſæ in fine.

2. Eſt, an liceat ſacerdoti noſtro pluries in die celebrare: Nullus ſacerdos, qui ad hoc particulare non habeat priuilegium, poteſt pluries, quam ſemel in die celebrare, ſeu cõmunicare; ſi aliter faceret, peccatum mortale committeret contra præceptũ Eccleſiæ; ex quo colligimus vnicam Chriſti mortem, quam ſemel tantum pro nobis peccatoribus acerbiſſimam paſſus eſt. In feſto tamen Natiuitatis Domini, ex conſuetudine Eccleſiæ, tria ſacra facere licet; non quod illo die ſit præceptum, vel obligatio celebrandi, vel audiendi tria ſacra: vnum enim ſufficit: conceditur tamen ex deuotione, poſſe tria ſacra facere, ex quibus tres Chriſti natiuitates ſignificantur: æterna ſcilicet, qua Deus ex Deo naſcitur: ſpiritualis, qua naſcitur in cordibus noſtris per gratiam: corporalis, qua homo ex Virgine naſci dignatus eſt; Prima celebratur media nocte, quæ æternam Chriſti generationem ſignificat, quæ obſcura eſt, & propterea cantatur introitus; Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te: ſecunda ſignificat ſpiritualem generationem, quæ in nobis naſcitur per gratiam; & propterea introitus incipit; Lux fulgebit hodie ſuper nos, quæ in aurora canitur. Tertia ſignificat temporalem, & viſibilem Chriſti natiuitatem in carne; & propterea introitus Miſſæ incipit; Puer natus eſt nobis, &c. quæ canitur orto iam Sole, canon. nocte, de con-

ſecr. diſt. 1. Vel dicas per hæc tria ſacra, ſignificari tres ſtatus, in quibus homo ſaluus factus eſt; videlicet, naturæ, legis, & gratiæ; naturæ, in media nocte, parua enim, & exigua tunc erat Dei cognitio, & obſcura in cordibus hominum. Legis in aurora, quæ eſt inter lucem, & tenebras; ſed maior fuit gratiæ, orto iam Sole, quo tempore diuina nobis gratia, & Dei cognitio clarè patuit per fidem, & Dei reuelationem.

Quæ ſacra quemadmodum & alia omnia ſunt à ieiuno ſacerdote facienda; nam qui in primo, aut ſecundo, ablutionem ſumeret, abſtineat, & ab altari recedat, niſi fortè velit non ieiunus ſacrum facere, mortaliterq́; peccare: quod ex communi ſententia omnium intelligas, etiam quādo alicui pluries in die ſacrum facere eſſe conceſſum, vel iure aliquo, & neceſſitate cogente quocunque modo liceret, ne ſcilicet ablutionem ſumat in primo: tunc enim nullus ſuperueniens caſus, vel neceſſitas, poteſt eſſe cauſa legitima ad iterum celebrandum, niſi, vt dictum eſt ſupra.

Multos caſus refert Syluester, Nauarrus, & Sotus, in quibus pluries in die celebrare licet, vel ſaltim licuit, propter ſacerdotum raritatem, quos in Nauarro cap. 25. num. 87. in Soto in 4. ſent. diſt. 3. q. 1. art. 2. poſt medium, in Syluestro verbo miſſa 1. §. 6. videre poteris: ſed nunc rariſſimè, aut nunquam niſi in Natiuitate Domini alicui cōceſſum eſt: multi enim ſunt ſacerdotes, quos Deus Opt. Max. bonos tāti ſacramenti miniſtros efficiat.

Tertium dubiū eſt: an ſacerdos ſub reatu mortali teneatur ad quotidie celebrandum; cui dubio reſpondetur, cum diſtinctione: nam vel ſacerdos eſt parochus, gerens curam animarum, vel non; ſi eſt parochus, vel curatus, toties tenetur ſacrum facere, quoties populus audire obligatur, vt dictum eſt ſupra. Iniqua enim eſſet conditio illius, qui audire cogeretur, vbi nemo dicere, & celebrare perſtringitur. Id quod & in aliorum ſacramentorū adminiſtratione, eandem retinet veritatem. Tenentur enim parochi ſacramenta adminiſtrare, quæ populus tenetur ſuſcipere; quocirca ſaltem diebus feſtis, eadem obligatione præſtringuntur, niſi legitimè

mè fuerint impediti. In alijs verò diebus vnuſquiſque pro ratione decimarum, & ſtipendij, vel quotidie, vel aliquando, vt Sylueſter verbo miſſa, §. 7. refert in cap. quotidie. de cenſur. diſt. 2. Si autem non eſt parochus, & curatus, non tenetur, niſi vt ſupra dictum eſt, in cap. quotidie. de conſec. diſ. 2. Epiſcopis verò, & alijs Eccleſiæ Prælatis incumbit cura ſub reatu mortalis peccati, faciendi quotidie cõuentualiter celebrare, & hic eſt legitimus ſenſus canon. iteratur de conſecr. diſ. 2. & idem notant Canoniſtæ ſuper cap. cum creatura. de celebr. miſſ.

Quartum dubium eſt, an ſacerdos ex beneficij inſtitutione, poſſit obligari ad quotidie celebrandum.

Huic dubio reſpondet Panorm. in cap. conſuluiſti. de celebr. miſſ. & in cap. ſignificatum. de præben. nullum poſſe obligari, quia talis inſtitutio eſſet illicita, & daret materiam peccandi; & ideò ex illo textu cap. ſignificatum, debet interpretari, vt ſcilicet teneatur, quo frequentius poterit, ſalua honeſtate ſua, & debita reuerentia, & deuotione ad Sacramentum; quod de quocunque beneficiato intelligẽdum eſt: idemq; dicendum de eo, qui ad dicendum Miſſam peculiarem quotidie, hoc enim non obſtante, poteſt, & debet dicere etiam de feria, cap. quidam. de celebr. miſſ. ſecus eſſet, ſi obligaretur in tali Capella ad celebrandum quotidie, tũc enim per alium poteſt, & debet ſuppleri.

Quintum dubiũ, quid ſit facturus ſacerdos, cum nõ recordatur ſe protuliſſe verba conſecrationis.

Huic dubio S. Thom. 3. p. q. 83. art. 5. ad quintum, ſic reſpondens, dicit; non debet propter hoc turbari ſacerdos, non enim qui multa dicit, recordatur omnium, quæ dicit, niſi fortè in dicendo aliquid deprehenderit ſub ratione iam dicti: ſic enim aliquod efficit memoriale; ſi verò probabiliter conſtet ſacerdoti, ſe aliqua omiſiſſe, quæ non ſint de neceſſitate ſacramenti, debet procedere, & perficere, nec ordinem peruertere; Si autẽ recordatur ſe aliquid omiſiſſe eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti, ſicuti eſt forma, & materia, tunc debet reſumi à forma conſecrationis, ſicuti ẽt circa materiã eſt inchoandũ, ne ordo ſacrificij peruertatur. Hæc Tabiena verbo miſſa, §. 38.

De

De valore Miſſæ. Cap. XII.

SCiendũ eſt primò valorem, de quo hic loquimur, duobus modis conſiderari poſſe: vel ex parte ſacrificij, & dicitur valor ex opere operato: vel ex parte ſacerdotis offerentis, & dicitur valor ex opere operantis: ita vt ſint duo valores diſtincti: Vnde ſi conſideratur ex parte ſacrificij, ſeu Chriſti in ſacrificio oblati, tunc quoniam ipſe Chriſtus eſt infiniti meriti, & valoris, quia ipſe eſt infinitus, valor quoque Miſſæ ex parte ſacrificij erit infinitus. Verum, quia hoc ſacrificium non operatur, niſi per applicationem, quæ infinita eſſe non poteſt, cum ſit creatura, & infinitas repugnat creaturæ, ſequitur ſacrificium hoc non operari infinitè, quare S. Thom. in 4. diſt. 45. quæſt. 2. ar. vlt. arg. dicit: quamuis virtus Chriſti, qui continetur in ſacramento Euchariſtiæ, ſit infinita, eius tamen effectus, ad certum finitum valoris modum, determinatus eſt; quemadmodum in ipſo ſacramento, vt ſacramentum eſt, gradus finitus valoris continetur, quando confertur alijs, qui infiniti non ſunt, quamuis in ſe res oblata infinita ſit, quia ſacramentaliter continetur, & datur.

Si verò conſideres valorem, ex parte offerentis, dicendum, quod actus ipſius, ſuſcipit incrementum, & diminutionem, ſicuti ex maiori, vel minori charitate, & deuotione procedit; adultis enim, qui actibus proprijs diſpoſiti, ſacramenta ſuſcipiunt, datur effectus valoris, non ſolum ratione ſacramenti ex opere operato, ſed etiam ratione ſuorum actuum ex opere operantis. At paruulis datur ſolum ex opere operato ſacramenti, cum nullum actum ipſi habeant, nec deuotionem; Et propterea ſi offerens eſt in gratia, hic valor proportionatur affectui, ſiue conatui, & deuotioni offerentis: nam quo ad ſatisfactionem, magis conſideratur effectus, & deuotio offerentis, quàm magnitudo, & quantitas oblationis, iuxta illud, quod Lucæ 22. de Vidua offerẽte duo minuta habetur. Quapropter licet hæc oblatio ex ſua virtute, ſufficiat pro tota pœna illorũ, pro quibus offertur, non ta-

men ſatisfacit pro tota pœna, ſed iuxta quantitatem deuotionis, qua ſacramentum offertur: vnde D.Tho. dicit hoc ſacrificium auferre pœnam vel in toto, vel in parte, iuxta menſuram deuotionis illius, qui mediatè, vel immediatè offert: quia ſuffragia facta per malos, ex imperio Eccleſiæ, aut ordinatione defuncti, qui præcepit ea fieri, valent illi, ita vt deuotio imperantis faciat idem, quod exequentis; quod inde patet, quia ſi ſacerdos ſit malus, vel ſit malè affectus in illum, pro quo celebrat, vel fortè ignorat illum, & nihilominus pro eo vult celebrare, vt vitet ſcandalum, ſacrificium proderit illi, ſed non infinitè: ergo limitatur per aliquem affectū, non ſacerdotis, qui eſt malè affectus, vel ignorat illum: ergo alterius offerentis per ſacerdotem, vel per affectum, ſiue intentionem, aut deuotionem Eccleſiæ: pro quo nota, meritum ſeu valorem Miſſæ, diuidi in tres partes, quarum prima attribuitur Chriſto; ſecunda intentioni, & deuotioni Eccleſiæ; tertia ſacerdoti offerenti: Quantitatem applicationis, quam facit Chriſtus, & deuotionis Eccleſiæ ignoramus, & quamuis illam ſciret ſacerdos, eam tamen non poſſet aliter applicare: ſed quantitatem expiationis, ſeu ſatisfactionis, quæ ſibi competit ex conatu ſuæ deuotionis, poteſt alteri applicare, & diſpenſare, ſicuti etiam diſpenſare poteſt pœnalitatem, & ſatisfactionem ieiunij, & aliorum bonorum operum, quæ operatur. Dicimus igitur, quemadmodum in ſacramento altaris continetur certus valoris gradus ex opere operato, vt ſacramentum eſt, ita etiam continetur alius gradus, vt ſacrificium eſt, vltra actum ſacrificantis, ſeu offerentis, & vltra actum illius, pro quo ſacrificatur, ſeu offertur. Valor autem iſte, valet ad bona ſpiritualia, ſcilicet ad gratiam, inſpirationes, & diſpoſitiones: valet ad ſatisfactionem pro pęnis debitis peccatis, ita vt oblatum ſacrificium conferat bona corporalia; gratiam, & remiſſionem pęnarum, omnia ſub certo gradu, ex parte operati: Modus autem, quo iſta bona conferuntur, triplex eſt, nàm conferuntur per modum meriti, per modum ſatisfactionis, & per modum impetrationis, ſeu ſuffragij. Primo, per modum meriti, de condigno, confert augumentum gratiæ, per modum meriti de congruo, confert bo-

na temporalia, & dicitur conferre per modum meriti, quia offerens hoc ſacrificium, ratione rei oblatæ, meretur gratiæ augumentum, ſicut ratione ipſius oblationis, ſeu actus. Confert etiam ſatisfactionem pro pœna debita peccatis, ita vt ſacrificium hoc, inducat remiſſionem pœnæ. Confert quoque per modum impetrationis, quatenus offerens tale ſacrificium, obtinet à diuina clementia ea, quæ petit, quamuis non de iuſtitia; & hoc modo maximè prodeſt defunctis, quãtum ad ſolam remiſſionem pœnæ, qui mereri non poſſunt. Viuis autem duobus modis prioribus confert, & etiam tertio modo, ſed duo priores viuis tantũ competunt, niſi mortui dum vixerunt, erogauerint pecunias ad Miſſas pro ſe celebrandas, quia tunc per modum ſatisfactionis, & iuſtitiæ conferunt: hæc enim eſt differentia inter illos modos, quòd duo priores fundantur in quadam iuſtitia, poſtremus in diuina tantùm miſericordia, quamuis hęc nunquam deſit. Celebrans enim proportionaliter aſſimilatur Chriſto Domino ſe per mortem offerenti; ſe enim patri hoſtiam pro peccato offerens, meruit nobis, non ſibi gratiam de condigno, & remiſſionem pœnarum noſtrarum, & impetrauit quæcunque petijt; ſic offerens in ſacrificio Miſſæ, meretur gratiæ augumentum (quia debet offerens eſſe in gratia) meretur etiam remiſſionem pœnæ, & impetrat non infinite, vt Chriſtus, ſed finitè, vt diximus.

Ad dubium, an Miſſa mali Sacerdotis, & in peccato mort. exiſtentis, valeat aliquid.

Reſpondetur cum S. Thom. 3. p. q. 73. art. 6. duo contineri in Miſſa, ſacrificiũ, & orationes: ſi cõſideres ſacrificium, & ſi à malo ſacerdote offeratur, ſibi nihil prodeſt, ſed illi potius maior fit condẽnatio: quia tamen valor eſt in ipſo ſacrificio ex opere operato, prodeſt alijs offerentibus, & pro quibus offertur, nec iſti priuantur ſuo fructu, qui non eſt maior in bono, quàm in malo ſacerdote, ſicuti ſacramentum collatum.

Si verò conſideres orationes, & preces, quæ in Miſſa dicuntur, tùnc & hæ poſſunt dupliciter conſiderari. Aut enim vt ab iſto, vel ab illo ſacerdote particulari procedunt, tunc maioris virtutis, & efficaciæ ſunt orationes boni, quàm mali: & licèt aliquando Deus exaudiat malos, potius tamen exaudit bonos; vbi notandũ, quod per opus operatũ, Doct. Theologi intelligunt ipſum opus, aut rem ipſam, quæ applicantur in ſe, & aliquid valere ex opere operato dicitur, cũ ex re ipſa applicata, aliquis vtilis effectus conſequitur. Valere autem ex opere operantis, eſt valere per ſanctitatem applicantis, vel recipientis, non autem, vt hæretici ſomniant, dicentes opus operatum eſſe ipſam operationem, ſeu applicationem ſacramentorum, ſiue actum ſacrificandi: & opus operantis eſſe illam eandem applicationem, ſiue actum ſacrificãdi, quod Theologorũ nullus vnquam cogitauit: quocirca ſacramenta omnia non habent virtutem aliquam, & efficaciam ab operante, hoc eſt, ob deuotionem, aut bonum motum voluntatis conferentium, aut ſuſcipientium, vt apparet in Baptiſmo paruulorum à peccatore collato, & adminiſtrato, qui vim habet regenerandi, non à conferente, cum ſit malus: non à paruulo, cum nullum habeat actum deuotionis, aut voluntatis propriæ, ſed habent in ſe ex diuina inſtitutione; quod exemplo facili explicatur. Sicuti enim panis ex ſua natura, & in ſe habet virtutem nutriendi, & reubarbarum expellendi coleram, ſeu bilem, non ex imaginatione tantum, vel affectu, aut fiducia comedentis, ſumentis, aut applicantis, quamuis imaginatio hæc, & affectus adiuuet, vel impediat efficaciam operandi. Ita etiam ſacramentum Euchariſtiæ, ſicuti alia, habet in ſe, vel ex ſe, vt ſacramẽtum eſt, vim, & efficaciam nutriendi; & vt eſt ſacrificium, repreſentans paſſionem Chriſti, habet virtutem expiandi peccata, & ſatisfaciendi pro pœnis peccatorum, vt dictum eſt: ſi verò conſideras orationes, vt procedunt à celebrante in perſona Eccleſiæ, tunc eam habent efficaciam orationes mali, quam habent orationes boni; id quod dicendum eſt de Horis canonicis, quæ ſi recitẽtur à clerico, vti à miniſtro Eccleſiæ, etiam in peccato mortali ſatisfaciunt, quia in perſo-

ſæ Eccleſiæ recitantur, vt ait S. Thom. Ita quoque ſacerdos, ad quem ſolum ſpectat Miſſam in perſona Eccleſiæ celebrare, & ſacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti conſecrare, & myſterium paſſionis ſub illis ſpeciebus ſolemniter repreſentare, & offerre, cum repreſentet Eccleſiam, eiuſdemq; nomine Miſſam celebret, licet ipſe ſibi nequam ſit, quia eſt in peccato mortali, prodeſt tamen alijs eius ſacrificium, ſed ex parte orationum, & ipſius oblationis, quo melior eſt ſacerdos, eo acceptior eſt Deo eius oblatio, vt dictum eſt. Non negamus item omnes Chriſtianos etiam laicos, & mulieres poſſe hoc ſacrificium à ſacerdote conſecratum ſpiritualiter, non miniſtraliter, Deo Patri offerre in memoriam paſſionis Chriſti; & orare, vt illam paſſionem, quam hoc ſacrificium repreſentat, dignetur applicare ſibi vel ſuis, vel alijs, vt habetur in Canone Miſſæ, cum dicitur, Memento Domine omnium circunſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe, ſuiſq; omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ, &c. Vnde Petrus propter huiuſmodi oblationem contra hæreticorum figmenta, omnes Chriſtianos vocat ſacerdotes, dicens; Vos eſtis genus electum, regale ſacrificium, gens ſancta: & Apoc. 1. Feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes. Io. Vig. de ſacr. euch. cap. 16. §. ver. 12. vt etiam ſupra dictum eſt, cum de ſacramento ordinis loqueremur.

Quibus proſit Miſſæ ſacrificium. Cap. XIII.

SAcrificium Miſſæ (vt in genere loquamur) prodeſt non ſolum offerentibus, ſed etiam his, pro quibus offertur, & applicatur, licèt non eodem modo: nam quemadmodum multi ſunt offerentes, ita multi ſunt, pro quibus offertur. Offerentium enim alij ſunt proximi, vt ſunt ſacerdotes celebrantes, alij remoti, vt populus Chriſtianus, qui mediatè offert ſacrificium per ſacerdotes totius Eccleſiæ nomine celebrantes. Alij verò ſunt medij, qui aliquo modo, vel aliquo actu conueniunt ad celebrandum, & horum alij

magis,

magis, alij minus propinqui ſunt, vt circunſtantes, qui Miſſæ ſacrificio interſunt, & offerunt cum ſacerdote: hos ſequitur chorus, & miniſtri; deinde Diaconus, & Subdiaconus, & demum, qui alunt ſacerdotem, qui ſunt cæteris propinquiores, quippequi peculiarem exhibent elæemoſynam ad Miſſam celebrandam. Qui omnes offerentes, ſi in gratia ſunt, quilibet eorum in ſuo gradu meretur augumentum gratiæ, prout magis, vel minus eſt propinquus: dico ſi ſunt in gratia, quia ſi non ſunt, nihil ſibi merentur, niſi forſan de congruo: non autem his omnibus idem eſt meritum; nam qui in gratia ſunt tantummodo, & actum aliquem circa illam celebrationẽ non exercent, ſed ſolum habitualiter celebrāt, conſequuntur de condigno remiſſionem aliquam pœnæ debitæ pro peccatis, & his quæcunque Miſſa prodeſt ad ſatisfactionem: ſed gratiæ non confert augumentum, quia gratia nulli confertur, niſi cum actu diſpoſitiuo ad illam. Quapropter cum illi non operentur, non merentur gratiæ augumentum. Qui verò actu aliquo concurrunt, conſequuntur non ſolum remiſſionem pœnæ, ſed etiam de condigno augumentum gratiæ magis, vel minus, prout magis, vel minus propinqui ſunt, & hoc vltra gratiam illam, quam quiſq; ſuo actu proprio meretur, quo ad offerendum concurrit. Videāt ergo, qui ſunt in peccato mortali, & qui Miſſæ ſacrificium intereſſe negligunt, quo fructu, ideſt maxima pœnarum remiſſione priuentur. Probabile quoque eſt Miſſæ ſacrificium (vt quidam volunt) offerentibus etiam abſentibus, & remotis prodeſſe, quibus aliquis gradus augumenti gratiæ conceditur ex opere operato. Illud quoque notandũ eſt, quod quãuis offerentium augeatur numerus, non tamen propterea quiſque meretur minus in ſuo gradu, quia hoc ſacrificium habet ſe ad ſingulos, ac ſi à ſingulis per ſe in ſuo gradu offeratur; ſicut plures ſumentes ſacramentum, nihil de valore illius amittunt, quia ſinguli integrè ſuſcipiunt. Ex parte verò illorum, pro quibus offertur hoc ſacrificium, vel ſunt ij, quibus ex intentione vniuerſalis Eccleſiæ valor applicatur, vt omnis populus Chriſtianus, & adhuc propinquius, Reges, Imperatores, Papa, & capita Chriſtianæ Reipublicæ;

 nam

nam pro his omnibus ex intentione Eccleſiæ, offert quicunque ſacerdos, cum Miſſæ offert ſacrificium. Vel ſunt ij, pro quibus offert ſacerdos ex propria intentione, quam applicat vni, vel pluribus, & hoc vel ex propria voluntate, vel alterius, qui actu aliquo ad id concurrit, vel rogando eleemoſynam, vt ſacerdos pro ſe celebret, vel rogando, petendo, aut iubendo: quibus omnibus aliqui volunt conferri augumentum gratiæ de condigno, ſi ſint in gratia: probabile quidem eſt, ſed probabilius videtur, quod non: quia nunquam datur gratia, niſi operanti actualiter, vel virtualiter circa tale opus; ſed quibus ex intentione Eccleſiæ applicatur, prodeſt ad meritum de condigno remiſſionis pœnarum, ſi ſint in gratia: impetrat quoque diuinam motionem, & auxilia, quibus gratia confertur, ſicuti etiam offerentibus remotis. Illi verò, qui actu aliquo concurrunt, etiam ad gratiæ augumentum, ſi ſunt in gratia. Ex his colligitur quanta ſit gratiæ copia in hoc mirabili ſacrificio, quod quia ſacramentum eſt, & ſacrificium, alia excedit ſacramenta, quæ ſolum ſunt ſacramenta, non autem ſacrificia propriè dicta; & non ſolum prodeſt ſumentibus, ſed alijs etiam, qui ſunt diſpoſiti: & cum multa gratia conferatur ex opere operato, offerentibus in ſuo gradu, ſupereſt adhuc magna copia, vt conferatur ijs, pro quibus offertur, & præſertim hoc fit, ſi omnibus in gratia exiſtentibus, gratia confertur, vt benè docet doctiſſim. Soto 4. ſent. d. 23. q. 2. art. 1. cui etiam aliqua ex parte videtur conformari, S. Thom. 3. p. q. 79. ar. 7. ad 2. probabilius tamen videtur, quod ſuperius dictum eſt.

De merito quadam in generali. Cap. XIV.

QVoniam in præcedēti Capite mentionem fecimus de merito, pro maiori eorum, quæ diximus declaratione, explicandum duximus expedire, quid ſit meritum, quid merces; quid meritum de condigno, quid meritū de congruo, iuxta mentem Theologorum, ne ciſternas aperiamus, easq; relinquamus nō apertas. Poſtquæ dicemus etiam de opere operato, & de opere operantis,

vt ſacerdotes intelligant, quæ ſibi fortè difficilia intellectu futura eſſent, niſi explicuiſſemus. Meritum igitur, & merces ad idem referuntur: nam meritum dicitur actus, quo quis meretur. Merces verò id, quod alicui eſt debitum, & recō-penſatio operis, & laboris, quaſi quoddam præmium ipſius. Et quemadmodum (vt docet Ariſt. 5. Ethicorum) reddere alicui iuſtum precium pro re accepta ab eo, eſt actus iuſtitię. Ita recompenſare, & reddere mercedem laboris, aut operis eſt actus iuſtitiæ: cum verò iuſtitia ſit æqualitas quædam, ſequitur, quod inter eos tantū poſſit eſſe iuſtitia, & meritū, inter quos eſt ſimpliciter æqualitas, & inter eos, inter quos nō eſt ſimpliciter æqualitas, non eſt ſimpliciter iuſtitia, neque meritum ſimpliciter, ſed poteſt eſſe quidam iuſtitiæ modus, ſicut dicitur quoddam ius paternum, ſiue dominatiuum, & meritum, ſecundum quid: ſic enim filius meretur à patre, & ſeruus à domino; vt ſi filius benè ſe gerat erga patrem, & ſeruus erga dominum, illum honorando, illiq; ſeruiendo, & obediendo: ſic pater, & dñs, ſecundū ſuam liberalitatē, & clemētiā ſe debet habere ad filiū, vel ad ſernū, vt docet Ariſt.

Sequitur ergo ex his hominem ſimpliciter, & abſolutè, ideſt ex æqualitate iuſtitiæ, non poſſe aliquid mereri à Deo; cum inter Deum, & hominem non ſit æqualitas, ſed diſtent infinite, & totum quod eſt hominis bonum, à Deo eſt, & per conſequens Deus non poteſt aliquid debere homini; quia tamen inter Deum, & hominem reperitur quædam proportio, inquantum vterque operatur ſecundum ſuum modum; modus autem, & mēſura humanæ virtutis eſt homini à Deo; ideò meritum hominis ad Deum non poteſt eſſe, niſi ſecundum ſuppoſitionem diuinæ ordinationis, vt homo ſcilicet conſequatur à Deo per ſuam operationem, quaſi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operando deputauit. Et quia homo ſeipſum mouet ad agendum per liberū arbitrium; ideò eius actio habet rationem meriti, quod non datur alijs creaturis, libero arbitrio non vtētibus: quod exemplo ſequenti declaratur: ſi Rex ordinaret hoc, vt quicunque Serpentem occideret, habeat mille aureos, quod plurimum in valore excedit opus à Rege iniunctum: ſi Ruſticus implens ordina-

tionem Regis, Serpentem occideret, haberet ius ad mille aureos, non ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſuppoſita Regis ordinatione, quia ſic ordinauit. Rex autem, qui ante huiuſmodi ordinationē nihil debebat Ruſtico, poſt illam, & eius impletionem efficitur debitor ſibi ipſi primum, quia debitum eſt, vt ſuam promiſſionem ſeruet, deinde Ruſtico eam implenti: ſic Deus, qui ſcit omnia noſtra eſſe ſua, noſq; ad maiora teneri, ex ſua clementia, & liberalitate ordinauit, vt ſi qs liberè, & bona volūtate, & animo ſibi inſeruiret, eiuſq; mandatis obtemperaret, mercedem illi ſe daturum promiſit, non ſolum temporaliū, ſed etiam ſpiritualium. De temporalibus habes Hieremiæ 3. vbi dicit Dominus per Prophetam: Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia eſt merces operi tuo. Item Iſaiæ 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Item Malachiæ 1. Inferte (inquit) omnem decimationem in horreum meum, vt ſit cibus in domo mea, & probate me (dicit Dominus) ſi non aperuero cataractas Cœli, & effundero vobis benedictionem, vſque ad abundantiam, &c. & in multis alijs veteris ſcripturæ locis. Quoad ſpiritualia, & æterna, habes in nouo Teſtamento, Matth. 4. Pœnitentiam agite, appropinquabit Regnum Cœlorum; Luc. 2. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis; Matth. 9. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, &c. Conſequens ergo eſt, Deum ſibi ipſi primum, deinde implentibus ordinationem ſuam, debitorem effectū, vt promiſſa ſeruet, ſicuti ordinauit, & homini ſuam ordinationem implenti, tribuat quod promiſit, cum mentiri nullo modo velit, nec poſſit: dixit enim pſal. 88. Quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita. Præterea quamuis homo operando faciat, quod tenetur, liberè tamen, & ex animo operatur: Et licet ex bonis, quæ facit homo, nihil Deo accreſcat, cum Deus nullam quærat vtilitatem ſuam, ſed gloriam (hoc eſt) manifeſtationem ſuæ bonitatis in nobis: ideò licet ex eo, quod Deū colimus, nihil accreſcat ei, ſed nobis, meremur tamen aliquid ad Deo; non quaſi ex operibus noſtris, illi aliquid accreſcat, ſed inquantum propter gloriam ſuam, quod ipſe ordinauit, operamur.

Meri-

Meritū præterea apud Doctores duplex eſſe dicitur, quoddam dicitur congrui, ſeu de congruo, quoddam verò condigni, ſeu de condigno: ſicut duplex eſt debitum, ſuper quo fundatur ratio meriti, ſcilicet debitum iuſtitiæ, & debitum liberalitatis, ſiue honeſtatis: Meritum condigni, ſiue de cōdigno eſt, quando eſt æqualitas inter opus, & mercedem. ſiue præmium: & hoc eſt meritum mercenarij, & denarij diurni, quod regulatur æqualitate iuſtitiæ. Meritum verò congrui dicitur, quando non eſt æqualitas inter opus, & mercedem, & quando redditur merces, quæ non eſt debita operi, ex natura ſua, ſed ex liberalitate donantis. Aliquid enim cōgruit liberalem, & magnificum dare, quod operarius non meretur ex condigno; vt factum eſt cum illis, qui hora vndecima venerant in vineā, & vt habetur de domino, qui benè diſpenſanti quinque minas, dedit gubernationem decem ciuitatum. Vt aliquando Rex pro modico obſequio, dat ingens præmium ad manifeſtandam liberalitatem ſuam. Tale igitur præmium, ſeu meritum congrui, liberalitati innititur, & meritum condigni iuſtitiæ. Nota præterea ad meritum tria requiri, nempe, libertatem, gratiam, & ſtatum.

Libertas ſaltem complacentiæ debet eſſe.

Gratia, quæ eſt principium meriti, & charitas, quæ radix, ſiue principium propinquum cenſetur.

Status ſcilicet viæ: Beati enim, cum non ſint in via, ideo non poſſunt mereri: Animæ autem, quæ ſunt in purgatorio, licet videantur eſſe extra viam merendi premium eſſentiale, quia vt dicitur Eccl. 5. cap. 11. Vbi ceciderit lignum, ſiue ad auſtrum, ſiue ad aquilonem, ibi erit; Quia tamen non ſunt in patria, ſeu in termino, dici quodammodo poſſunt eſſe in via; & cum ſint in gratia, ſequitur eas aliquo modo impropriè poſſe mereri, ſcilicet deletionem venialium, & premium accidentale.

Præterea in merito ſunt conſideranda tria, ſcilicet habitus gratiæ, & charitatis: actus ex gratia, & charitate procedens; & conatus liberi arbitrij, ideſt voluntatis, ſeu difficultas in opere, quæ afflictionem, ſeu pœnalitatem quandam habeat: & ideò pro mercede, & premio, reſpondent alia tria, ſcilicet pre-

Digitized by Google

præmium eſſentiale; præmium accidentale, & deletio reatus, ſeu obligationis ad pœnam.

Habitui gratiæ reſpondet præmium eſſentiale, hoc eſt viſio, & fruitio diuinæ eſſentiæ, ſic, vt ſecundū proportionem graduum gratiæ erit proportio graduum gloriæ. Actui verò ex gratia procedenti, debetur præmium accidentale, hoc eſt gaudium de illo bono opere. Conatui autem voluntatis, & difficultatis operis debetur, & reſpondet deletio reatus, & pœnæ, & ſatisfactio.

Notandum etiam, maximèq; aduertendum eſt, nullū purum hominem poſſe alteri primā gratiam, vel eius augmentum, aut gloriam eſſentialem mereri de condigno, ſed ſolus Chriſtus, qui eſt Deus, & homo, ſecundum humanitatem ſuam, hæc hominibus meruit: & ratio eſt, quia meritum de condigno procedit ex gratia, & vi diuinæ motionis: ſed gratia particularis data eſt cuilibet homini pro ſe, & non pro alijs: per eam enim mouet Deus hominem, vt ipſe perueniat ad vitam æternam; ideò meritum de condigno vltra hanc motionem non ſe extendit, ſed animæ Chriſti data fuit gratia à Deo pro omnibus, & vt per eam non ſolum ipſe perueniret ad gloriam, ſed etiam, vt alios in gloriam adduceret inquantum eſt caput Eccleſiæ, & author humanæ ſalutis. Poteſt tamen de cōgruo homo mereri alteri primam gratiam; quia quando homo in gratia Dei conſtitutus, implet Dei voluntatem, congruum eſt, ſecūdum amicitiæ proportionem, vt Deus impleat hominis voluntatē, eiuſq; orationes exaudiat pro ſalute alterius: ita Moyſes ſæpè placauit Dominum, & impetrauit populō Iſrael remiſſionem peccatorū. Ex his igitur colligimus nullum hominem poſſe alteri mereri præmium eſſentiale, nec remiſſionem peccatorum de cōdigno, quia præmium eſſentiale, quod eſt vita æterna reſpondet gratiæ: ſi ergo quis non poteſt mereri alteri gratiam de condigno, ergo nec gloriam. Poteſt tamen qui eſt in gratia, per quandam communicationem eſſe cauſa præmij accidentalis inquantum ex communione charitatis, facit omnes participes bonorum, & meritorum ſuorum, iuxta illud pſal. 118. Particeps ego ſum omnium timentium te, &c. quod etiam con-

Confirmatur ex Symboli articulo, Sanctorum communionem; omnes enim gaudebunt de bonis aliorum, ſecundum proportionem gratiæ, quam habebunt:

Vel dic clarius, meritum de condigno alicuius præmij, quod verè, & propriè dicitur meritum, eſt opus à voluntate elicitum, ad præmium alicui, ſecundum debitum iuſtitiæ retribuendum, acceptatum. Conſiſtit autem iuſtitia hæc quadam proportione meriti ad præmium, & æqualitate. Iuſtitia nempè ſtrictè capta, ſicut non reddit minus bonum pro maiori, ita nec maius bonum pro minori. Requiritur itaq; ad meritum de condigno proportio æqualitatis meriti ad præmium: quæ æqualitas attenditur penes duo, vel ex natura, & conditione intrinſeca meriti ad præmium, ita quod non ſit maius meritum, neque minus, quàm præmium, & è contra, ſed omnino ſit æqualitas meriti, & præmij: vel hæc æqualitas attenditur, ex ordinatione, vel pacto, aut conuẽtione, ſeu promiſſione præmiantis, quod patet exemplis.

Primi, quando merces commenſuratur vtilitati, quæ præmians conſequitur ex actu, & operatione merentis, vt ſi aliquis laboraret per totã diem, vel hebdomadã, aut menſem pro aliquo, & tantum eſſet præmiũ dantis, ſicut fuit opus, & meritũ laborantis, tùm illa iuſtitia appellatur æqualitas meriti ad præmiũ ex natura, & cõditione intrinſeca operis, & p̃mij: ita quod non ei, neq; minus, ſed tantũquantum meruit.

Secundi exemplum eſt; Si aliquis dominus conueniret eum aliquo homine, vt fideliter per vnum diem tantummodo laboraret in vineam ſuam, & ex liberalitate ſua promitteret ei ducentos aureos pro huiuſmodi labore: tunc conuetione facta, pacto, & inſtrumento, ſi homo ille fideliter laborauerit, de condigno ipſe meretur ducentos aureos, non propter æqualitatem operis ad præmium, ex natura, & conditione intrinſeca ipſius meriti, & pręmij; quia maius eſt p̃mium, quàm opus; meretur tamen homo ille ducentos aureos ex conuentione, & promiſſione illius domini promittentis, & liberaliter dantis, ſicut dicitur in euangelica parabola, Matth. 20. quando pater familias ordinauit diſpenſatori ſuo, vt tantum daret nouiſſimis, ſicut primis; & quia

 pri-

primi murmurabant, eo quod portarunt pondus diei, & æſtus, & tantum daret eis, ſicut nouiſſimis, qui vna tantũ hora laborauerunt, dixit vni illorum, Amice, non facio tibi iniuriam, nonne ex denario cõueniſti mecum? &c. Hæc autem ſententia, & æqualitas iuſtitiæ non fundatur ex natura, & conditione intrinſeca operis, & præmij, quia abſque vlla animi ambiguitate, maius eſt præmium, quàm meritum. At huiuſmodi Chriſti ſententia, & iuſtitia, fundatur in conuentione, vel promiſſione, ſeu pacto, &c.

Sed adhuc ſciendum eſt, quod ſiue iuſtitia, ſeu æqualitas iuſtitiæ attendatur ex natura, & conditione intrinſeca operis: ſiue ex ordinatione, & conuentione, aut promiſſione præmiantis, ad hoc, quod aliquod meritum, vel opus dicatur condignum alicui præmio, & è contra: Tria neceſſariò requiruntur, ſcilicet Operans, Opus, & Præmians: In operante requiritur, quòd ipſe ſit amicus; inimicus enim non æſtimatur dignus præmio, ſed pœna: Quare peccator nihil meretur apud Deum de condigno, quia non eſt amicus, ſed inimicus Dei: Odio enim ſunt Deo impius, & impietas eius, Sap. 4. Sap. 14.

In opere autem requiritur, quod illud opus operantis ſit ordinabile ad vtilitatem, vel honorem præmiantis: ideò opus exiſtentis in gratia, non ordinatum in Deum, non eſt meritorium condignè, ſicuti ſunt multa opera naturalia, vt Solem lucere, & actus indifferentes, vt fricatio capitis, qui non ſunt neque boni, neque mali: neceſſe eſt enim, vt opus operantis meritoriũ liberè, & voluntariè producatur à voluntate, & dirigatur in vltimum finem.

In præmiante verò requiritur acceptatio, ſiue ordinatio operis eliciti ad tale præmium; eſt autem hæc acceptatio, ſe ordinatio nihil aliud, niſi diuina voluntas, quæ ab æterno voluit opus illud à tali, & talibus principijs elicitum, eſſe meritorium de condigno præmij eſterni, & æterni.

Nam ſi Deus ſua infinita bonitate, & liberalitate vult aliquod bonum noſtræ liberæ voluntatis opus, eſſe æternæ vitæ meritorum, cur hoc negare audent Hæretici? Condignitas enim iſta attenditur ex diuina acceptatione; ab æterno enim

Digitized by Google

enim voluit Deus opera illa exiſtentis in gratia eſſe condigna æterno præmio. Quibus ſic declaratis, ſequitur, quod quilibet viator adultus exiſtens in gratia per opera bona, à voluntate ſimul, & à gratia elicita de condigno, & ex debito iuſtitiæ meretur præmium æternæ beatitudinis: dico de condigno, non ex æqualitate, & natura, ſeu conditione intrinſeca operis, & præmij: ſed & ex pacto, ordinatione, cõuentione, ſeu promiſſione præmiantis. Chriſtus enim fecit pactum, quando ſcilicet dedit legem, & promiſit quibuſcũque obſeruãtibus illam, dare præmium vitæ æternæ: & ſic nos ritè obſeruando legem, meremur de condigno vitam æternam ex promiſſione, & conuentione facta, vt ex Euangelio elicitur, Matth. 20. Nullus igitur viator, etiam exiſtẽs in gratia per opera bona, quæ facit, meretur de condigno vitam æternam, neque ex debito iuſtitiæ, prout tantum procedit ex libero arbitrio, ſed benè ex diuina gratia, de condiguo dico, non ex conuentione, aut promiſſione præmiantis, ſed ex æqualitate, & natura intrinſeca operis, & præmij: ita vt tantum ſit meritum, quantum eſt præmium: nam ſi homo per longum tempus virtuosè, & religiosè viueret, in maxima abſtinentia, & omnia Dei præcepta etiam cum Dei adiutorio obſeruaret, nunquam tamen mereretur vitæ æternæ præmium de condigno, & ex debito iuſtitiæ, ità vt tantum eſſet præmium vitæ æternæ, ſicut eſſent merita ſua, cum de ſe, & ex ſui natura, ſint parui momenti, & finita, & per conſequens non meritoria illius infiniti præmij: & hoc eſt, qđ dicitur, Rom. 8. cap. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futurã gloriam: & Luc. 17. Cum hæc oĩa feceritis, quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſerui inutiles ſumus.

Meritum autem congruum, ſiue de congruo, eſt opus à voluntate liberè elicitum ad aliquod bonum retribuẽdum acceptatum: non ſiquidem ex debito iuſtitiæ, ſed ex ſola acceptantis liberalitate, vt patet ex rationibus ſuperius adductis: ſed hoc differunt, quia meritum de condigno præſupponit gratiam, ſimulq; pactum, aut conuentionem, ſeu præmiantis promiſſionem, vt dictum eſt.

Meritum verò de congruo non præſupponit gratiam: po-

teſt enim premians aliquid retribuere operanti, intuitu alicuius operis congrui, ſed ex ſua liberalitate, etiam ei, qui eſt inimicus, vt conſtat de homine peccatore; cõtrito tamen, & pœnitente, cuius contritionẽ Deus acceptat ad gratiam elargiendam, facitq; preueniens auxilio gratiæ, & ex ſua liberalitate, illud pœnitentiæ opus, eſſe aliquo modo diuinę gratię meritorum: quoniam cuilibet ex diuina gratia facienti, quod in ſe eſt, ſemper Deus eſt paratus ſuam gratiam tribuere, D. Thom. p. 2. q. 1 12. art. 3.

Sed quoniam quæri poteſt ab aliquo, quid ſit facere, quod in ſe eſt, hoc etiam hic declarandũ eſſe arbitramur; pro quo ſciendum eſt primo, in quolibet homine, ſiue fidelis ſit, ſiue infidelis, rectã eſſe rationem per naturam, qua quilibet homo poteſt cognoſcere Deum ſuũ principium: Per hoc enim, quod quilibet homo naturaliter ſcit non ſemper fuiſſe, ſcit ſe factum eſſe, & habere principiũ, & ſcit, quod ab illo principio hab t quicquid habet boni, à quo debet petere bonũ, & ſuorum defectuum ſuppletionem, in cuius ſignum nulla fuit hominum natio, quæ voluerit eſſe ſine Deo, à quo neceſſaria, & ſubuentionem peteret, licet multi errantes, & decepti illos coluerunt pro Dijs, qui Dij non erant; cum ergo ſecundum illam rationem per liberum arbitrium operatur homo, recurrendo ad illũ, quem ſcit eſſe ſuum principium, & petit ab eo lumen cognitionis fidei, & boni, facit quod in ſe eſt, & generaliter eſt in quolibet homine infideli, aut peccatore, qui habet fidem informem; nihilomninus fides illa ad duo radiat, ſcilicet ad diuinam iuſtitiam damnantem reprobos, & ad diuinam miſericordiam ſaluantem electos. Si ergo auertat ſuum arbitrium ab actu peccati, conſiderando diuinam iuſtitiam damnantem reprobos, & cõuertat ipſum ad obediendum Deo, & diligendum Deum conſideratione miſericordiæ, qua ſaluat electos: ex primo generatur timor; ex ſecundo ſpes, & hoc faciẽdo, facit quod in ſe eſt; infidelis facit, quod in ſe eſt, quando liberum arbitrium ſuum cõformat rationi, ac toto corde petit, ac quærit illuminari ad cognoſcendam veritatem, iuſtitiam, & bonũ, exemplo Cornelij Centurionis act. 10.

Fide-

Fidelis verò facit, quod in ſe eſt, ſi ſecundum regulam fidei, deteſtatur peccatum, proponens in omnibus obedire Deo, & eius præcepta ſeruare: peccatum enim deteſtando, remouet obicem; volens autem Deo, tanquam ſummo bono obedire, propter ſeipſum Deum habet bonum motum in Deum: Et nota, quod duplex eſt obex, vel obſtaculum, ſeu impedimentum gratiæ, gratum facientis: quod idem eſt, ſcilicet mortale peccatũ, & actualis conſenſus peccati, ſeu complacentia, & perſeuerantia in illo; remouere autem peccatum in hominis non eſt poteſtate, quia ſolius Dei eſt remittere peccata: Poteſt tamen homo, ſecundum obicem remouere, deteſtando peccatum, ceſſando à perſeuerantia, & cõplacentia peccandi, & ab actu, & conſenſu peccati: Quid eſt enim obicem remouere, niſi deteſtari peccata? idq; ſuppoſito ſpeciali Dei auxilio in moralibus, iuxta veram Gregorij Ariminenſis doctrinam, ſine quo auxilio ſpeciali opus non eſſet moraliter bonum, carens debita finis circumſtantia. Supereſt modo, vt etiam aliqua declaremus circa verba, quæ à Theologis ſæpius repetuntur, videlicet quid ſit opus operatum, & opus operans: & hoc, quia Hæretici circa hoc ſacrificium altaris multa falſa machinati ſunt, improbando Doctores Theologos, & Catholicos, qui dicunt ſacrificiũ Miſſæ facere remiſſionem peccatorum ex opere operato; dicunt enim Hæretici vocem hanc, ex opere operato, non reperiri in ſacris litteris, neq; fuiſſe ab antiquis Doctoribus vſitatum, ſed nuper notam ad veritatis circumuolutionem: ſed quia Hæretici hoc complexum (ex opere operato) aliter accipiũt, quàm Theologi, idcircò rident, & eos calumniantur. Putãt enim Theologos ꝑ opus operatum intelligere ipſam ſacramentorum applicationem, ſiue actum ſacrificandi, baptizãdi, &c. quod nemo illorum vnquam cogitauit; immò illam applicationem, ſiue actum ſacrificãdi, baptizandi, &c. vocãt opus operantis: & per opus operatum, intelligunt ipſum opus, aut rem ipſam, quæ applicatur in ſe: & valere aliquid ex opere operato dicitur, cum ex re ipſa applicata, aliquis effectus vtilis ſequitur, & non ſolum ex opere operantis, hoc eſt, propter ſanctitatem, aut eius, qui applicat, vel recipit,

aut

aut vtitur: ſicut enim panis habet ex ſe, ſiue e natura ſua efficaciam nutriendi,& Rebarbarum detrahendi coleram ex ſeipſo,& non tantum ex imaginatione ſumentium, aut applicantium; ita ſacramenta à Chriſto ſunt inſtituta, vt eſſent alicuius diuinæ gratiæ in nobis ſigna, & inſtrumenta habētia in ſe efficaciam ad exequēdum ea, ad quæ ſunt inſtituta, non ponentibus obicem: ipſa enim habent efficaciam, non tantum ob operante, hoc eſt ob deuotionem, aut bonum motum voluntatis conferentium, aut ſuſcipientium, vt patet in baptiſmo paruulorum, à peccatore adminiſtrato, qui habet efficaciam regenerandi, non à cōferente, cum ſit malus, nec à paruulo, cum nullum actum voluntatis habeat, ſed in ſe ex diuina inſtitutione. Sacramenta enim non virtute propria, ſed Dei,& meritorum Chriſti operantur, quia ſunt media inter Deum, & animam illa recipientem, quod ex conc. Triden. ſeſſ. 6. cap. 7. confirmatur, dicit enim baptiſmum eſſe cauſam inſtrumentalem iuſtificationis.

Notandum præterea duo eſſe in quolibet ſacramento, vnum, quod facit Chriſtus, alterum, quod facit homo: Item notandum Chriſti opus, & eius virtutem in ſacramentis iuſtificare, & gratiam conferre, & non opus hominis: Notandum tertio, quod Eccleſia docet ſacramenta nouæ legis ex opere operato gratiam conferre, non ponentibus obicem. Quare dicendum eſt in omni ſacramento eſſe Dei virtutem, ſiue Chriſti opus, ipſe enim eſt, qui baptizat, qui offert, qui abſoluit à peccatis: vt habetur Io. 1. Sacerdos autem in adminiſtratione omnium ſacramentorum eſt tantum miniſter; ideò Paulus 1. Cor. 3. Nunquid in nomine Pauli baptizati eſtis? q. d. non. Ergo quicquid in ſacramentis fit, quantum ſcilicet opus in ſe eſt, hoc dicitur opus operatum. hoc Dei, ſiue Chriſti opus eſt, ipſe Deus baptizat, & remittit peccata,&c. Denique omnia ſacramenta, quo ad opus operatum, ſunt Dei opera,& viua, & virtuoſa, quæ Deus ſolus facit; hic nihil homo. Inſuper fides, & pœnitentia, quæ vt media in ſacramento exiguntur, ſunt hominis opera, ideſt licet etiam à Deo donentur, non tamen ſine conſenſu, & voluntate hominis ſunt efficacia. Marci enim vltimo habes;

Qui

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; Sacramentum in ſe eſt opus Chriſti, fides eſt etiam opus hominis: dum Chriſtus me baptizat, opus ſuum operatũ eſt; Dum ego credo, quod Chriſtus me baptizat, opus etiam meũ eſt, ſed quis non dicet hic opus Chriſti maius eſſe, quam opus hominis? & virtutem ſacramenti, quam Chriſtus donat, maiorem eſſe, quam fides mea? Baptiſmus igitur, & omne aliud ſacramẽtum in ſeipſo, & ſine reſpectu fidei meæ eſt opus operatum, vbi Chriſtus ſine me operatur: fides mea in baptiſmo eſt opus operans ad hoc conducens, vt ego apprehendam opus operatum, ideſt virtutem ſacramenti, quam ſolus Chriſtus operatur, Chriſtus enim baptizat, ego credo. Effectus ſacramenti baptiſmatis eſt iuſtificatio, ſed ad hunc effectum iuſtificationis in baptiſmo, quis magis facit? Chriſtus an fides mea? proculdubio Chriſtus, qui dat fidem, & iuſtificationem. Cum ergo dicitur ſacramenta conferunt gratiam ex opere operato, ſic volunt Doctores ſacramenta, quia ſunt Chriſti opus, ipſe enim illa inſtituit, ipſe baptizat, &c. Ideò ſemper habent efficaciam, & vt inſtrumenta phyſicè, vel moraliter conferunt gratiam, non ponentibus obicem per infidelitatem, aut per impœnitentiam. Præterea quod virtus ſit in ſacramentis ex Chriſti inſtitutione, nemo poteſt negare, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes, Matth. 9. & Marci 5. Si tetigero tantum fimbriam veſtimẽtis eius, ſalua ero. Quapropter concludendum ſic eſt, Doctores ſic loqui de opere operato Dei, ne quis dubitaret, cogitaretuè ſe non fore baptizatum, quamuis à malo miniſtro fuerit baptizatus modo in veritate Eccleſiæ, & cum inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis fuerit baptizatus.

Notandum hic quoque eſt duo eſſe, quæ impediunt hanc gratiam, ideſt ne ſacramenta ſuum ſortiantur effectũ, ad qđ ſunt inſtituta, nempè ponere obicem, ſeu impedimentum, hoc eſt non habere rectam fidem in mente, aut mortale peccatum in voluntate, de quo non habeatur contritio: ſed qđ in paruulis? Nota ſacramentum ſine motu animi, confert gratiam ex opere operato, ideſt diuina virtute, quæ aſſiſtit ſacramento, vt quæ in paruulis nondum ratione vtentibus,

quan-

quando baptizantur nullum animi motum habeat: Quia tamen innituntur fidei generali Eccleſiæ, & ſpeciali Patrinorum, eos ſuſcipientium chriſtianæ profeſſioni, rectè, & ritè ſunt baptizati, & recipiunt gratiam ex opere operato, vt iam dictum eſt.

Alteſio Dorenſis dicit, opus operans eſt ipſa oblatio, ſeu ipſa actio, ſeu celebratio: opus operatum eſt res imolata, ſeu Chriſti caro: vel ſecundum Tho. in 4. ſent. dicito ſic, in ſacramento ſunt conſideranda duo, videlicet ipſum ſacramentum, quod à quibuſdam dicitur opus operatum, & vſus ſacramenti, videlicet operatio adminiſtrantis, ſeu offerentis ſacramentum, quod à quibuſdam dicitur opus operans.

Aliquot præterea ſuperſunt dubia declaranda circa Miſſæ ſacrificium: An, videlicet ſacerdos quicunq; ſit, poſſit vnica Miſſa pro pluribus ſatisfacere: cui dubio reſpondentes dicimus, præter ea, quæ ſuperius dicta ſunt de valore Miſſæ, iuxta mentem Scoti quol. 20. triplicem eſſe valorem boni operis, & meritorij, videlicet ſpecialem, ſpecialiſſimum, & generaliſſimum.

Valor ſpecialis eſt, qui competit perſonis, pro quibus offertur ſacrificium.

Valor ſpecialiſſimus eſt, qui applicatur ipſi oranti, vel aliquod aliud bonum opus facienti.

Valor autem generaliſſimus eſt totius Eccleſiæ, qui omnibus fidelibus conuenit, iuxta illud Symboli Apoſtolorum, Sanctorum communionem: quam diſtinctionem ferè omnes Theologi ſequuntur, & præſertim Adrianus quol. 8. art. 3. Gabr. in canone miſſæ lect. 25. Sotus in lib. ſent. d. 3. q. 2. art. 1. & lib. 9. de iuſt. & iure q. 2. art. 2. Item Couar. in cap. alma mater par. 1. §. 5. nu. 5. de ſent. excom. lib. 6.

Nota ſecundo, offerentes, vel pro quibus offertur ſacrificium, aut oratur, vel aliud opus meritorium efficitur, quibus debetur valor ſpecialis lucrari valorem ſacrificij tribus modis, videlicet, vt ſupra dictum eſt, per modum meriti, ideſt, quod ex parte operis operati, hoc eſt ipſius ſacrificij altaris, lucror ego tot gradus meriti, pro quibus in alia vita totidem gradus gloriæ mihi debentur, vt patet exemplo: Ego ſum

in

in gratia, facio opus bonũ, conſequor valorem meritorum ad vitam æternã : ſi verò extra charitatem exiſto, ſumq; culpa mortali affectus, aliquod bonum faciendo, gradus gratię non acquiro de condigno ; ſed tantum de congruo Deus facit, vt illud bonum opus ſit diſpoſitiuum ad gratiam, & ad alia plura vtile: vt notat Syluester verbo charitas, q.8.& habetur gloſ. in cap. quid ergo, de pœnit. diſt. 3. Secundò, lucrantur offerentes valorem ſacrificij per modum ſatisfactionis : vtputa, egò facio bona opera, hæc ſunt ſatisfactoria, quia per illa conſequor remiſſionem pœnæ de peccatis commiſſis: ſed quia in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis, iuxta illud Euangelij de vidua offerente in gazofilacium : Ideò quamuis valor huius ſacrificij ex ſui quantitate, & natura, ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna : ſit tamen ſatisfactoria oblatio huius ſacrificij illis, pro quibus offertur, ſecundum quantitatem deuotionis illorum, & pro tota pœna, iuxta mentem D. Thomæ in 3.p.q.79.art.5. Tertiò lucrantur offerentes, & ij, pro quibus offertur, valorem huius ſacrificij per modum impetrationis : quia vel de congruo per hanc oblationem impetratur ijs, pro quibus offertur, aliquod bonum temporale, vel facilior illuſtratio mentis, vel de condigno ſatisfactio pro peccatis.

Nota tertio, valorem Miſſæ dupliciter cõſiderari, ſcilicet, vt eſt valor infinitus, vt eſt valor finitus, vnde quamuis Miſſa aliqua poſſit eſſe valoris infiniti, vt eſt ſacrificium, eſt tamen finiti valoris, vt eſt actio quædam, ſiue modus offerendi. Nec obſtat, quod prima oblatio facta in cruce a Chriſto, qui eſt infinitus, ſit infinita : quoniã illa à ſacerdote infinito Deo, & homine, iſta verò à ſacerdote homine tantùm, & finito.

Nota quarto, Miſſam habere triplicem rationem, videlicet ſacramenti, ſacrificij, & orationum. Valet igitur, vt ſacramentum eſt inquantum ſumitur altaris hoſtia a ſacerdote, & conſecratur, vel ſumitur à communicantibus ; vel cum conſeruatur in cuſtodia : vel cum defertur ad infirmum, & in publicis ſupplicationibus, vt habetur in cap. ſanè, de celebrat. miſſ.

Secundo, habet rationem ſacrificij, dum offertur à ſacerdote, & ſacrificium conſiſtit in oblatione. Igitur effectum ſacramenti habet Miſſa in eo, qui ſumit, effectum autem ſacrificij in eo, qui offert, vel in ijs, pro quibus offertur: Ita tenet D. Thom. 3. p. q. 79. art. 5.

Habet tertio rationem orationum, dum alta voce profert ſacerdos collectas Sanctorum: Quapropter Miſſa ratione ſacramenti prodeſt tantum ſumentibus dignè: Ratione ſacrificij prodeſt omnibus offerentibus: Ratione verò orationum ſuſcipit valorem à deuotione, & affectu ſacerdotis orantis, & illorum, quorum nomine orationes fiunt. Quare dicendum eſt, Miſſam, vt ſacramentum eſt, habere valorem, & proprium effectum ex opere operato: & ſic ex Chriſti inſtitutione eodem modo ſi fiat à bono, quo ſi fieret à malo ſacerdote, vt tex. in cap. intra, 1. q. 1. quia operatur ſuum effectum abſq; meritis operantis: quo tamen ad ſacrificium propter deuotionem offerētis, maioris valoris eſt Miſſa boni, quàm mali ſacerdotis. Si verò valorem Miſſæ conſideres ex parte offerentis, ſeu opus operantis, ideſt ipſius ſacerdotis, vt qui gerit perſonam totius Eccleſiæ, tunc quantum ad hoc, non ſolū eſt fructuoſa oratio ſacerdotis mali in Miſſa, ſed etiam omnes aliæ orationes, quas facit in officijs eccleſiaſticis, in quibus gerit perſonam Eccleſiæ: Quibus ſic præmiſſis, reſoluitur dubium, an vnica Miſſa poſſit pluribus ſatisfieri. Quia dictum eſt ſupra, valorem, quoad applicationem eſſe finitæ virtutis, conſtat ſacrificium factū pro pluribus, non tantum prodeſſe cuilibet ex illis, quantum ſi pro vno tantum fuiſſet exhibitum: Et propterea dicemus ſacerdotem, qui eſt obligatus pro aliquo dicere Miſſam, ſi eidem non applicat totam illam partem, quam applicare tenetur, ſed adiungit alios peccare mortaliter, & non ſatisfacere ſuæ obligationi; quia licet in ſacramento Euchariſtiæ ſit plenitudo gratiæ, & meriti ſpiritualis, tamen quoad fructum cōferendum, tam in ratione ſatisfactionis, quàm doni gratuiti collationis conſtituit ipſum limitantem, vt D. Thom receptus in dicta q. 79. art. 5. & Gabr. in canone miſſæ lect. 27. & Nauarr. cap. 22. nu. 92. & 110. affirmant. Dicimus præ-

terea valorem Miſſæ ex parte ſacrificij, ſiue Chriſti oblati in ſacrificio eſſe infinitum, quia Chriſtus eſt infinitus, vt cõmuniter tenent omnes; citra controuerſiam; quia tamen hoc ſacrificium non operatur, niſi per applicationem, & applicatio cum fiat per creaturas, quæ ſunt finitæ, ſequitur illud non operari infinitè. Et propterea dicemus, quamuis Chriſti virtus, quæ continetur in ſacramento Euchariſtiæ ſit infinita, eius tamen effectum determinatum eſſe ad illum, ad quem illud ſacramentum ordinatur; & ſic reſpondendum erit aliæ dubitationi: An Miſſa de Sancto, vel de feria, tantùm valeat pro defunctis, quantum valet Miſſa de requiem: Cui dicendum eſt, Miſſam de Sancto, vel de feria, quo ad ſacrificiũ ita prodeſſe defunctis, ſicut Miſſa de requiẽ, quo verò ad orationes, & preces magis ꝓdeſt miſſa de requiẽ, quã alia.

Præterea ſi quæratur, an Miſſa priuata dicta pro pluribus, proſit cuilibet eorum, ac ſi pro quolibet illorum diceretur: Cui reſpondendum eſt, Doctores circa hoc variare. Quidam enim dicunt vnam Miſſam non amittere vim ſuæ ſatisfactionis pro primo offerente, ex eo, quod pro ſecundo, tertio, & decimo offeratur, ſicut quantitas deuotionis vnius, non tollit de quantitate deuotionis alterius; immò & ſi pro infinitis offerri poſſit, eundem valorem habere in ſingulis: Hæc eſt opinio Caietani tàm in tertia parte, q. 79. art. 5. quàm in opuſc. tomo 3. q. 2. de celebr. miſſ. & allegatur à Soto in 4. ſent. diſ. 13. q. 2. art. 1.

Syluester autem diſtinguendo dicit, ſi oblatio fiat generatim, non applicando intentionem ad hunc, vel illum, ſed ad omnes in genere, non tantùm prodeſt ſingulis: ſi verò pro ſingulis ſigillatim offeratur, tantum prodeſt ſingulis, quantum ſi pro vno tantum offeratur, verbo miſſa 1. §. 9.

Alij dicũt, ſi ſacerdos eſt celebraturus pro aliquo, vel pro aliquibus, dummodo nõ promiſerit alicui de merito totius illius Miſſæ, & ſuperueniat alius, vel plures rogantes, vt celebretur pro animabus defunctorum ſuorum, poteſt omnes acceptare, & valet pro omnibus, ſecundum deuotionem offerentium: vnde ſacerdos debet eſſe cautus, vt nulli promittat ſpecialiter, & dicat, rogabo pro eo, &c. ita ſentit Armil-

la verbo miſſa, §. 33. cui etiam Angelica conſentire videtur.

Alij verò multi dicunt, & credo melius, vnam Miſſam pro pluribus dictã, non tantum valere pro quolibet illorum, quantum valeret dicta pro vno tantùm; quia videlicet effectus oblationis, & precum, quem ſacerdos liberè, vt miniſter Eccleſiæ poteſt, ſingularibus perſonis applicare, eſt certus, & terminatus, atque ſi diuideretur in plures partes, minus cuique prodeſſet: nam ſi pro Petro, & Paulo ſacerdos offerat, tunc minus valet pro Petro illa Miſſa, quàm ſi pro ipſo Petro ſolo diceretur, quia dum ſacerdos pro ſolo Petro offert, aut pro ſolo Paulo applicat ei totum valorem Miſſæ, quem illi poteſt applicare. Dum autem celebrat pro ambobus, tunc diuidit valorem inter eos, & ſic non tantum obuenit cuilibet ipſorum, quantum ſi pro ſingulis ſigillatim offeret. Et hæc opinio videtur tutior, & verior, quam ſequũtur Palud. 4. ſent. diſ. 45. q. 2. Sotus diſ. 13. q. 2. ar. 1. Scotus quol. 10. Viguerius de ſacram. euchar. verſ. 16. Nauarrus cap. 25. num. 92. Nam qui ſpecialiter petit pro ſe, vel pro amicò ſuo viuo, vel mortuo Miſſam celebrari, intendit habere totius Miſſæ valorẽ, non autem partem illius ad ſatisfaciendum, vt benè notat D. Anton. prima parte, tit. 10. cap. 2. §. 4. Nam qui dat ſacerdoti eleemoſynam, vt pro ſe celebret, ſi ſciret illum alteri promiſiſſe, proculdubio alium quæreret ſacerdotem celebrantem, vt notat Viguerius de ſacram. euchar. verſ. 16.

Præterea ſacerdos, qui promiſit alicui dicere Miſſam de aliquo Sancto particulari, vel in tali Eccleſia, vel altari tenetur ſtare promiſſis, alter infideliter agit, & non ſatisfacit; ita tenent Angelus verbo miſſæ, §. 52. & Armilla §. 36. Si verò pluribus ſigillatim promiſit celebrare vnã Miſſam pro ſingulis, & poſtea non celebrat niſi vnam, pro omnibus non ſatisfacit, promiſit enim tres Miſſas, non vna tantùm: Ita tenet Palud. in 4. ſent. & S. Anton. prima parte, tit. 10. cap. 2. §. 4. & Armilla verbo miſſa, §. 35. & vt dicit Scotus quol. 20. cum Nauarro cap. 25. num. 110. & Sotus 4. ſent. diſt. 13. q. 2. art. 2. & ratio eſt, quia qui tribus ſigillatim promittit vnam Miſſam, & poſtea vnam tantum dicit pro omnibus,

non

Digitized by Google

non applicat totum valorem trium Miſſarum, ſed vnius tan tum, & illum diuidit in tres partes: Ita tenet Nauarrus cap. 25. num. 92. ergo mortaliter peccat, nec excuſat in hoc paupertas celebrantis; quia, vt Nauar. docet, paupertas nō tollit iuſtitiam, nec id, quod eſt alteri debitum ex iuſtitia, arg. cap. ex tenore, de foro comp.

Aliud dubium eſt, an liceat pro Miſſis celebrãdis aliquid accipere: Reſpondetur, ſi quis pecuniam, vel aliquid aliud acciperet tanquam pretium conſecrationis Euchariſtiæ, vel ipſius Miſſæ, crimen incurreret ſimoniæ, quod nulla poſſet conſuetudine excuſari; ſi verò acciperet ad ſui, vel eorum ſuſtentationem, qui ſacramenta miniſtrãt, quaſi ſtipendium ſuſtentationis, iuxta ordinationis Eccleſiæ, non eſſet ſimonia, neque peccatum, iuxta mentem D. Thomæ 4. ſent. diſ. 25. q. 3. art. 2. & in 22. q. 100. art. 2. & ſancti Anton. in 2. parte tit. 1. cap. 5. §. 16. pro qua ſuſtentatione poſſet ſtatui certa quædam eleæmoſyna, vt in aliquibus diœceſibus ſancitũ eſt: Epiſcopus tamen hoc iubere non debet, quia Miſſa non eſt pecunia æſtimabilis; ſed & ſacrum concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 4. de reform. ſtatuit, vt Epiſcopi omnino prohibeant, ne quid pro Miſſis nouis celebrandis detur.

Præterea videndum eſt, an qui promiſit alicui dicere plures Miſſas, puta vnã de ſancto Antonio, aliam de Beata Virgine, & aliam pro defunctis, vt ſæpè accidit, ſacerdoti curato ſolo, ſatisfaciat, dicendo Miſſam de Beata Virgine, cum orationibus tantùm de ſancto Antonio, & pro defunctis: cui dubio reſpondetur, qui dat eleæmoſynã, vt celebretur Miſſa, non intendit habere tantummodo orationes, ſed Miſſam cum valore illius; ſacerdos itaq; aliter faciens, iniuſtè facit, & non ſatisfacit dicendo orationẽ pro miſſa. Si tamen illi priuilegium fuiſſet conceſſum, vt quibuſdam Religioſis conceſſum eſt per Pontificem, vt vnam orationem pro Miſſa diceret, ſatisfaceret.

De ſuffragijs verò pro defunctis ſupereſt notãdum, ſuffragia quo ad valorem operis operantis, dupliciter conſiderari: Vno modo, vt fiunt proprio nomine: Alio modo, vt fiũt nomine alterius; quod duobus modis poteſt contingere

vno,

Digitized by Google

vno, vt fiunt nomine totius Eccleſiæ, altero, vt quando quis agit tanquam inſtrumentum alterius priuatæ perſonæ, committentis alteri orationes, aut ſacrificia: Vbi notandum eſt, quod Miſſa, & ſuffragia valent illis, pro quibus offeruntur, non ſolum ex deuotione Eccleſiæ imperantis illa ſuffragia; ſed ex deuotione etiam illius, qui talia ſuffragia mandauit pro ſe fieri; & propterea quãuis ſacerdos ſit malus, vel nullam habeat deuotionem in celebrando, dum tamen celebrat pro anima alicuius, ſacrificium valet ei, ex deuotione Eccleſiæ, & illius, qui mandauit celebrari: vnde ſuffragia facta per malos miniſtros, ex Eccleſiæ præcepto, aut defuncti, qui præcepit ea fieri, valeant illi, & ſic deuotio imperantis, facit idem, quod exequentis: Ita S. Thom. 4. ſent. diſt. 45. q. 2. ar. 1. q. 3. & Vigner. de ſacram. euchar. verſ. 15. Plus tamen valet Miſſa, & oblatio, & oratio boni ſacerdotis, & in gratia exiſtentis, quàm mali: nam quãto magis ſacerdotes ſunt digniores, tanto facilius à Deo exaudiuntur, vt habes in decretis 1. q. 1. Sed cum duo ſint conſideranda in Miſſa, videlicet ipſum ſacrificium, ſeu ſacramentum, & orationes, quæ in ea dicuntur à ſacerdote: ideò quantũ ad ſacrificium, tantum valet Miſſa mali, quantum Miſſa boni ſacerdotis; quia vterque conficit idem ſacramentum, quod non vitiatur ex malitia mali ſacerdotis, aut miniſtri vnquam, cum habet intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, licet ſibi ipſi damnationem acquirat, ſi eſt malus, & ſi in peccato mortali celebrat, aut miniſtrat.

Quantũ verò ad orationes, ſi cõſiderentur vt fiunt à celebrante in perſona Eccleſiæ, tunc tm̃ valent, quæ dicũtur à malo, quantũ q̃ dicunt à bono. Si verò cõſideres orationes, ꝓut procedunt à ſacerdote, vt priuata perſona, tunc maioris efficaciæ ſunt orationes boni, q̃ mali: Miſſa itaque boni ſacerdotis, dum pro aliquo dicitur, valet pro illo tùm ex parte ſacramenti, tùm ex parte ſacerdotis, gerentis vicem Eccleſiæ, tùm etiam, vt priuatæ perſonæ: Ita S. Thom. 4. ſent. diſt. 13. q. 1. ar. 1. q. 5. Sotus 4. ſent. diſt. 13. q. 1. art. 6. Nauarrus cap. 25. num. 79. Quod non eſt mirum, videmus enim aliquãdo opus miſericordiæ, quod facit ſeruus in peccato exiſtens,

ſtens, ex præcepto domini ſui, charitatem habentis, eſſe meritorium, non vt à ſeruo peccatori procedit, ſed vt procedit à domino illud imperante: ſic orationes, quæ fiunt à malo ſacerdote ex perſona Eccleſiæ, quæ eſt in charitate ſunt meritoriæ. Si verò aliquis celebret pro anima alicuius, qui non indiget illis ſuffragijs, vel quia eſt in Paradiſo, vel in Inferno, fruſtra ne erit illud ſacrificium oblatum? Reſpondetur tunc diuinam miſericordiam diſpẽſare valorem illius ſacrificij illis, qui indigent, licet pro eis non ſit oblatum, hoc S. Thom. 4. ſent. diſt. 45. q. 2. art. 4. q. 2. ad 2.

An verò valeant tãtum Miſſæ continuatæ, quantum Miſſæ multiplicatæ, hoc eſt, an triginta Miſſæ dictę per triginta dies continuò, tantum valeant, quantũ triginta dictæ in vno die à diuerſis ſacerdotibus? Dic proculdubio plus valere pro anima defuncti triginta Miſſæ ſi in vno die omnes dicantur, quam ſi per triginta dies; quia ad celeriorem liberationem à pœnis Purgatorij, plus valet accelerata multiplicatio ſuffragiorum, quia ſacramentũ habitum in propoſito tantùm, nunquam ita valet ad pœnæ remiſſionem ex opere operato, quantum ad actum exercitatum, ſecundum Petr. de Palud. relatum à D. Anton. prima par. tit. 10. cap. 2. §. 5.

De quibuſdam remedijs circa ea, quæ in Miſſa accidere ſæpè contigit. Cap. XV.

MVlta poſſunt in Miſſa pericula, atq; accidentia occurrere: quibus prompta debet celebrans habere remedia; & quamuis multa ſint, ad aliquot tamen principaliorum reduci poterunt; per quę de alijs, ſi quando accidant, poterit indicari.

Primum igitur periculum erit, cum in altari ſacerdos impeditur quominus poſſit ſacrificium abſoluere, vel quia moritur, vel quia dementatur, vel quia morbo aliquo proſecutionem impediente corripitur. Tunc cum diſtinctione, erit reſponſio: puta, vel illud accidit ante conſecrationem, vel poſt; ſi ante, alius ſacerdos non debet perficere: ſi verò eſt poſt conſecrationem, tunc alius ſacerdos poterit ſubſtitui,

qui abſoluat, continuando à parte relicta ab alio: hoc enim habetur 7. q. 1. can. nihil, ex conc. Tolet. in quo caſu poteſt ſacerdos non ieiunus tale ſacrificiū perficere: Syluester verbo euchar. 2. §. 12. tenet, quod debet eſſe ieiunus: oppoſitum tenet Sotus diſt. 13. q. 2. ar. 6. cum non adeſt copia alterius ſacerdotis: minus enim eſt hoc præceptum de ieiunio, quàm de ſacramento perficiendo: Attende tamen, quod in concilio non ponitur obligatio ſacerdoti, vt fiat, ſed tantum facultas conceditur; vnde fit, quod ſi eſſet ſacerdos concubinarius ibi, vel alius exiſtens in peccato, niſi eſſet aliquod ſcandalum graue, quod ſequeretur ex omiſſione illius ſacri imperfecti, non debeat celebrare: in quo caſu alius non exiſtens in peccato, tenetur celebrare; quod ſi illud ſacrum maneret imperfectum, tunc ſacramentum debet reponi in ſacrario, & ſimiliter ſanguis, donec altera die ab alio ſacerdote ſumatur; quod ſi interim ſpecies vini corrumpantur, tunc corruptæ debent effundi in piſcinam, ſeu ſacrarium.

Alterum periculum eſt, cum aliquis in ſacro recordatur alicuius commiſſi peccati, cuius non habuit contritionem, & de quo non pœnituit, nec illud eſt confeſſus, vel recordatur ſe non eſſe ieiunum, tunc eadem diſtinctione eſt procedēdum: ſi enim eſt poſt conſecrationem, debet pœnitere, & proſequi quātumuis ſit peccatum cum excommunicatione, vel irregularitate coniunctum; nec inde contrahit cenſurā, vel peccatū, ſi oblitus eſt ſine culpa ſua; ſi verò eſt ante conſecrationem, tunc ſi tantum eſt peccatum, poteſt pœnitere, & celebrare; ſi tamen eſt excōmmunicatio, vel irregularitas, vel non ieiunium, debet recedere, niſi ſequatur ſcandalum circunſtantium.

Tertium periculum eſt, quando aliquid incidit in ſanguinem, impediēs ſumptionem, quod tripliciter poteſt contingere; aut enim eſt venenum, quod appoſitum fuit ignorante ſacerdote, & poſt cōſecrationem eſt admonitus, tunc non debet ſumere, ſed nouum vinum apponere, & conſecrare, illud autem conſeruandum eſt in ſacrario, donec ſpecies corrumpantur, & corruptæ, in piſcinam proijciendæ ſunt.

Secundo, vel poteſt eſſe, vt aliquod animal venenoſum, inci-

incidat; & tunc ſimili modo eſt procedendum.

Tertio, poteſt eſſe aliquod animal non venenoſum, ſed tamen horridum, vt Veſpa, Aranea, vel quid ſimile; tunc extrahendum eſt, & lauandum, & lotio ſumenda poſt ſanguinē; animal aūt comburatur, & cineres in ſacrario reponātur; At ſi non eſt animal horridum, vt Pulex, parua Muſca, diglutiatur cum ſanguine: ſi tamen hæc omnia accidunt ante conſecrationem, effundatur tale vinum, & apponatur nouum.

Quartum periculum eſt, cum ſacerdos in altari non recordatur ſe appoſuiſſe aquam in vino, tunc ſi eſt ante ſanguinis conſecrationem debet ponere; ſi verò poſt, nullo modo, non eſt enim de eſſentia ſacramenti; quod ſi vinum non eſſet appoſitum, tunc neceſſariò eſt ponendum, quamuis poſt verba conſecrationis, quæ iterū ſunt repetenda; & hoc etiam fiet, quamuis ſit poſt hoſtiæ ſumptionem: quamuis aliqui velint, quod debeat noua etiam hoſtia poni, conſecranda: ſed non eſt neceſſarium: de hoc vide canon. 32. conc. Conſtant. 6. vbi dicitur eſſe traditio à Iacobo fratre Domini, qđ vino apponeretur aqua.

Quintum periculum eſt, quando accidit aliquid miraculum, quod corpus apparet poſt conſecrationem in ſpecie carnis, aut ſanguinis in propria ſpecie: Tunc certiſſimum eſt, non debet ſumi, ſed conſeruari in ſacrario, non tamen obligatur ſacerdos ad nouam conſecrationem, vt habetur in S. Thom. 3. p. q. 82. ar. 4. quia miraculum liberat ſacerdotem ab obligatione perficiendi ſacrum: tamen, vt ibi dicit Caietanus, poteſt, ſi vult, iterum conſecrare, & ſumere.

Sextum eſt, cum aliqua ſanguinis gutta cadit, tunc multipliciter poteſt accidere; de quo vide de conſecr. diſ. 2. can. ſi per negligentiam: vbi præcipitur, quod ſi cadat, idq; per negligentiam in tabulam, lambat, & radat tabulam: ſi in terram, lambat, & comburat terram, & cineres ponantur in ſacrario, & pœniteat quadraginta dies: ſi verò cadat ſuper altare, ſorbeat, & pœniteat tribus diebus; ſi ſupra primum linteum, & perueniat ad ſecundum, quatuor diebus; ſi vſq; ad tertium, nouem diebus; ſi vſq; ad quartum, viginti die-

bus, & linteum ter lauetur, & lotio recondatur iuxta altare, vel ſumatur à miniſtro: nunc verò ſolet abſcindi illa pars lintei, & comburi, & cineres in ſacrarium poni. Pœnitentia iſta erat impoſita ieiunij, & abſtinētiæ à celebrando, ſed modo non eſt in vſu, licet grauiter peccet is, cui ex negligentia id contigerit; in eadem diſt. dicitur de vomitu, cum enim vomitus accidit propter ebrietatem, voracitatem, ſi clericus eſt ſecularis, pœniteat quadraginta diebus; ſi monacus 70. ſi Epiſcopus, nonaginta; modo non eſt in vſu hæc pœnitentia, ſed eſt graue peccatum ſic accedere ad altare: quod ſi ex infirmitate olim pœnitebat ſeptem diebus: modo non, ſed eſt peccatum, quando timebat probabiliter vomitum, & celebrauit. Cum ergo accidunt iſta, tunc quærendæ ſunt particulæ, ſi quæ poſſunt inueniri, & in ſacrarium reponere.

Septimum, cōtingit aliquando, vt hoſtia cadat de manu in calicem ante fractionem, ita vt nulla poſſit fieri fractio, propter hoſtiæ madefactionem: tunc cōtinuandum eſt ſacrum, nihilq; repetendum, quia illa non ſunt de eſſentia ſacrificij, quod ſi commodè poſſet fieri, tunc ſaltem in reſidua aliqua parte hoſtiæ, deberent fieri ſigna, & fractiones ſolitæ.

Octauum, aliquando accidit circa verba, vt proferens penitus obliuiſcatur an illa protulerit, quod ſi eſt aliquod verbum ex alijs præter verba cōſecrationis, poſtquam iam alia verba ſucceſſerunt, non eſt curandū repetere: tamen de verbis conſecrationis eſt difficultas, & non quodcunq; dubium ſufficit, vt repetatur, nam multa proferuntur certo ex vſu, quorū non meminimus an fuerint prolata, ſi ſupra id reflectamur nullo modo protulerit, debet omnino proferre. Vnde ſcrupuloſi debent multum quieſcere in hoc; licet enim non recordentur, non ob id ſtatim repetenda ſunt; cum tamen alicui videtur certū ſe non dixiſſe, vt valdè probabiliter dubitat, poteſt repetere, nec vllum periculum, licet accidat, quod ſemel protulerit: Ita tenuit doctiſsimus Toletus in lectionibus.

Nonum, poteſt tandem accidere aliquid impediens, ne ſacrum abſoluatur, vt ſi celebrante ſacerdote, adueniat aliquis volens ipſum occidere, vel inimici, ſeu hoſtes è prælio,

vel domus corruat: tunc ſi eſt ante conſecrationem, poteſt diſcedere: ſi verò poſt, licet ei ſtatim cõſumere: quod ſi non credit, poterit ſacramentum cum corporalibus extrahere: quod ſi non, aliqui dicunt, quod ſubeat mortẽ; ſed ego non credo, quia nulla ratio, nec textus id probat, ſed licet ei diſcedere, nam ſi permanet, occidetur, & adhuc ſacrificium manebit imperfectum; melius ergo eſt, quod maneat ſic, & ſaluetur ſacerdos: Attende tamen, quod ſi aliquis in contemptum fidei vellet eum occidere, ſi à ſacro non deſiſteret, tunc propter fidem tenetur continuare, & mori, non ſolum poſt conſecrationem, ſed etiam ante illam.

†

LIBER QVARTVS:

IN QVO AGITVR

De pertinentibus ad Sacerdotes curatos, ſeu beneficiarios, & confeſſarios.

CVM naſcentis Eccleſiæ ſacerdotũ, maiorumq; noſtrorum non minus magnifica, quàm glorioſa geſta, memoria repeto, quæ tot, tantaq; fuerunt, vt non doctos tantum codices, ſed multorum virorum ora compleuerint; non poſſum non valdè mirari, maximam nonnullorum noſtri temporis ſacerdotum negligentiã, aut potius inertem ignauiam; qui cum optima habeant ingenia, cumque maiorum ſuorum quamplurima monumenta intueantur; nulla tamen ope nituntur, immortalem eorum famam, aut totis viribus adæquare, aut ſaltem illorum quempiam eligere; cuius virtutes pro virili ſua imitantes, ſibi magno potius dedecori, q̃ honori eius gloriam fore arbitrarentur, niſi doctrina, moribus, & vitæ ſanctimonia, atque integritate, eos antecellerent, quos huc referre ſtuduiſſem, niſi quid aliud hoc noſtrũ inſtitutum expoſceret: hoc tantum nobis ſatis futurum iudicantes, ſi ſaltem diſcamus in poſterum, vetariq; peregrinantes, vitam more pecudum tranſeamus: ac veluti pecora corpori tantummodo indulgentes, quod ſupereſt vitæ ſilentio tranſigamus; quo certè nil turpius, niluè deteſtabilius, aut libero homine, & præſertim ſacerdote, curã animarum gerente, magis indignum poterat iudicari: quippequi alios docturus, negotium ſumpſerit, ipſe ignorantiæ tenebris volutetur, & tanquam ductor cæcus, viam cæcis commoſtrare contendat: quare cum omnes artifices in ſua arte periti

ſunt,

ſunt,vt eſſe conentur,cur animarum rectores, artiſq́, artium artifices dormitabunt? Ignorantiamq́; malorum omnium radicem, ex eorum mentibus radicitus extirpare negligent? Hic enim ſacramenta tractantur, & ſalus animarum,pro quibus Chriſtus ſanguinem ſuum effudiſſe compertum eſt: Nihil igitur pernicioſius Eccleſiæ Dei, nihilq́; ipſorum ſacerdotum animis peſtilentius, quàm ignorantia: quod indicare ipſe Chriſtus videtur, Matth. 6. cum dixit, Si lumen,quod in te eſt,tenebræ ſunt,ipſæ tenebrę quantę erũt? quaſi dicere voluiſſet; Si ſacerdotes, qui ſunt lux mundi, ipſi viam ignorant, ſibi ipſis primum perniciem parant. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt, Matth. 2. & 6. Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votũ faciens immolat debile domino: Ad vos, inquit, mãdatum hoc, ò ſacerdotes, qui cum voviſtis caſtitatem, & ſcientiam promittentes Epiſcopo, vobis manuus imponenti, vt conſecraret, nihil facitis, ſed domino debile ignorantiæ, & vitiorum offertis onus; nos ſemel cœlorum Regi immortali conſecrauimus, eiusq; vultui ſemper oportet aſſiſtere: Si igitur habentes maſculum in noſtro grege, ideſt robur animi, & aptitudinem ad diſcendũ, & immolauerimus debile, ideſt otio, & torpoſi nos tradiderimus, facite quod minatur. Mittam, inquit, in vos egeſtatem, non modo rerum temporalium, ſed ſpiritualium, & maledicam benedictionibus veſtris: imprecatio nanq́; illa Epiſcopi nos conſecrãtis, vertetur in noſtram maledictionem, ſecordia noſtra, impoſitio illa manuum, qua plenitudo Spiritus ſancti ſignificatur verſa videtur eſſe in plenitudinem vitiorum; & omnia noſtra opera, quibus Deo altiſſimo miniſtramus vertentur in noſtram perniciem: Auferetur à nobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius: Iam ferè funditus, ac radicitus propter ignauiã, & ignorantiam ſacerdotum, euerſa erat vinea Domini, ideſt Eccleſia, iacet enim miſera tota Germania, ingemiſcit Gallia, iam obruta penitus eſt Anglia, & aliæ, quamplurimæ Chriſtianorum Prouinciæ, Inſulæ, & Regna; India parturit Chriſtum, & tantorum malorum, quę

fuit

fuit cauſa? Cauſam ipſe explicat dum ſubiungit: Quia non poſuiſtis ſuper cor: hoc eſt, vt D. Hieronymus interpretatur, quia noluiſtis intelligere, quæ dicuntur, quia ignoraſtis Deum, & eius voluntatem. Quapropter acrius etiam cōminatur, cum dicit; Ecce ego proijciam vobis brachium, ideſt potentiam meam, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum, & aſſumet vos ſecum; Nihil certè horribilius, quam cum Deus vertit in noſtrā ignominiam, quod dederat in dignitatem, quod hodie apparet: Vbinam ſunt Hæbreorum ſacerdotes? Vbi illorum ampliſſima dignitas, vbi illorum hoſtiæ, ſacrificia, templa, altaria, illaq; omnia, quibus præceteris nationibus gloriabantur? Pactum meū cum Leui, dicit Dominus: per Leui omnes ſacerdotes, miniſtroſq; eccleſiaſtici ordinis comprehendit, quorum ornamenta, leges, opera, honor, pactum, vitæ, & pacis ſunt; Quorum remiſeritis, remittuntur eis, &c. Quicquid ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis: Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis. At quomodo hæc omnia poſſunt abſque ſcientia exerceri? Quæ ſi pro illis ſacerdotibus exigebatur, quanto magis in nobis? Maior .n. noſtra eſt dignitas, maius opus: & ſi nos ſtipendia temporalia à populo quærimus, quanto æquius ille à nobis exiget ſpiritualia? Et ſubiungens Dominus per Prophetam dicit; Quæ quia non ſeruauiſtis, & accepiſtis faciem in lege, ideſt non ſecundum veritatem, & ſcientiam legis iudicaſtis, dedit vos contemptibiles, &c. Quocirca nobis maximè cauendum eſt, ne ſi eius ſcientiam repulerimus, ab eodem repellamur, cum dicit. Quia tu ſcientiam repuliſti, ego quoque repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi, Oſeę. 4. ex quibus colligitur ſcientiam in ſacerdote, de iure diuino neceſſariam eſſe. Quam turpè eſt illud eiuſdem audire, & erit ſicut populus, ſic ſacerdos: Vt nihilo doctior ſit ſacerdos, quam populus tenebris vitiorum irretitus.

Si præterea eorum, quæ tractamus præſtantiam cognouerimus, non parum (mea ſententia) ad ſtudia incitabimur, & non minus ſi eorum difficultates conſiderabimus: Nam ſi multum inſudandum eſt Iuriſperito, & Iudici: ſi multum

medico, ſi paſtori multum, multo plus nobis: iudex enim habet reum, accuſatorem, teſtes, aſſenſorem, quem conſulat, & aduocatum; tibi autem confeſſario, deeſt aſſeſſor, quem conſulas, deeſt aduocatus, deeſt accuſator, adeſt tantum vox debilis rei pœnitentis, quem vix poteris intelligere: Hic non eſt pars aduerſa, quæ ſibi fieri iuſtitiam poſtulet, at illi tamen eſt conſulendo, vt reſtitutione famæ, & ablatorum, &c. Hic ſententia non poteſt diffiniri ab alio ſuperiori, nec apud aliud tribunal, quàm Dei in ſupremo eius iudicio, quæ ſi falſa læſit, & partem, & iudicem, & ſi pars contenta fuerit ſententia lata: Hic damnum eſt perpetuum animæ ſi ignoranter iudicas, illic pecunia, quæ facile reſarciri poteſt, hic autem pœna æterna, quæ nullo precio redimi vnquam poterit, & ſi pars læſa tacet, accuſant tamen fideliſſimi dæmones, qui omnia errata deferent apud fideliſſimum iudicem, à quo non licet appellare; quem (ſi rectè iudicare volumus) poculis sẽper habere debemus. At quomodo aget medicum, niſi prius cauſas, effectus, & morborum differentias rectè nouerit? conſtitutiones etiam corporum, differentia ætatum, nationum, & complexionem? Hic ſola vox ægroti pœnitentis promit morbum, & ſæpe ruſtica, ignara, verecunda, illic natura, ſigna, gemitus, &c. Illic nihil poteſt ſine voluntate ægroti fieri, niſi fortè eſſet phreneticus, qui ligatus aliquid medicamenti acciperet: Hic verò, vt in phreneſi debent multa tentari, & adhiberi remedia: Illic nihil nocet ægroto, ſi omnia percontantur: Hic autem cauẽdum eſt, quam maximè, ne percontando aliquid mali doceas: Illic non eſt opus memoria ægroti, quia dolor præſens infirmitatem declarat: Hic breues fiunt relationes multorum, & longorum morborum, quia ſemel, aut bis in anno, & intempeſtiuè: illic morbum corporis ſola natura curat aliquando: At non ſic animi. Illic ægrotis omnes conſulunt, vt benè valeant, vt remedia adhibeant: At non ægris ſpiritualiter; memoria morbi præteriti, ſæpius iuuat ægrotum: At ſpiritualis ægritudinis ſæpè nocet. Illic morbus morbum excludit aliquando; nam laborans quartana, non timet peſtem: laborans podagra, valet capite: At

hic ægritudo ægritudinem vocat: illic Medici rarò fiunt ægroti, viſitatione infirmorum: At confeſſarij ſæpè,& ſi malè curent illi, tamen augent pecuniam: At hic tu perdis animam, & omnia illis natura fauet, tibi autem hic repugnat, & nollet enim ſpiritualis ægrotus infirmus videri: illius errores terra cœpit, quia ſunt in corpore: at tui poſt mortẽ, maximi apparebunt.

Præterea quomodo bonum aget paſtorem, qui timida, & ſtulta eſt ouis? eligens mala herbas quamuis virides,& pulchri aſpectus, ſed tamen venenoſas pro bonis? Qui pruinam timet, æſtus, & nocturnas tenebras tentationum; latratus Canum, ne à dulci excitetur ſomno, timet morderi à Viperis, & Scorpionibus,qui ſunt detractores: ſi paſtor perdit ouem, pecunia redimet; at quam dabis pro anima commutationem? Pecudes non feruntur natura ad malas herbas, ſed eas fugiunt: At peccatores feruntur ad vitia: Paſtor ſolum timet Lupum ignarum animal, & ſtultum,& habet Canes illi inimicos: At hic habes Dæmonium aſtutum, & nihil metuentem, niſi virtutes: illis Lupi non ſemper adſunt: At hic Dæmones ſemper aſſiſtunt.

Lupos ſatiat cibus; ſi vnam ouem occiderint, abeunt: At Dæmon non ſatiatur vnius ouis interitu,ſed omnes conatur occidere.

Lupi non fugiunt Agnos: at Dæmon Angelos imitatur. Studendum eſt igitur ſedulo,optimo fine, fortiter, & ſublatis affectibus, vt quiſque ſacerdos, quod ſui muneris eſt, ſine periculo, vel ſaltem ſine maximo errore, facilè exequatur.

Debet propterea non raroq; ſacerdos noſter euangelicus, Diuinum Officium recitare, Miſſæ ſacrificium offerre: Sacramenta adminiſtrare, & populum ſibi commiſſum verbo, & exemplo docere, quæ omnia requirunt ſcientiam, vt ex ijs, quæ ſequuntur, videre licebit.

Quæ

Qualis ſcientia in Confeſſario exigatur.

DOctores in cap. cum in curatis, de elect. Triplicem dicunt inueniri ſcientiam, eminentẽ, mediocrem, & ſufficientem.

Eminens ſcientia illa dicitur, per quam quis diſcutere nouit ſubtiles quæſtiones, & perdifficiles: itaut in promptu habeat reſponſiones, 36. diſt. cap. qui eccleſiaſticis.

Mediocris dicitur, per quam quis cum deliberatione, & librorum reuolutione veritatem nouerit inuenire.

Sufficiens autem erit ſcientia legitimè requiſita, ſecundũ qualitatem officij, vel beneficij: vnde quis dicetur habere ſufficientem ſcientiam, quando ſufficienter poterit explere ea, quæ neceſſario ſuo incumbunt officio: huic confeſſarius tunc dicetur habere ſufficientem ſcientiam, quando ſcit diſtinguere inter peccatum, & non peccatum: inter mortale, & veniale; & quando in dubijs, nouerit probabiliter dubitare, peritosq; conſulere, atq; ad quæ ſua ſe extendat poteſtas; vt Turrecrem. in cap. qui autem de pœnit. diſt. 6. Rurſum maiori ſcientia pollere debet, qui audiendis confeſſionibus eorum præficitur, qui mercaturã, vel alia negotia ardua exercent, quàm qui curam habet ruſticorum, & popularium: Sotus in 4. ſent. diſ. 18. q. 4. art. 3. Et demum tanto eminentiorem ſcientiam requiri oportet, quanto in gradu ſublimiori verſatur, quia talis ad maiora tenetur, vt Epiſcopus, Archiepiſcopus, &c. Vnde ſummus Pontifex, quia in ſublimiori gradu collocatur, longè maiorem ſcientiam alijs habere debet, cum ſit prępoſitus totius Chriſtianæ Reipublicæ, iuxta Abbatem in cap. cum in cunctis, de elect. Qui tamen dicitur habere omnia iura in ſcrinio pectoris, cap. 1. de conſt. in 6. quia omnia iura humana interpretari, abrogare, condere, & confirmare poteſt.

Epiſcopus verò debet habere ſcientiã veteris, & noui Teſtamenti, cap. qui eccleſijs, 36. diſ. in principio. Quia Iudex eſt, paſtor animarum in ſua diœceſi, & omni petenti tenetur reddere rationem, cap. qui Epiſcopus, 23. diſt. bonus text.

Digitized by Google

in cap. omnes pſallentes, 38. diſt. Item debet habere ſcientiam iuris canonici, cum ſecundum iura debet iudicare.

Presbyter autem debet habere ſcientiam canonum pœnitentialium, qui multi ſunt, & eorum, quæ continentur in cap. quæ ipſis, diſ. 38. Debet etiam noſſe circunſtantias peccatorum, mutantes ſpeciem peccati, & aggrauantes in infinitum. Debet noſſe caſus, qui expoſtulent reſtitutionem, & ſi clericos eſt auditurus, in quibus caſibus ſuſpenſio, irregularitas, vel alia contrahatur cenſura: Debet ſcire, qui nam caſus ſint Epiſcopis reſeruati, qui ſummo Pontifici, quique habeant excommunicationem annexam, qui non, & præcipuè qui leguntur in Bulla Cœnæ Domini, vt munus ſuum rectè nouerit exercere.

Nouerit præterea confeſſarius hic noſter omnia ſacramēta gratiæ, ab origine mundi multis ſcripturæ locis præfigurata fuiſſe, Geneſ. 1. Deus vniuerſum orbem ſeptenario dierum numero ex nihilo condidit, quo ſignificatum eſt mundum in ſui fine labentem, ſeptem ſacramentis inſtaurandum, & recreandū, & hominem redimendum fore, qđ tāgit Sotus diſ. 1. q. 6. ar. 11. quod etiam prouerbiorum cap. 9. ſignificatum eſt, cum dicitur, Sapientia ædificauit ſibi domum, & excidit columnas ſeptem: hoc eſt Deus æterna ſapientia ab initio in ſua æternitate, mente ſua ſacratiſſima ædificauit Eccleſiam, & poſuit in ea ſeptem fortiſſimas columnas legis, gratiæ ſacramenta; ita Sotus 4. diſ. 3. q. 5. ar. 4. concl. 4. Hoc enim innuere voluit 4. Regum lib. cap. 5. quando Eliſęus dixit ad Naaman Syrum leproſum, vade, & lauare ſepties in Iordane: Hoc ſeptem agnæ, quas Abraam ſeparauit à gregibus, & obtulit Abimelech in ſignum perpetui federis, quæ ſeptem figurarunt perpetuæ pacis ſacramenta, per quæ placatur Deus.

Nouerit ſecundò, ſacramenti definitionem, illam eſſe cōmunē, quæ à cathechiſmo Romano pag. 154. his verbis notatur: Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum: vel ſacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum, ad noſtram iuſtificationem inſtitutum.

Nouerit tertiò, eſſe tenendum de fide, ac ab Eccleſia, & Con-

Concilijs determinatum eſſe, tantum ſeptem ſacramenta Eccleſiæ, nec plura, nec pauciora, vt habetur text. in cap. ad abolendam, & in conc. Tridé. ſeſſ. 7. can. 1. quæ ſunt Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Ordo, Extrema vnctio, & Matrimonium.

Nouerit quartò, hac de cauſa eſſe tantum ſeptem, & non plura; quia cum homo conſtet anima, & corpore: & ſecundum corpus ſic ſuam vitam ordinatam habeat, vt prius naſcatur: Secundò, vt creſcat, & augeat vires: Tertiò, vt aliquando infirmetur: Quartò, vt ſanus effectus præſeruetur, ne infirmitatem relabatur: Quintò, vt moriatur aliquando: Sextò, vt alios aliquando regat, & doceat: Septimò, vt ſpeciem conſeruet, & ſibi ſimilem poſſit generare: Eodem modo ſe habet vita ſpiritualis, quo ad animam; Primò, etenim ex vtero ſanctæ matris Eccleſiæ, Chriſto naſcitur per Baptiſmum. Secundò, anima roboratur per Confirmationem. Tertiò, cum infirmatur per peccatum, ſacramento Pœnitentiæ recuperat ſanitatem. Quartò, per Euchariſtiã præſeruatur. Quintò, per Extremam vnctionem mundat reliquias, quæ ex infirmitate ſolent remanere. Sextò, Ordo inſtituitur & miniſter ſit, qui hæc conferat indigenti. Septimò, vt ſancta, adminiſtraturus ſanctè, non autem ex nefario coitu naſcatur, Matrimonium fuit inſtitutum: Vel dicas illa eſſe ſeptem, iuxta ſeptem hominum diuerſitates: Nam ſacramentum Baptiſmi eſt intrantium, Confirmationis pugnantium, Euchariſtiæ ſumentium vires, Pœnitentiæ reſurgentium, Extremæ vnctionis exeuntium, Ordinis eſt miniſtrantium. Matrimonij deniq; ſacramentum eſt, nouos in Eccleſia milites introducentium.

Nouerit quintò, ſacramenta nouæ legis à ſacramentis veteris legis differre, vt in concil. Tridé. ſeſſ. 7. can. 2. de fide ſtatutũ, quia ſacramenta veteris legis non conferebant perfectam gratiam, quam ſignificabant, ſed ſacramenta nouæ legis, & continent, & conferunt perfectiſſimam gratiam, quam ſignificant dignè ſumentibus, & non ponentibus obicem, ita docet concil. Triden. ſeſſ. 7. can. 6. & concil. Floré. ſub Eugenio 4. verſ. Hoc docet Eccleſia. ita docet Doctor.

Caniſius in ſumma doctr. Chriſt. cap. 6. de ſacramentis. Differunt etiã hæc ſacramenta inter ſe, & hoc primò, quod Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo non poſſunt iterari, ita vt ſi ſacerdos mortuus reſurgeret, nullũ horum trium deberet reaſumere, ita tenet S. Thom. 4. diſt. 2, q. 1. & eſt text. in cap. licitè, 32. q. 7. & cap. quod quidem, 1. q. 1. quod contra in alijs, etiam in matrimonio, quod morte diſſoluitur naturali: ſi verè mortuus coniugatus ſurrexiſſet, ſi vellet, poſſet, aliam vxorem ducere: quædam alia ſacramenta laudabiliter frequetantur modo dignè, vt Pœnitentia, & Euchariſtia, alia ſunt iterabilia, vt ſunt Extrema vnctio, & Matrim.

Differunt ſecundò, quia tria non iterabilia imprimunt caracterem, in anima indelebilem etiam poſt mortem; quo caractere baptizati, &c. ab alijs diſtinguuntur, & ita in reſurrectione generali anima baptizati vnum habet ſignum, confirmati duo: Confirmati, & ordinati habebunt tria, vt habetur in textu cap. licitè, 32, q. 7. cap. quomodo, & concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 8. Nauarr. cap. 22. nu. 2.

Differunt tertiò, quia ſacramenta tantum conſiſtunt, & conferuntur in vſu, & applicatione, ideſt dum à miniſtris conferuntur: nam Chriſma ab Epiſcopo conſecratum non eſt ſacramentum confirmationis, dum eſt in vaſe, ſed ſolum dum Epiſcopus iniungendo frontem, profert verba, & formam. Item nec aqua benedicta, poſita in fonte Baptiſmali, eſt ſacramentum, ſed quando quis baptizans cum ea, profert verba formæ, Ego te baptizo in nomine Patris, &c. ſed ſacramẽtum Euchariſtiæ, non ſolũ cũ conſecratur, ſed poſtea vbicunque terrarum, & in corruptæ illæ inueniantur ſpecies panis, & vini conſecratæ à ſacerdote, eſt ibi verum ſacramentum; ita docet conc. Trid. ſeſſ. 13. can. 5. cap. 3. & 5. de reform. cap. multi, 1. q. 1. Alia conſiſtunt in actione, & vſu, Euchariſtia poſt actionem, & vſum permanet.

Differunt quartò, quia alia ſex ſacramenta, etiam cum cõferuntur à miniſtris tantum ſunt, & dicuntur ſacramenta, Euchariſtia verò hoc habet peculiare, quod ſit ſacramentũ, & cum in Miſſa offertur, ſit ſacrificium, ita docet conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. de ſacrificio Miſſæ, & Catechiſ. Rom. pag. 281. & 286.

Dif-

Differunt quintò, quod vnumquodq; aliorum ſacramentorum tantùm, dicitur ſacramentum vnius rei, ſcilicet inuiſibilis gratiæ; Euchariſtia verò peculiari modo dicitur ſacramentum geminæ rei, ſcilicet Chriſti ibi exiſtentis, & gratiæ inuiſibilis, ſicut in alijs, in cap. cum Martæ, de celebrat. miſſ. cap. 1. de ſumma Trinit.

Differunt ſextò, quod in alijs ſacramentis, adeſt tantum Deus per gratiam: in Euchariſtia verò ſpecialiter adeſt ipſe Chriſtus, aliorum ſacramentorum inſtitutor, reali exiſtẽtia: Ita docet Viguerius de Euchariſt. verſ. 7. & concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 1.

Differunt ſeptimò, quia cætera ſacramenta poſſunt dari, & recipi abſque ſacramentali confeſſione, cum contritione tãtùm, quando qui dat, & recipit, eſt reatu mortalis culpæ affectus. Euchariſtiam verò nullus debet abſque ſacramentali confeſſione dare, vel recipere, ſicuti nec ſacerdos cõficere, quando adeſt copia confeſſoris, vt habetur in conc. Trid. ſeſſ. 13. can. 11. & Nauarr. cap. primo, nu. 44. contra opin. Caietani, & aliorum quorundam.

Differunt octauò, quia Eccleſia nullum feſtum alicuius ex alijs ſacramentis inſtituit, ſicuti Euchariſtiæ bis in anno in ipſo die inſtitutionis, videlicet feria maioris Hebdomadæ, & in feſto corporis Chriſti, conc. Trid. ſup. can. 6.

Differunt nonò, quod alia ferè omnia ſacramenta poſſunt confici à non ieiunis, & recipi, exceptis ſacramentis Euchariſtiæ, & Ordinis ſacri, quia illud recipiens tenetur Miſſam celebrare.

Differunt decimò, quod tempore Interdicti conceditur Baptiſmus, Confirmatio, & Pœnitentia omnibus, vt habetur cap. quoniam, de ſent. excom. lib. 6. cap. alma mater. Euchariſtia verò conceditur infirmis tantùm: Et quamuis Matrimonium poſſit contrahi, non tamen benedici, Nauarrus cap. 27. nu. 171. & habetur text. in cap. non eſt, de ſponſal.

Differunt vndecimò, quod conficiens alia ſacramenta, loquitur in perſona propria, quãdo dicit, Ego te baptizo: Ego te abſoluo: Conficiens autem Euchariſtiã, loquitur in perſona Chriſti: Ita Sotus in 4. ſent. diſt. 13. q. 1. ar. 1.

Dif-

Differunt duodecimò, quia aliorum ſacramentorum miniſter non poteſt ſibi ipſi ſacramenta præbere, & ſumere, vt baptizare, confirmare, abſoluere, &c. Sacramentum autem Euchariſtiæ poteſt; ſeipſum autem communicat ſacerdos, Sot. 4. diſt. 13. q. 1. art. 4.

Differunt decimotertiò, quod inter omnia ſacramenta Euchariſtia trina pollet ſignificatione, ſcilicet præteriti téporis, præſentis, & futuri: præteriti cum dicitur, recolitur memoria Paſſionis eius, quæ fuit; præſentis, cum dicitur mens impletur gratia: futuri, cum dicitur, & futuræ gloriæ nobis pignus datur: Ita Sot. 4. diſt. 8. q. vn. art. 3.

De poteſtate Sacerdotis Confeſſarij.

NOuerit præterea confeſſarius, quam habeat poteſtatem, quamq; exercere poſſit: Duplex enim eſt iſta poteſtas, nempè ordinis conſecrandi corpus, & ſanguinem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, quam quiſque ſacerdos ritè ordinatus habere dicitur, quamquè Dominus Ieſus in vltima cœna contulit, cum dixit Apoſtolis, Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Alteram adminiſtrationis ſacramentorum, quæ eſt poteſtas ſpiritualis, iuriſdictionis in foro pœnitentiæ, & appellatur poteſtas clauiũ, quibus ſacerdotes poſſunt indignis claudere Cœlum, & dignis aperire, & hæc fuit collata in die Reſurrectionis, quando Dominus Ieſus apparens Apoſtolis, inſufflauit in eos, & dixit, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. quæ duæ poteſtates conſecrationis, & clauium dicũtur ordinis ſacerdotalis, neque eædem ſunt, neque ſimul tempore collatæ, quarum vna reſpicit conſecrationem corporis Chriſti veri, altera reſpicit corpus Chriſti miſticum, quia habens illam, poteſt ligare, & ſoluere peccatorem: priorem confert Epiſcopus in ordine, tradens ei calicem cum vino, & aqua, & pane ſuperpoſito, dicens, Accipe poteſtatem offerendi, & conficiendi pro viuis, & defunctis, &c.

Poſteriorẽ verò tradit aliquibus interpoſitis, ponens ma-

nus

Digitized by Google

nus ſuper caput Sacerdotis dicens, Accipe Spiritũ ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. & de hac loquimur: Hæc ergo dicitur poteſtas clauium metaphoricè, vt iam dictum eſt; nam ſicut illud, quo aufertur obſtaculum introitus in domum, dicitur eſſe clauis materialis: ſic in ſpiritualibus poteſtas, qua aufertur peccatum, quod eſt obſtaculum introitus in cœlum, dicitur eſſe clauis, ita docet Sotus in 4. diſt. 20. q. 1. ar. 1.

Hæc poteſtas triplex eſt: alia authoritatis, alia excellentiæ, alia miniſterij: prima eſt in ſolo Deo, nam ipſe ſolus eſt, cui competit peccata dimittere, iuxta illud Iſaiæ 43. Ego ipſe ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & Lucæ 5. Quis enim poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?

Poteſtas verò excellentiæ eſt in ſolo Chriſto, qui per meritum ſuæ paſſionis, peccata remittit.

Vltima eſt in omnibus Sacerdotibus, tanquam in eius miniſtris, qui eiuſdem ſacramenta miniſtrant, quæ de eius latere pendentis in Cruce emanarunt; & hæc dicitur clauis miniſterialis, quæ datur cum ordine, & in omnibus ſacerdotibus eſt æqualis, & quantum eſt ex ſe ad omnes, & ad omnia peccata abſoluenda ſe extendit: ita tenet Gloſſ. in extra com. 1. de ſepult. verſ. à iure: Sed poteſtas, & vſus iuriſdictionis, non eſt æqualiter in omnibus ſacerdotibus, vt iam dictum eſt ſupra: ſed in Petro, & eius ſucceſſoribus, qui ſunt Romani Pontifices, in quibus Doctores triplicem collocant poteſtatem iuriſdictionis: vnam generalem, ſpecialem, & generaliſſimam: generalis eſt, quam habent in omnes Prælatos totius orbis, atq; in eorum ſubditos: de foro comp. cap. fin. de priuil. c. antiqua. Et per hãc poteſtatem cognoſcunt de cauſis prædictorum, etiam per ſimplicem querelam. q. 3. cap. antiquis: cap. aliorum: cap. cuncta: etiam ex officio cap. vnico, verſ. & ideo: Et ſecundum hanc præeminent cæteris dignitate, officio, & poteſtate; & ſecundum hanc, cæteri Prælati vocati ſunt in partem ſollicitudinis: cap. ad honorem. de auctorit. & vſu pallij: Et hinc eſt, vt dicit textus ibi, ſolus Romanus Pontifex in Miſſarum ſolemnijs pallio ſemper vtitur, & vbique; Alij verò Pontifices non ſemper, quoniam illi vo-

ſi vocati ſunt in partem ſollicitudinis, & non in plenitudinem poteſtatis, quæ ſignificatur per pallium.

Secunda iuriſdictio, quæ eſt ſpecialis, eſt multiplex: vna, quam habet Papa in exemptos. cap. ſi Papa de priuil. lib. 6. Alia, quam habet in eos, qui ſequūtur curiam: de foro compet. cap. final. de præben. in 6. cap. præſenti. Alia, quam habet in eos, qui non recognoſcunt ſuperiorem, quod etiā procedit in laicis cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi. Habet etiam, ſecundum Ioannem de Lignano, poteſtatem generaliſſimam, quæ fuit transfuſa in Petrum, & ſucceſſores: 21. diſt. in nono: de tranſact. cap. 1. At in alijs hæc poteſtas, & vſus, iuriſdictionis eſt ſecundum limitationem eis à Papa mediatè, vel immediatè conceſſa, & hæc dicitur clauis miniſterialis, vnde vſus talis poteſtatis extendi non poteſt, niſi in eum, in quem ſacerdos habet poteſtatem iuriſdictionis, per quam is, in quem vſus iuriſdictionis exercetur, efficitur ſubiectus abſoluenti: extra de paroch. cap. nullus de iudic. cap. at ſi clerici: extra de pœnit. & remiſſ. cap. omnis. §. ſi quis. Et ideo Papa omnem pœnitentem abſoluere poteſt, quia in omnes Chriſtianos habet iuriſdictionem; alius verò ſacerdos, illos tātum, qui ſuæ iuriſdictioni, ex commiſſione ſummi Pontificis ſunt ſubiecti: arg. 11. diſt. quis neſciat, 12. diſt. cap. 1. & 2. diſt. 19. ita Dominus.

Rurſum iuxta S. Thom. & Sotum in 4. ſent. diſt. 20. q. 1. art. 1. ſciendum eſt non vnam tantum, ſed duas eſſe claues, videlicet poteſtatis, & ſcientiæ: clauis poteſtatis eſt authoritas ligandi, & ſoluendi: clauis verò ſcientiæ, non dicitur habitus ille acquiſitus, vel infuſus, ſed authoritas cognoſcendi: nam poteſtas illa, quam habet ſacerdos cogendi pœnitentem, vt ſua peccata referat, vt eius ſtatum, & conditionem agnoſcat, dicitur clauis ſcientiæ: Et illa, per quam pœnitentem, vel abſoluit, vel ad aliquam pœnitentiam obligat, vel prorſus repellit, dicitur clauis poteſtatis, vel iuriſdictionis: quæ quidem iuriſdictio, vel eſt ordinaria, vel delegata: ordinaria illa eſt, quam habet Epiſcopus, & Prælatus religioſorum: Curatus in ſuos parochos: & omnium maximè ſummus Pontifex; qui quidem omnes dicuntur proprij

ſacerdotes: Delegata verò, quam habent religioſi omnes, ab Epiſcopo approbati cum conſenſu Prælati, text. & gloſſ. in cap. adijcimus, 16. q. 1. Hinc fit, vt non omnes ſacerdotes, eo quod ſacerdotes ſunt ad id idonei reputantur; quoniam & ſi per ſacerdotalem caracterem accipiant poteſtatẽ, & habitualem iuriſdictionem ad abſoluendum: ordinariam tamen, vel actualem ad id neceſſariam non recipiunt: Ita Nauarr. cap. 4. nu. 1.

Hanc autem poteſtatem abſoluendi, qui in animarum regimine conſtitutus eſt, poteſt delegare, modo non ſit à iure prohibitus, veluti ſummus Pontifex, Epiſcopus, Parochi, & Prælati religioſorum: ſed delegatus à Papa indiſtinctè põt alteri ſubdelegare, ſi ei iuriſdictio commiſſa fuerit, & non certum miniſterium: Nam quando committitur certum miniſterium, vt prædicare Crucem, excommunicare, vel abſoluere aliquos, diſpenſare cum irregularibus, vel pœnitentias iniungere, tunc non licet, niſi (ſalua legatorum Sedis Apoſtolicæ authoritate) alteri demandare, quia hoc caſu nõ ſibi iuriſdictio, ſed certum miniſterium committitur, cap. fin. § fin. de offic. deleg. Hinc infertur, quod prælati religioſorum habentes per priuilegium, quod in tali caſu poſſunt abſoluere ſubditos, aut cum eis diſpenſare, nõ poſſunt hæc alteri ſubdelegare; An verò delegatus ab Epiſcopo, non à Papa poſſit delegare, ſi fortè infirmitate, vel alia de cauſa eſſet impeditus: Reſpondetur, quod non; arg. text. in l. prætorum, §. ſi poſt, ff. de va. mun. quod intellige niſi id fuerit expreſſum in ſua delegatione: Io. Andr. per capit. is, cui, de offic. deleg. in 6. Card. Zabar. in Clem. 1. q. 12. de offic. deleg. Quare Vicarij Epiſcoporum, niſi habeant expreſſam facultatem ſubdelegandi, id non poſſunt, quod intellige modo ſint delegati ad vnum articulum tantùm, alias ſi ad vniuerſitatem cauſarum, tunc poterunt ſubdelegare. Hinc conſuluit Nauarr. de offic. ordin. lib. 1. p. 2. conſ. fin. Quod Vicarius generalis Epiſcopi facultatem abſoluendi à reſeruatis, quam ipſe ab Epiſcopo habuit, alijs poſſit ſubdelegare; quia dicta facultas, ſiue reducatur ad ſimilitudinem aliarum facultatum, quæ Vicarijs conceduntur, cum eorum

iuriſdictio ſit ordinaria, cap. Romanæ, in princ. & ibi gloſſ. in verbo generaliter, de ſent. excom. lib. 6. ſiue reducatur ad delegatam, cum ſit facta ad vniuerſitatem cauſarum, non eſt dubium, quod poſſit ſubdelegari, iuxta tex. in l. more, & ita ſæpè ſeruatum eſt: ſic vice curati, quando ſubſtituuntur curatorum loco per Epiſcopos, ſit eis poteſtas ſubdelegandi: & tandem facultatẽ pœnitentiarij Pontificis habent annexam, vt inquit Sotus in 4. ſent. diſt. 18. q. 4. ar. 3.

Inquiſitor tamen hæreticæ prauitatis, vt delegatus Principis, iuxta cõmunem opin. non poteſt dare facultatem ſuo ſubdelegato, ſeu eius Vicario, & iterum ſubdeleget: ita glo. ſing. in d. cap. ſuper quæſtionum, §. porro, &c.

Dicendum eſt igitur præter ſcientiam, triplicem eſſe confeſſario neceſſariam poteſtatem, Ordinis, vt ſit Sacerdos: Iuriſdictionis ordinariam, vel delegatam; vt ſcilicet facultas ei concedatur ab eo, qui poteſt: Nam qui ſcienter, vel ignorantia iuris craſſa abſolueret aliquem à reſeruatis, grauiter peccaret; in articulo tamen mortis naturalis, vel illatæ, quiuis ſacerdos poteſt abſoluere de omnibus excommunicationibus, & peccatis. Tertia poteſtas eſt, quo ad vſum, ne ſcilicet ſit excommunicatus, ſuſpenſus, vel irregularis.

De probitate Confeſſarij.

TAlem ſe confeſſarius exhibere debet, vt in nullo eorum ſit iudicãdus, à quibus peccatores debuerit abſoluere, ne dum alios iudicare audeat, ſeipſum cõdemnet: Qui enim in alium paratus eſt ferre ſententiam, omni vitio carere debet, ait D. Gregorius iuxta illud Saluatoris; Qui ſine peccato eſt veſtrum, prior in illam lapidem mittat, Ioan. 8. vt D. Auguſtinus docet in cap. 1. §. ſacerdos, de pœnit. diſt. 6. Nam qui in peccato mortali exiſtit, & audit confeſſiones, reatus læthalis culpæ toties incurrit, quoties huiſmodi actum exercet, cap. illud, diſt. 95. licet eius abſolutio valeat: cum probitas confeſſarij non ſit de eſſentialibus ſacramenti, ideò vera ſacramentalis eſt cõfeſſio: & eſt communis opinio, & habetur in conc. Triden.

ſeſſ. 14.

Triden. ſeſſ. 14. cap. 6. & cap. 10. non tamen ſemper requiritur confeſſio de neceſſitate, niſi in Euchariſtiæ ſumptione, & miniſterio, ſed ſufficit contritio; Sylu. verbo confeſsor. 3. nu. 4. verſ. Quantum verò: & quo melior, & in omnibus virtutibus eminentior fuerit, eo aptior diuinæ bonitatis miniſter erit: ſit etiam interius, & exterius adeo compoſitus, vt in inceſſu, & ornatu, mentis integritatem, & grauitatem oſtendat, itá vt in inceſſu modo citus, modo tardus non appareat, ſed motus corporis, habitus, voxq; illius tales ſint, vt nihil agnoſcatur, quod non doceat virum probatum, maturum, & eum, qui Dei locum teneat: Interius etiam conſiderando cuius vices gerat, tanquam in eius oculis cum reuerentia, & timore hoc officium peragat.

De prudentia Confeſſarij.

QVia non ſatis eſt confeſſariũ, niſi ſit prudens, propterea quod probitas, ſi prudentia careat, tranſit in vitium, & ſtoliditas potius dicenda erit, quàm probitas: Inde Dominus prudentiam cum ſimplicitate coniunxit, quando Apoſtolis dixit; Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ, Matth. 10. Quæ quidem prudentia in hoc poſita eſt, vt pœnitentem ita ſibi à latere conſtituat, vt alter alterius vultum intueri non poſſit, ne penitens erubeſcat; & præcipuè ſi mulier eſt, quæ confitetur, & ſi nullum aliud intermediũ fuerit, quod aſpectum prohibeat, aurem ei præbeat, vt manus ſaltem ab eodem latere maxillæ appoſita faciei aſpectus excludi poſſit. Cautus ſit in ijs interrogandis, quæ poſſent intentationem adducere incautos: Verbis honeſtis vtatur, & vti deceat, ſatis enim erit intelligi, id quod dicitur: eos prius audiat, & libentius qui rarius confitentur, vel quia ſunt extranei, aut in maiori dignitate, vel quorum confeſſione ſpiritualis profectus, in maiorem Dei gloriam redundat, vel commune bonũ. Item quando initio confeſſionis incidit in caſum reſeruatum, tũc audiat totam confeſſionem, & nullam faciat mentionem de reſeruatis, niſi in fine, & poſtea more periti Medici, infun-

dat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, remittendo pœnitentem, aut ſeruando ſeruanda, quod eſt contra nonnullos confeſſarios, qui cum primum initio confeſſionis audierint caſum reſeruatum, pœnitentes ſtatim ad pœnitentiarios remittunt, quo fit, vt eundem pœnitentem pluries neceſſe ſit remitti, quia fortè alijs caſibus reſeruatis reperiatur inuolutus: & ita imprudentia confeſſarij confeſſio vel redditur odioſa, vel ſaltem pœnitentibus oneroſa. Mulieres præterea non niſi in publico audiat, & breuiter quantum fieri poterit, & res patitur, eas expedire conetur: eas extra certum tempus non audiat, & cum eiſdem potius ſeueritate, quam blanditijs vtatur; in interrogationibus puellarum, & mulierum circa venerea, ſit cautus, ne ſuis interrogationibus doceat, quæ fortè ignorant, aut ſibimet ſcrupulum aliquem peccati, aut tentationem iniiciat: cognoſcat qualitatem pœnitentis, an ſit pauper, an diues; ſanus, an ægrotus; coniugatus, an ſolutus; debilis, an robuſtus; laicus, an clericus; curatus, an ſimplex; doctus, an indoctus: non enim debet omnes eodem modo interrogare, & punire. Deniquè curet qualitatem pœnitentis cognoſcere, ne interrogando ſuperfluus, aut deficiendo inutilis videatur.

De ſigillo, ſeu fidelitate Confeſſarij.

SIgillum duplex eſt, verum, & metaphoricū. Sigillum verum, quod etiam proprium dicitur, eſt illud, quo aliquid clauditur, vel obſignatur, ne quod ſub illo clauſum eſt, ab alijs videatur, vt patet ex l. ſi quis ſignatoribus, ff. quemadmodum, teſt. aper. & eſt ſigillum, quo Bullæ, ſcripturæuè, vel litteræ miſſiuæ, aut dimiſſoriæ: cum inſignijs ſignatoris ſignantur, & ſub huiuſmodi ſigillis contēta plenam inſpicientibus fidem faciant: vbi notandum eſt, quod vt plena fides adhibeatur, ſcripturæ ignotæ quinq; ſigilla neceſſaria ſunt: & gloſ. verbo ignota, cap. quod ſuper his, de fide inſtrum. dicit, quod ſigillo ignoto non eſt adhibenda fides, niſi ſcriptum quinque ſigillis, & ſigillata: quod eſt verum, quando de talibus quinque ſigillis aliqua habeatur

tur cognitio, & de ſigillantibus, quod ſi nulla habeatur cognitio, etiam mille ſigilla non ſufficiunt, iuxta Abbatem, & Felynum in dicta gloſſ. & eſt gloſſ. in cap. 1. 98. diſt.

Sigillum verò metaphoricum, quod etiam impropriùm dicitur, adhuc eſt duplex, naturale ſcilicet, quo quis tenetur lege naturali, & lege charitatis, celare quicquid alius ſibi celandum commiſit: & præſertim ſi negotium id exigat: & ſacramentale, vel ſigillum confeſſionis, de quo hic loquimur. Quod ſic definitur.

Sigillum eſt obligatio occultandi aliquid: S. Thom. 4. diſt. 21. q. 3. ar. 1. & eſt communis: ibidem, & ſecundum Sylueſtrum verbo confeſſio 3. nu. 1. & Nauarr. cap. 8. nu. 1.

Nota tamen differentiam eſſe inter ſigillum naturale, & confeſſionis: quia ſigillum naturale poteſt multis modis frangi, etiam ſine peccato mortali: vt quando ſuperior hoc præcepit, vt cap. qui ambulat, 5. q. 5. cap. intimauit, de teſtibus: vel quando occultatio talis ſecreti nocet animæ, corpori, honori, aut rei familiari alterius, vt docet Nauarrus cap. 8. nu. 2. & Syluester verbo confeſſio 3. nu. 13. dicit, ſic intellige, quia ſi conſtat ſecretum vergere in periculum aliorum ex debito veritatis, ſiue iuſtitiæ, quia non ſolum poteſt, ſed debet propalare. Si verò non conſtat, ſed eſt dubiū, hoc poteſt, ſi obedientia requirit, quia in dubijs regulariter eſt obediendum, ſecundum S. Thom. in quolibet. Si verò conſtat ſecretum nulli præiudicare, nullus tenetur etiam præcipiente Prælato; Henric. de Gand. quolibet. 9. Sigillum autem confeſſionis nequaquam poteſt aperiri, vno tantum caſu excepto, videlicet de licentia pœnitentis liberè, ſpontè, & ex iuxta cauſa cōceſſa confeſſario, & in ſui vtilitatē, S. Tho. in 4. diſt. 21. q. 4. art. 2. Bonau. Riccard. Viguer. & Nauarr. cap. 8. nu. 15. quam tamen licentiam dabit pœnitens cōfeſſario extra confeſſionem, vt docet Sylu. loco citato, & alij.

Quod ſigillum iure diuino poſitiuo, à Domino Noſtro Ieſu Chriſto fuit præceptum, & inſtitutum; & ſeruandum eſt lege naturalis, charitatis, amicitiæ: & lege diuina poſitiua, & accedit etiam præceptum iuris poſitiui, in cap. omnis, de pœnit. & remiſſ. Nota etiam, quod omne ſigillum confeſſionis,

nis, eſt de iure naturali, non autem è contra, omne ſigillum naturale eſt ſigillum confeſſionis, quia non conuertuntur.

Sub quo ſigillo confeſſionis cadunt omnia, & ſingula peccata mortalia, interna, atque externa, & omnes circunſtantiæ illorum. Secundò, omne peccatum veniale in particulari, quantumcunque leue; ſiue talia peccata quæcunque venialia, aut mortalia ſint, ante rectè confeſſa, & nunc ſine neceſſitate aſſumantur pro materia confeſſionis; ſiue de nouo mortalia neceſſariò confiteantur. Tertiò, cadunt quæcunq; alia, quæ licet non ſint peccata, ſunt tamen talia, quæ ſi detegantur, poſſet in cognitionem alicuius peccati mortalis, vel circunſtantiæ, vel venialis particularis confeſſi deueniri, vt docet Nauarr. in cap. omnis, de pœnit. & remiſſ. & in cap. ſacerdos, & habetur expreſsè in d. cap. omnis, ibi caueat ſacerdos. Quartò, addit Medina in ſumma lib. 2. ca. 4. quod cadunt etiam omnia illa, quæ ſunt in via ad confeſſionem, vt ſi aliquis confeſſor vidiſſet peccata alicuius ſcripta antequam audiret illa, vel ſi cõſultus eſſet de aliquo antequam ſit confeſſum. Quintò, Riccardus quem refert, & ſequitur Angelus, dicit ſub hoc ſigillo cadere quicquid per ſe, vel per accidẽs, directè, vel indirectè poſſet verecundiam, vel confuſionem, vel malam ſuſpicionem, vel aliquod aliud nocumentum pœnitenti generare, quod etiam S. Thom. 4. diſt. 41.

Hoc igitur ſigillum directè tenetur ſeruare, quicunq; ſacerdos audit confeſſiones, ſiue abſoluat à peccatis, ſiue differat abſolutionem, vel neget illam, Medin. Et ille cui ſacerdos de pœnitentis licentia reuelauit. Indirectè autẽ omnis, qui audit, vel ſcit alterius peccata, quocunq; modo audiat, vel ſciat, vt cum quis in neceſſitate audiat, vel ex accidenti confeſſionem alicuius, & ille, qui malitioſè audit occultando ſe: & ille, qui ſe finxit confeſſorem, & interpres, & nuncius, & qui alicuius peccata inuenit ſcripta, & his ſimilia: Ita tenet S. Thom. 4. diſt. 27. Ricardus, & Sotus relati ab Angelo, confeſſio vltimo num. 16. & Nauarr. cap. 8. nu. 4. & 7. in cap. ſacerdos, de pœnit. diſt. 6.

Tanta præterea huius ſigilli vis eſt, & adeò ſanctũ eſſe debet,

bet, vt nec minimum quidem eorum, quæ ſub eo audiuimus, modo aliquo propalemus. Communis enim Doctorũ opinio eſt, quod licet cõfeſſario omni, petenti etiam in foro exteriori circa ea, quæ in confeſſione audiuit, abſolutè, & abſq; mendacio reſpondere ſe nihil ſcire: immò tantæ eſt excellẽtiæ, vt ſi quis ſurgat à confeſſione non abſolutus, quia non meruit abſolutionem, & accedat ad communicandum cum alijs de manu illiuſmet confeſſoris, qui illi in ſecreto negauit abſolutionem, tenetur ei Euchariſtiam porrigere abſque hoc, quod vllum verbũ dicat de confeſſione: Ita tenet Mantius, Salmaticenſis Academiæ profeſſor primarius: Immò, vt docent Medina in ſumma lib. 2. cap. 4. & Victor. nu. 183. ſi penderet ſalus, vel liberatio totius mundi, ex reuelatione vnius peccati in confeſſione, ſub ſigillo auditi, non eſſet reuelandum, etiam ſi totus mundus eſſet perdendus. Immò, quod propter liberationem omniũ, qui ſunt in Inferno, non eſt reuelandum. Immò etiam ſi confeſſor ſciret omnia alia ſex ſacramenta eſſe per aliquod tempus peritura, ſi non reuelat, tenetur celare peccatum, & ſigillum, & ſacramentum pœnitentiæ ſeruare incolume; propter ipſum enim Deus reſtitueret alia ſex, ſi corruiſſent, quod ſecus fieret, ſi confeſſionis ſigillũ non ſeruaretur. Ratio vltra fidelitatem eſt, quia propter ſalutem totius mundi, vnum peccatum mortale et leuiſsimum non eſt perpetrandum, ſecundum communem opinionem, quanto minus vbi tàm graue ſcelus, & ſacrilegium omni iure prohibitum, perpetraretur? Adde cõmune dictum, quod etiam ſi Papa ſub omni cenſura præciperet, confeſſario vt reuelaret peccatum confeſſum ſibi, non debet reuelare, etiam ſi millies deberet mori, nec in tali caſu vllam iucurreret cenſuram. Immò poteſt iurare ſe neſcire, quia neſcit, vt homo, vel homini, in hoc caſu ſubiectus, eſt communis omnium opinio: ſacerdos enim ita reſpondens, loquitur vt Deus, & tanquam Dei miniſter, iuxta illud Io. 20. cap. quorum remiſeritis, &c. ex quibus verbis colligitur hoc ſacerdotis miniſterium, quoniam quæ ſacerdos in confeſsione cognoſcit, non cognoſcit vt homo, ſed vt Dei miniſter, authoritate Dei, vt habetur cap. ſi ſacerdos, de offic. ordin.

Et

Et ſi compulſus, vt reſpondeat non per verbum ſcio, ſed audio, poterit reſpondere ſe nihil in cõfeſsione audiuiſſe, ſubintelligendo tanquam purus homo: Et ſi compelleretur reſpondere, an audiuerit tanquam Deus, poterit reſpondere, nequaquã vt Deus audiui; eſt enim reſponſio amphibologica, non enim audiuit vt Deus, vt cauſa principalis, ſed vt cauſa miniſterialis: Ita tenet Doctores in 4. diſt. 21. & de pœnit.cap.omnis vtriuſque ſexus. Voluit nanq; Deus, hoc tàm eſſe abditum, & occultum, vt peccata à confeſſario audita habeantur omninò pro oblitis, ac ſi nũquam fuiſſent, iuxta illud pſalmi; Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, pſal. 31. Quare cum ſacerdos dicit, Abſoluo te, promittit habere Peccata illa audita in confeſsione, ac ſi nunquam audiuiſſet, & hic eſt illorum verborũ ſenſus. Quapropter reprobãda omninò eſt opinio Iaſonis in l. prima, §. huius ſtudij, col. 2. ff. de iuſtitia, & iure, & in alijs locis relatis per Syluan. nupt. lib. 3. num. 45. qui dicebat ſacerdotem in cauſa matrimonij poſſe cogi ad propalandum, quæ audiuit in confeſsione.

Hoc ſigillum, ſecundum Scotum in 4. diſt. 21. q. 2. & Nauarrum cap. 8. num. 7. in fine, & alios durat etiam poſt mortem pœnitentis, quia cum ſit præceptum negatiuum, obligat ſemper, & ad ſemper: S. Thom. 22. q. 33. art. 2. & alij. ſed quia non ſatis eſt loqui in genere, niſi ad particularia deſcendamus.

Nouerit ſacerdos, & quiuis alius, quamuis laicus, ſub mortali peccato, ſe teneri ad celandum non ſolum peccata, ſed quæcunque alia, quæ ſub ſigillo confeſsionis acceperit, & audiuerit, ſiue ſint peccata præſentia, ſiue futura, ſiue mortalia, ſiue venialia, ſiue accidentia, & circunſtantiæ, ſiue illum verè pœniteat, qui confitetur, ſiue non, vt notat S. Tho. Scotus, Ricardus, & omnis Theologorum ſcola, & Caietanus quolib. 1. q. 11. Nec excuſatur ſacerdos, qui ioco, vel alia via, minimum veniale in confeſsione auditum detexit, ſiue exprimit pœnitentẽ, ſiue aliud dicat, vel faciat, ex quo alij conijciant, talem ſibi fuiſſe confeſſũ, quia ſacramentum confeſsionis ſigillum non debet etiam in minimis violari,

cap.

cap. vniuerſaliter. Immò nec etiam peccata aliena, quæ pœnitens aliquando dum ſua confiteretur, imprudens reuelauerit, non ſolum, quia per illa reuelantur peccata pœnitentis, ſed etiam per ſe, quia quocunque modo reuelantur homines à confeſsione peccatorum deterreri poſſent. Indocti enim, & mulieres ſæpè aliorum peccata temerè reuelant, quę niſi caderent ſub ſigillo, periculoſam certè quidem, & odioſam redderent cõfeſsionem, & crederem ſacerdotem illum incurrere pœnam canonis ſic reuelantem; Panorm. enim in cap. omnis vtriuſque ſexus, dicit, nequaquam ſine fractione ſigilli licere confeſſario ea, neque etiam in genere poſſe proferre, quæ in confeſsione audiuit, etiam abſque vlla ſuſpicione perſonæ. Quando etiam quis accederet ad confitendum, vt confeſſarium conſulat de crimine, quod ſine dubio vult perpetrare, nec conſilio confeſſarij vult ab iniquo propoſito abſtinere: tunc quando pœnitens accedit ad confeſſionem, vt confeſſarium ad mortaliter peccandum inducat, vt puta ad peccatum luxuriæ, proditionis, furti, conſpirationis, homicidij, & ſimilium; tunc dicendum videtur, cõfeſſarium poſſe manifeſtare illi, cui incumbit, vt prouideat, & ſibi caueat non enim in his caſibus fractor ſigilli dicetur, quia illa non eſt confeſsio, ſed impia Dæmonis inuentio, & ſacrilega confeſsionis abuſio: ita tenebat Abbas in cap. omnis, de pœnit. & remiſſ. quem refert, & ſequitur Angel. verbo confeſsio vltimo, nu. 7. Innocentius Monaldus, & Raymundus, quos refert, & ſequitur Sylueſter verbo confeſsio, 3. num. 1. qui ait, quod quando talis penitens, de conſilio confeſſoris non vult abſtinere, à malo perpetrando, tenetur confeſſor manifeſtare, maximè cum vergeret in damnũ publicum. Hoc idem tenet Bartholomæus Medina in ſumma lib. 2. cap. 4. Hoc tenet Alexander de Aleſ. 4. parte, q. 78. membr. 2. art. 2. quod etiam tenere videtur Nauarrus cap. 18. num. 55. cum ait, ſecretum, quod ſacerdoti committitur, etiam flexis genibus, & ſigno Crucis fronte ſignata, ſine propoſito confitendi peccata, & abſolutionem accipiendi, non obligare.

Quia ad hoc, vt quis teneatur ad ſeruandũ ſigillum, de-

Digitized by Google

bet confeſſio verè eſſe ſacramentalis, qualis eſt illa, ſecundum communem opinionem, qua pœnitens verè confitetur ſua peccata commiſſa, non committenda; quare ad cõmuniorem opinionem tenentem, nullo modo ſigillum poſſe frangi; Sotus reſpondet 4. diſt. 18. q. 4. art. 5. & etiam alij hoc eſſet verũ, quando vera eſt confeſſio, licèt pœnitens non abſoluatur: ſed hæc non eſt vera confeſſio, ergo, &c. Vnde ex prædictis colligere poteris cum Nauarro, multos caſus in particulari, quando frangatur ſigillum, vel non: vbi notandum primò, quod confeſſor, qui aliquod mortale commiſit, quod non poteſt confiteri abſque confeſſionis ſibi factæ reuelatione, tenetur illud peccatum tacere: Syluеſ. verbo cõfeſſio 3. num. 8. & communis cum Nauarro cap. 8. num. 8.

Secundò, Confeſſor, qui audiuit duos, vel tres, & de vno dixit, iſte nullum habet peccatum mortale, fregit ſigillum, quia directè ſignificat alios habuiſſe mortalia.

Tertiò, Confeſſor dicens ille confeſſus eſt grauia peccata, fregit ſigillum: Ita Palud. Nauarr. Angel. confeſſio vltim. num. fin. Armilla, confeſſor nu. 10. Syueſt. loco citato nu. 6.

Quartò, Parochus, qui ſuo parochiano dicenti, quod Eucharistiam negabat, dixit, Amice non concedo tibi hoc, quia habes caſum reſeruatum, fregit ſigillum, Nauarrus in cap. ſacerdos, de pœnit. diſt. 6. num. 53.

Quintò, Confeſſor, qui audiuit Meretricem, ſi dicat illa confeſſa eſt mihi ſua grauia peccata, vel multa peccata, frangit ſigillum, etiam ſi totus mundus ſciat, illam talia cõmiſiſſe: Nauarr. cap. 8. num. 10. & Victor. num. 186.

Sextò, Confeſſor, qui ſurgit à confeſſione, vt conſulat alium præſentem de caſu, & reuertitur ad pœnitentem, frangit ſigillum: Nauarr. ſupra, & in d. cap. ſacerdos.

Septimò, Confeſſor, qui dicit, ille eſt mihi confeſſus, ſed illum non abſolui, frangit ſigillum, Nauarr. nu. 10.

Octauo, Confeſſor, qui dicit expreſsè, Romæ, Venetijs, Mediolani, &c. committuntur grauia peccata, malè facit, licèt non dicatur frangere ſigillum: Nauarr. cap. 8. nu. 16.

Nonò, Confeſſor imprudenter facit, cum iniũgit magna pœnitentias, vel ieiunia, quæ ſtatim poſt confeſsionem obli-

Digitized by Google

gat pœnitentem eam adimplere; quia inde poteſt ſuſpicio exoriri, quod ſit grauia peccata confeſſus: ideò maximè caueat, & prudenter agat cum omnibus, ſed præſertim cum puellis, vxoribus, mulieribus, famulis, & filijs familias; Nauarr. cap. 8. num. 17.

Decimò, Confeſſor dicens, Petrus ſuis me ſcrupulis cruciat, vel minutiſſimis peccatis caput obtundit, vel eſt mihi moleſtiſſimus, non frangit ſigillum; Nauarr. cap. 8. nu. 12.

Vndecimò, Confeſſor, qui dicit, ego audiui confeſſionem Petri, vel peccata illius; vel Petrum à ſuis peccatis abſolui, non frangit ſigillum, niſi in caſu raro; Nauar. cap. 8. nu. 11.

Duodecimò, Cõfeſs. dicẽs, audiui in cõfeſsione hoc, vel illud peccatũ mortale, dũmodo in cognitionem perſonæ deueniri non poſsit, non frangit ſigillum, communis opinio, quamuis Panormitanus, vt ſupra diximus in cap. omnis, cõtrarium teneat; ſed melius, & tutius eſt omnino tacere in ſimili materia, cum Diabolus ſæpè ſua arte inde malum aliquod moliri conatur; quia in multiloquio non deeſt peccatum, & dixiſſe aliquando penituit, tacuiſſe nunquam.

Decimotertiò, Cõfeſſor vocatus in teſtem, vt deponat de peccato, quod extra confeſsionem nouerit, dummodo nil aliud dicat, niſi quod extra confeſsionem audiuit, non frangit ſigillum, etiam ſi delinquens confeſſus fuiſſet ſibi peccatum: S.Thom. 4. diſt. 21. q. 3. art. 2. receptus ab omnibus; Nauarr. ſup. nu. 19. Syluester ſupra q. 5. Victor. nu. 186.

Sacerdotes præterea monitos eſſe velim, illos cupientes conſilium, ſeu in colloquijs, quando nullum timetur periculum reuelationis perſonæ, non eſſe ſigilli fractores, immò nec etiam, vt dictum eſt, ſi dicant aliquando ſe illud in confeſsione audiuiſſe, modo id cautè fiat, & ſine ſcandalo: non enim dicitur quis frangere ſigillũ, cum reuelat aliquod peccatum, niſi fuerit applicatum huic, vel illi perſonæ; nam ſi reuelatio peccati in genere eſſet fractio ſigilli, tunc etiã nullo modo liceret in genere reuelare, nec etiam ad capiendum conſilium ſine licentia pœnitentis, quod eſt falſum, vt patet ex dicto capitulo, & in capit. officij, eo tit. Sacerdos igitur dicens Petrus, vel Berta benè confeſſus eſt mihi ſua peccata,

non dicetur reuelare confeſsionem, dummodo nullam ſpeciem peccati nominatim exprimat, quamuis pœnitens eſſet publicus peccator, vel publica meretrix.

Quando autem contigerit confeſſario non abſoluiſſe aliquem, non debet interrogatus dicere, ego illum non abſolui, quamuis (vt inquit Caiet.) in ſumma verbo confeſſor, ſic dicens, non eſſet cenſendus fractor ſigilli, ita vt pœnas canonis incurrat, niſi in ſpecie exprimat peccatum, propter qđ illum non abſoluit: ſed eo caſu dicat ſe feciſſe, quod ſuum erat.

Videant itaq; confeſſarij, quam ſibi cautè de confeſsionibus ſit loquendum, nam præter ſcandalum ſæpè fit, vt cum hæc in aures pœnitentium peruenerint, grauiter offendãtur; immò verò, quod maius eſt, ãbſtineant à commendatione ſuorum pœnitẽtium, ne ſi duas fortè audierint ſorores, & alteram pudicitiæ commendarent, videantur alteram impudicitiæ notare, quia etiam inde præberetur occaſio leuiſsimis mulierculis proferendi mendacia, ſe ipſas laudando apud confeſſarios. Ea itaq; eſt huius ſigilli ſeruandi vis, vt nullum Dei Eccleſiæ tàm graue periculum imminere poſsit, q̃ ſublatio ſacramenti pœnitentiæ, quod fieret, ſi tolleretur ſigillum; ex quo fit, vt nec ſummus Pontifex, nec tota, vniuerſalisq; Eccleſia poſsit pro quacunque excogitata cauſa, in præcepto diuino confeſsionis, ſeu eiuſdem ſigillo diſpẽſare. Nam ſi pro aliquo periculo euitando liceret reuelare confeſsionem, ita homines à confeſsione abigerẽtur, vt non ſolum periret hoc ſacramentum, tàm Eccleſiæ neceſſarium, ſed etiam tolleretur remedium obuiandi hæreſibus.

Et ſi aliquando contigerit, vt ſacerdos non poſsit ſua explicare peccata, niſi frangat ſigillum, videlicet, ſi in aliquo oppido tres tantummodo eſſent ſacerdotes, vbi vnus abſoluit alterum puta Petrum à ſuſpenſione, vel à peccato, à quo non poterat, & de hoc peccato non poteſt ipſe integrè confiteri tertio ſacerdoti, niſi exprimat ſe malè abſoluiſſe ſacerdotem, & fuiſſe in cauſa, vt ille in peccato celebraret, & fieret irregularis, vnde tertius ſacerdos ſtatim colligeret illũ fuiſſe Petrum, debet potius omittere circunſtantiam aggrauantem,

, quam reuelare, & frangere ſigillum; maius enim eſt vinculum ſigilli ſeruandi, quàm expreſsionis circunſtantiæ, mortaliter aggrauantis, & in hoc omnes conueniunt.

Si verò percontetur ſacerdos, an ſibi de licentia pœnitẽtis liceat ea reuelare, quæ in confeſsione illius audiuerit: Alexander de Aleſ. 4. par. q. 78. memb. 2. & Durandus in 4. diſt. 21. & Scotus reſpondent illud non licere, quia cum illud ſolum ſciat ſacerdos, vt Deus, non ſufficit licentia hominis, vt reueletur, quaſi dicat, de iure Diuino prohiberi huiuſmodi reuelatio: ſed S. Thom. D. Bonauentura, & Palud. videntur tenere contrarium; Verum nulla inter iſtos eſt controuerſia; nam Alexãder, & alij dicunt id licere, quãdo iterum pœnitens narraret confeſſori peccata extra confeſſionem, quæ narrauit in confeſſione, ſed negant tunc ſacerdotem non poſſe reuelare, quando pœnitens extra confeſſionem, tantùm diceret ſacerdoti, concedo tibi facultatem reuelandi ea, quæ tibi ſum confeſſus: quam facultatem S. Thom. & alij putant ſatis eſse, cum idem ſit pœnitenti dicere confeſſario, reueles me occidiſſe Petrum, & reueles hoc quod tibi ſum confeſſus; poteſt enim quis dum confitetur, dicere peccata ſua tantùm, vel propter hoc cauſas, ſcilicet vel vt abſoluatur ab eis, vel vt reuelẽtur: quando igitur eſt abſolutus, poteſt eandem intentionem explicare, quod ſcilicet reuelẽtur, quamuis eadem non narret iterum. Et quando pœnitens dat facultatem reuelãdi, facit vt ſacerdos non ſolum ſciat peccata ſua, vt Deus, ſed etiam vt homo, & ſic non dicetur diſpenſare in ijs, quæ ſunt de iure Diuino, ſed facit, vt illud ſciatur extra ſigillum, nec inde oriatur ſcandalum, nec detrimentũ aliquod confeſſionis, quia præceptum de ſeruando ſigillo datur in fauorem pœnitentis, cui poteſt aliquando pro bono ſuo renunciare, ſicuti vir, qui facit vxori poteſtatem vouendi caſtitatem: ea tamen facultate non debet facilè vti ſacerdos, niſi pro maxima neceſſitate, & vtilitate pœnitentis; & quando viderit pœnitentem id liberè, & ſpontè, non autem metu aliquo concedere: Et quamuis cõfeſſarius non egeat licentia pœnitentis, vt in dubijs conſulat peritiores; caueat tamen ne vllo modo reuelet perſonam illius,

lius, ſine eius facultate: Caueat item ne poſt abſolutionem peccatum aliquod ipſi pœnitenti reuocet ad memoriam, neque propter correctionem, nec eius conſolationem, neque ob aliam quamcunque cauſam; nam quamuis hoc non eſſet fortè ſigillum frangere, magno tamen inde poſſet pœnitens robore ſuffundi, & ſacramentum moleſtum reddi, immò etiam ſi videret pœnitentem aliter facere, quam illi in pœnitentia iniunxit, omninò diſſimulet.

Cum præterea confeſſio ſit actus perſonalis, & abſolutio fieri debeat inter præſentes, vt ex forma, Abſoluo te, coniectari licet, videat ſacerdos ne pœnitentem abſentem, vel ſaltem ignorantem abſoluat: tùm quia abſenti non poteſt pœnitentia imponi, neque admoneri, vt caueat in futurũ; tùm quia eo tempore abſoluendus fortè eſſet in peccato mortali, & abſoluẽs huiuſmodi hominem committeret ſacrilegium: neque per litteras danda eſt abſolutio ſacramentalis, vt conſtat ex decreto Clementis Octaui.

Caueat item ſacerdos, ne extra confeſſionem, exprobret peccata pœnitenti in particulari; non enim eſt hoc neceſſe, ne confeſſio reddatur odioſa, poſſet nanque pœnitens negare ſe tale peccatũ fuiſſe confeſſum, & confeſſorem redarguere, ita vt ſcandalum facilè ſuboriri poſſet. Si verò confeſſor erraſſet abſoluens aliquem, poſſet illum conuenire, & illi ſignificare magnum ſe in confeſsione commiſiſſe errorem; & propterea petere, an velit iterum confiteri, aut ſibi concedere facultatem dicendi extra confeſsionem aliquid eorum, quæ ab eo audiuit in cõfeſsione, qua obtenta, explicabit illi errorem in particulari, & tunc pœnitens tenetur iterum confiteri aut illi, aut alteri, quod ſi facere neglexerit, culpa, quæ erat confeſſor, ſit pœnitentis.

Nouerit poſtremò confeſſarius, communem eſſe opinionem Doctorum 4. diſt. 21. ſe poſſe peccatum, quod alia via, quam per confeſsionem cognouerit, reuelare, quia ſacerdos per ea, quæ audiuit in confeſsione non amittit ius dicẽdi ea, quæ nouerit extra illam: immò non ſolum ſi ſacerdos illud ſciuerit alia via, vel etiam ſi habet indicia poteſt illud in iudicium deferre. Caueat tamen à ſcandalo, ne videlicet ea

defe-

deferat, quæ audiuit in confeſſione, niſi in promptu poſſit probare cauſas, vel indicia, quibus id alia via ſciuerit, ne inde oriatur ſuſpicio reuelationis confeſſionis, & fractionis ſigilli, quod ita ſeruandum eſt, vt nullo modo, metu, ſignoue aliquo videatur peccata pœnitentis prodere, de quo multa habes apud Nauarrum cap. 8.

Reuelanti enim confeſſionem à canonibus in cap. ſi ſacerdos, deponitur, diſt. 6. depoſitionis pœna infligitur, & per totam vitam ignominioſa peregrinatio. A decretali verò omnis vtriuſque ſexus, §. caueat, vltra depoſitionem, infligitur etiam detruſio in monaſterium ad perpetuam pęnitentiam peragendam.

Præter ea, quæ dicta ſunt ad maiorem confeſſarij inſtitutionem, alia quædā non minus vtilia, quàm neceſſaria, huc referenda curauimus: nam cum finis confeſſarij ſit pœnitētem Deo reſtituere, deq; pęnitentis ſceleribus ſententiā ferre, ac demum illius mederi morbis, & virtutes augere, hocq; maximè fieri ſacramento pœnitentiæ, cuius ipſe confeſſarius eſt artifex, & miniſter. Artifici verò materiam neceſſariam eſse dicimus, atq; ex ipſa opus exiſtere, expoſuimus materiā eſſe pęnitentem ſubditum, & contritū. De contritione, attritione, & cæteris pęnitentiæ partibus nunc non docemus. Opus ipſum dicimus eſſe ipſam confeſſionem, adhibita forma: qua rerum naturā, qualitates, & ordinem explicamus.

Ad Confeſſarios.

Confeſſarij igitur munus eſt hæc oīa ex arte præſtare, ſed cū hæc fieri nequeant, niſi ab eo, qui id faciendi habeat facultatem, neque ſit ſatis aliquid facere, niſi id ritè, ac rectè fiat; tria dicebamus cōfeſſario eſſe neceſsaria, ſi optimè ſuo munere fungi vellet: auctoritatem videlicet, vitæ probitatem, & ſcientiam: auctoritatemq; in eo ſitam eſſe, vt ſit ſacerdos, cum iuriſdictione, non ſuſpenſus, non excōmunicatus, non interdictus, &c. vitæ probitatem, ne rem ſacram impuro animo tractans, ſeipſum contaminaret. Quare aūt ſcientia illi ſit neceſſaria, finis ipſe declarat: nam ſi illius eſt iudicare dicta, vel facta, vel cogitatus pęnitentis ſint

ne peccata, & qualia, atque pœnitentis vulneribus mederi, erroresq; punire, neceſſariam illi diximus cognitionem legis Diuinæ, atque humanæ, vt benè diſcernat, num contra has leges aliquid pęnitens commiſerit. Circunſtantiarum quoq; peritia diximus confeſſarium debere eſſe inſtructum, vt rectè cerneret, quod cui delicto præpŏderet, certos etiam canones illi neceſſarios, quibus doceatur ſit ne crimē venia, an morte dignum; quæ omnia cum ſuperius hactenus præſtiterimus, duo tantum ſupereſſe videntur: alterum, vt morbo, pęnitentis mederi poſſit. Alterum, vt facta impia, caſtiget, & puniat: hoc Iudicis eſt, illud medici, & animarū curatoris. At verò cum morbus animi duplex ſit, duplex quoque adhibenda eſt medicina: aut enim ignorantiæ morbo laborat pęnitens, aut voluntate peccauit: voluntas verò, aut affectu fuit impulſa, aut malicia, & prauitate infecta.

Poſtquam igitur pęnitens explicauerit, quæ ſibi veniebāt in mentem, ac tota ſuæ vitæ rationem expoſuerit cōfeſſario; huius partes erūt; Primò, illum veritatem docere, ſi ille errauit, iudicans eſſe peccatum, quod non eſt; aut contra: vel eſse veniale, quod eſt mortale, & è conuersò; aut minus graue prætulit grauiori, vel contra. In his præſertim, quæ pęnitens neceſsariò tenetur ſcire; vt communia præcepta charitatis: nonnullas leges eccleſiaſticas, & quæ ad ſuum pertinent ſtatum: Idem eſt cenſendum dę cenſuris eccleſiaſticis, ſi in illis ipſe errasset. Secundò, tum ipſe repetet, quæ ille omiſerat, diſcurrens per diuina, & humana præcepta, atque ſtatus, qui ex vtraque lege conflatur. Tertiò, idem faciet de circunſtantijs neceſſarijs, ſi opus fuerit. Quartò, quæ vbi præſtiterit ſumma diligentia, & ordine, tunc illum hortabitur ad maiorem ſuorum criminum deteſtationem: Alium conſolabitur: hunc eriget, illum deprimet: hunc humanitatem, & modeſtiam, alium ſpem edocebit. Huius diligentiam in colligendis peccatis, & ordinem exponendi, laudabit, cohortans, vt Deo, ob id gratias agat, vnde manat quicquid in nobis eſt boni: Illius verò negligentiam, & confuſionem reprendet, admonens, vt de cætero ſit diligentior.

Quintò, quod ſi pęnitens doctus, ac diligens fuerit, præ-

ſertim

ſertim ſacerdos, qui frequenter, aut quotidie celebret, aut nihil ei dicat, aut dicat nihil opus eſse illum docere, aut reprehendere, qui nouit ſua crimina eſse grauiora aliorum ſceleribus; ſi cætera ſint paria: cum à Deo in hoc mundo veluti Sol, & lux ſit conſtitutus.

Sextò, vbi nihil iam ſupererit, quod à pęnitente confeſſarius percontetur, iubebit illum confeſsionem concludere, ſe de ijs omnibus accuſando, quæ expoſuit, & in vniuerſum, quorum non recordatur: ſiue illa opere, ſiue cogitatione, ſeu verbo commiſerit: quæ omnia deteſtetur, quia ijs Deũ offenderit, ac proponat de cætero vitam in melius cõmutare, & peccandi occaſiones fugere.

Septimò, non tamen voto, aut iuramento illum aſtringet, neque ad aliquid faciendum, vel non faciendum, hac lege obligabit, ſatis eſt enim, ſi affirmat ſe id facturum, niſi ius aliud præciperet, vt de excommunicato ob publicam offenſionem, vel debitum, quem ius canonicum vetat abſolui, antequam reſtituat, cap. ex parte, cap. cum olim, de verborum ſignific. & cap. ſolet, de ſent. excom. lib. 6. & de Incendiario iniuſto, vel præcipiente, vel conſulente, quorum nullus debet abſolui priuſquam ſatisfecerit, vt potuerit, & iurauerit ſe nunquam poſthac incendio perniciem illaturum peſſimam; vt ẽt de eo, qui membrorũ abſcidit; cap. ſi quis mẽbrorum, eadem cauſa, & quæſt. publicus etiam Latro, & violator Eccleſiarum, prius debent ſatisfacere, vt potuerint, vel dare cautionem, quam recipiant abſolutionem, cap. ſuper eo, de raptionibus.

Vſurarius quoq; manifeſtus non debet abſolui, immò nec audiri antequam reſtituerit, vel dederit idoneam cautionẽ; cap. quamquam, verſ. Nullus, de vſuris lib. 6. Qui etiam publicè notoriam iniuriam intuliſſet perſonæ eccleſiaſticæ, non eſt admittendus ad communionem, donec ſatisfecerit, cap. quiſquis inuentus fuerit, 17. q. 4.

Octauò, ne facilè iudicet confeſſarius, crimen auditum eſſe mortale, quod non certo nouit eſſe tale: & vbi ſunt variæ opiniones auctorũ, ne pœnitenti laqueum injiciat, poſtquam non tenetur iudicare vtrum omnia peccata, quæ audit, ſint

mortalia, ſed illa ſola, quæ conſtat eſſe talia: In alijs ſatis eſt ſi dubitat, & conſulit eruditos, vel ipſemet inquirat, conſulendo codices, & dicat pœnitenti, vt poſtea ad ſe reuertatur: quod ſi tam cito efficere non poteſt, cum abſoluat, præcipiẽdo, vt de illo dubio hunc, vel illum conſulat, vel in vniuerſum peritos, quorum ſententiæ acquieſcat: Qui enim ita obedire paratus eſt, contritus videtur, & abſolutione dignus, ni aliud obſtiterit; Aug. verbo confeſſio 4. §. 3. & 4. Sylua verbo confeſſor, 3. §. 10.

Nonò, ſummoperè caueat confeſſarius ne abſoluat pœnitentem, affirmantem ſe non poſſe, aut nolle facere aliquid, quod neceſſarium eſt omnino, vt reſtituere aliena, mortale odium relinquere: Concubinam abijcere, aut aliquid ſimile, alioquin grauiſſimè peccaturus; quod ſi opinio Doctorum fuerit varia, & pœnitens ſentit aliud, quam confeſſarius, huius erit firmum, & neceſſarium argumentum, quo ipſe nititur exponere pœnitenti; qui ſi noluerit neceſſariæ rationi fidem adhibere, & in ſua ſententia malè perſeuerauerit, minimè erit abſoluendus. At ſi confeſſarius caret neceſſario argumento, nixus tantum probabili, cui penitens acquieſcere non vult, vel quia ſequitur ſimpliciter cõtrariam opinionem, vel quia habet aliquod probabile argumentum, cui innititur, non ideò debet confeſſarius, ſiue ſit parochus, ſiue quicunque alius, illi abſolutionem negare. Hac enim diſtinctione non vtitur Adrianus, cuius eſt hæc opinio, contrariæ opinioni Goffredi, quam ſequitur Diuus Antoninus 3. part. tit. 17. cap. 10. §. 2.

Decimò, hic vellem confeſſarium aduertere, vt expenderet, an res illa dubia, de qua non conuenit ipſi cum penitente, num hoc vel illud ſit peccatum mortale, tunc enim debet vterq; ſequi partem ſecuriorem; an verò vtrum pœnitens ſit obligatus hoc, vel illud agere, vel reſtituere, aut rẽ aliquam dare, ſiue pœnam ſubire, & alia huiuſmodi, in quibus cõfeſſarius debet ſequi opinionem benigniorem. Dixi an res illa dubia, nam ſi penitens, vel confeſſarius credit ſuam opinionem eſſe veram, non dubitat, & ideò res non erit illi dubia, ac proindè nulla opus erit conſulatione.

Vnde-

Vndecimò, ſi confeſſarius nouerit pęnitentem eſse obligatū ad reſtituendum, perſuadeat illi, vt quamprimum poterit, id efficiat, perditurus alioquin adeptam gratiam: qđ ſi aliquoties promiſerit ſe id facturum, nec fecit, cum poſset, non abſoluat illum, niſi prius reſtituerit, niſi ratio aliud ſuaderet.

Duodecimò, cum inuenerit pęnitentem confeſsum fuiſse peccatum, quod ipſe non poteſt abſoluere, percontetur illum an habeat priuilegium vniuerſale ex ordine, vt ſi eſset Religioſus, vel aliqua alia cauſa, vt ſolet contingere in ſecularibus ſubditis alicui domino, vel perſonæ: An verò habeat priuatum à ſummo Pontifice, aut Nuncio, aut Epiſcopo, cuius facultate poſſit abſolui: vel Bullam à ſummo Pontifice, quæ hoc idem præſtet: Horum ſi nihil fuerit, abſoluat illum, de quibus poteſt, & remittat pœnitentē ad ſuperiorem, cui ſolum confiteatur reſeruata, vt de illis eum abſoluat, vel det confeſſario facultatem abſoluendi, aut ipſe pœnitens vel per ſe, vel per alium, ante, vel poſt confeſſionem, ſecretò, ſcriptis, aut verbo accipiat facultatem à ſuo ſuperiore, qua à ſuo confeſſario de huiuſmodi peccatis poſſit abſolui. Verum quia hoc modo pœnitens periculo ſeſe exponeret, declarans ſuum peccatum extra confeſſionem, cōmodius fuerit, ſi confeſſarius per ſe, vel per alium, ſcripto, aut verbo petat facultatē à ſuperiore abſoluendi aliquem (cuius nomen tacebit) à crimine ipſi reſeruato.

Decimotertiò, nunc propius ad medendum morbis animi accedamus: ſi igitur ignorantia laborat pœnitens, hunc veritatem doceat confeſſarius paucis, ac dilucidè.

Decimoquartò, ſi peccat ex animi affectione, in vniuerſum doceat illum orare, occaſionem fugere, ocium, & improborum ſocietatem vitare, bonis ſeſe adiungere, frequentare Euchariſtiam, legere, vel audire Doctrinam Diuinam: Mortem, Iudicium, Infernum, & ſempiternam gloriam cogitare, idq́; faciet confeſſarius, quamuis probabiliter coniectaret, immò certò ſciret, illum nihil minus facturū. Præcipuè verò ad diuina beneficia recolenda, & peccatorum deteſtationem adhortabitur: quæ tamen nolo, vt omnia ſimul

præſtet, neque nuda, & ieiuna, ſed adhibeat delectum, expẽdens quid, cui magis congruat, & orationem ita artificioſè amplificet, & quacunque irrumpat, faciat animo impreſſionem: vnde oportebit optimos quoque legere auctores, & in hoc genere dicendi ſeſe exercere.

Decimoquintò, priuatim autem adhibendũ erit vnicuiq; affectui contrarium remedium; ſed cum omnes animi prauæ affectiones ex ſui nimio amore naſcantur, amor verò ex ſui ipſius ignorantia manat: omnibus animorum perturbationibus, & procellis præſentaneum remedium, quo horrendæ illæ tempeſtates, facilè ſedarentur, eſſe, credere, cogitare, animoq; ſæpius voluere quales fuimus, qui ſimus futuri, & quales nunc ſimus; atque bonorum omnium, quibus turgemus originem, & fontem inquirere.

Decimoſextò, Quæ medicina cum omnibus morbis animi dulciter medeatur, præcipuè tamen effrenatæ cupiditati propriæ excellentiæ.

Decimoſeptimò, Quam, cùm ira vt plurimum comitetur, ad hanc comprimendam, præter illud remedium, non parum profuerit, ſubeundam iniuriam animo priùs concipere, & illum obfirmare ad grauiter ſuſtinendum quicquid nobis illatum fuerit, conſiderando maioribus ſupplicijs nos eſſe dignos: & Chriſtum grauiora pro nobis ſuſtinuiſſe; quo genere armorum, non modo illatam iniuriam ſuſtinemus, verum etiam aduerſa omnia, æquo animo toleramus: quod ſi aliorum aduerſus te rabiem excitatam deſideras conſopire, abi, vel tace, aut dulcia blandè reſponde.

Decimooctauò, Carnis illecebras, fuga occaſionis, parſimonia cibi, & potus, corporis defatigatione, & aſperitate; oratione, meditatione ignis æterni, carnis etiã dolore ſpontè aſſumpto, dum vrget hoſtis, facilè ſuperabis.

Decimononò, Si Deo fidis, ſi conſideras magnis opibus animum non expleri: ſi expendis huius breuitatem, non admodum eris ſollicitus de ingentibus diuitijs comparandis.

Vigeſimò, Qui gulæ abiectionem, & detrimentum conſiderat, atque animum firmat propoſito abſtinendi, rarò erit vorax.

Vigeſimoprimò, Cum nemo velit ſibi ipſi damnum inferre, neque haberi abiectus, non erit ei difficile domare inuidentiam, qui perpendit hanc Viperam ſoli inuido nocere, eiusq; viliſſimum animum omnibus declarare.

Vigeſimoſecundò, Torporem cœleſtis amor, item & gehennæ timor, Iterum moneo, hæc remedia eſſe amplificanda, & illuſtranda exemplis, & illuminanda aptis figuris; quare prodeſſet vnam, aut alteram venuſtam, & eruditam orationem de ſingulis componere, vnde poſſet deſumi aptum remedium, quoties opus eſset.

Si verò crimen natum fuerit ex malitia, vnũm ſupereſt remedium, idq; neceſsarium mutare voluntatem; ad quod efficiendum valdè conducet ſedulò, & grauiter expendere mala omnia, quæ in vniuerſum, & priuatim crimen aliquod conſequuntur.

Sed tempus eſt, vt de iniungenda pœnitentia diſſeramus: Verum quoniam hæc pœnitentia non modo eſt remedium, ſed etiam ſatisfactio; priuſquam oſtendamus, quæ, & quãta pęnitẽtia ſit iniungenda, pauca de ſatisfactione dicamus.

De Satisfactione:

PRimò ſit igitur nobis hæc ſatisfactio, recompenſatio, Diuinæ offenſionis, animo fugiendi occaſionem peccandi. Docet enim noſtra Catholica Fides, peccatorem nõ modo proximo debere reſtituere ablata, verumetiam Deo penſare iniuriam, quàm illi intulit trãſgreſſione ſuorum præceptorum, idq; vel in præſenti vita aſſumpta aliqua voluntaria pęna, vel à Deo immiſsa, vt nobis demonſtrant exempla Dauidis, & populi Iſraelitici: quos emendatos, Deus ſeueriſſimè flagellabat: Vel per indulgentias à ſummis Pontificibus conceſſas, vel in futura per ignem purgatorium.

Secundò, Vnde quemadmodum pęnitenti neceſsaria eſt voluntas ſatisfaciendi, ita non eſt fortè ſimpliciter conceſſum ſumere pœnitentiam à confeſſario ſibi iniunctam, neq; habere animũ hic ſatisfaciendi, quamuis Paludanus repugnet.

Ter-

Digitized by Google

De iniungenda Pœnitentia.

CVm ſatisfactio ſit compẽſatio æqua diuinæ offenſionis, debet confeſſarius iniungere pœnitentiã æqualem ſceleris grauitati, ne ſi iuſta non ſit, falſa D.Gregorio habeatur, cap. Falſitas, de pœnit. diſt. 5. non quod nihil proſit, aut reddat abſolutionem inutilem, ſed quia poſſit fallere pœnitentem, dando illi occaſionem credendi ſe tali pœnitentia peracta, fore liberum ab omni ſupplicio. Quare grauiter Abulenſis doctiſſimus annotauit ſuper cap. 18. Matth. q. 45. circa finem, eum confeſſarium non carere vitio (quamuis non declarat an illud ſit mortale) qui temerè, atque impetu animi, parua, aut nulla habita ratione circunſtantiarum, præſcribit pœnitenti ſatisfactionem, grauiter peccaturus, ſi conſulto nullam adhibuiſſet: cui ſententiæ planè ſubſcribit concil. Colonien. de ſatisfact. §. ex prædictis, vberrimè diſſerens de hac materia.

Adrianus etiam docet, de clauibus q. 2. col. 6. ſacerdotem non debere offenſiones Dei condonare, abſq; graui ſupplicio, & prudentia: alias etiam refert Nauarr. in cap. falſas, nu. 12. de pœnit. diſt. 5.

Alij quoque dicunt non eſſe argumentum veri amoris in Deum, paruam iniungere pœnitentiam, nec prudentiæ iudicio gaudere, quod paruam iniunxerit: Auguſt. cap. ſi ijs, qui prælatus, 23. q. 4.

2. Illa autem eſt pœnitentia iuſta, quæ neque eſt maior, neque minor delicto, quã qui adimplet, ſoluit quicquid pœnarum erat paſſurus in Purgatorio pro delictis, quæ confeſſus eſt, Maior. in 4. diſt. 2. col. 5.

3. Quæ verò ſit illa, ſoli Deo eſt notum, qui ſolus nouit, quæ pœna debeatur peccatori in Purgatorio ob delicta, quæ confeſſus eſt. Cum ille vnus teneat grauitatẽ criminis, vim contritionis, affectum abſolutionis, meritum ſatisfactionis, tàm in operibus ſacramentalibus, quàm in alijs, quæ ob maiorem, vel minorem gratiam, aut deuotionem ſunt maioris meriti, vel minoris momenti apud Deum, ſaltem ex opere operantis.

4. Ia-

4. Iactatur vulgo tanquam ex Gratiano deſumptum, vnicuique peccato mortali, iniungendam eſſe pœnitentiam ſeptem annorum, iuxta ſanctiones Pontificias. At nunquam reperi textum, qui id præciperet, aut affirmaret, quamuis multæ authorum annotationes id aſſerãt, quod etiam ſequitur Hoſtienſis, Palud. D. Anton. & communis ferè opinio. Conſuetudo etiam Romanæ Eccleſiæ in concedendis indulgentijs, ſatis innuit hanc opinionem eſſe vulgo receptam, dum in illis ferè meminerit ſeptiesquadraginta ſeptem annorum, ſeptem millia annorum, & aliorum huiuſmodi; at D. Thom. & ante ipſum D. Hieronymo aliter videtur in 4. diſt. 20. q. 2. & in cap. menſuram, de pœnit. diſt. 1. Nam neque Gratianus affirmat id fuiſſe ab Eccleſia conſtitutum, ſed tantum aſſerit, hanc fuiſſe veterem Eccleſiæ cõnſuetudinem, vt nonnullis grauiſſimis peccatis, ſeptem annorum pœnitentiam iniungeret. Quid? quod ſi eſſet ab Eccleſia conſtituta, non ideo eſſet iniungẽda in confeſſione pœnitenti, ob grauia peccata, cum illa ſit exterioris fori, & non interioris, quemadmodum etiam canones pœnitentiales, quos Hoſtiẽſis colligit in ſumma de pœnit. §. quæ pœnæ. Vt taceam quam benè poſſit iniungi pœnitentia ſeptem annorum pro ſingulis peccatis mortalibus pœnitenti, qui in vna confeſſione viginti millia confitetur.

5. Quantitas igitur, & qualitas pœnitentiæ iuſtæ, ſemper eſt relicta, & relinquitur infligenda arbitrio, & iudicio confeſſarij, per dictum cap. menſuram, & cap. Deus, qui, de pœnit. & remiſſ. & cap. tempora, 26. q. 7. ſicut gloſſ. in d. cap. menſuram, & Panorm. cap. Deus, qui, &c. Non quod pœnitens, peracta pœnitentia ſibi à confeſſario iniuncta, ſiue parua, ſiue magna illa fuerit, ſatisfaciat omnibus pœnis, quas pro ſuis criminibus paſſurus erat in Purgatorio, vt nonnulli falsò ſenſerunt, ſi Petri Lombardi, & communis opinio iſtorum ſententiæ contraria, vera eſt, aut quod pœnitens teneatur accipere pœnitentiam, quàm prudens, & iuſtus confeſſarius illi impoſuerit: ſed quia hoc pacto ſatis benè agitur cum pœnitente in hac vita, & in futura.

6. Quoniam igitur confeſſarij partes ſunt, iuſtam pœnam con-

conſtituere, quod vt poſſit efficere, maximè conſiderabit, grauitatem peccati, contritionis quantitatem, ingenium, vires, conditionem, & conſtitutionem corporis pęnitentis: Aliaq; omnia accidentia, vir, an mulier, adoleſcens, an ſenex, imbecillis, an robuſtus, diues, an pauper, ocio, an laboribus aſſuetus, ſeuerè viuat, an delicatè: ſoleat ne auſteritatem pęnitentiæ ſibi aſſumere, an non; quantum, & quoties, & alia mille huiuſmodi, quorum nulla ferè vulgo habetur ratio, cum ſint maximè neceſſaria: vt pauperi nō multum eleæmoſynarum iniungendum: eis, qui corpus aſſiduis laboribus exerceāt, ieiunia adhibenda non ſunt; nec duræ pęnitentiæ delicatis, & imbecillibus; Nec ieiuniū cum pane, & aqua, & ſolitudine melanconicis: Nec peregrinationes mulieribus, præſertim coniugatis, quæ rectius manent domi, vnde poſſunt ſpiritualiter diuos honorare, neq; abſque maritis longum iter arripere, etiam honeſta ex cauſa; Nec ſeruo ieiunia, peregrinationes, & alia, quæ redundant in domini detrimentum; Nec filijs, aut filiabus, vel vxoribus, aut maritis ææ pęnæ ſint iniungendæ, quibus peccatum prodi poſſet: Nec multum orationum homini docto occupatiſſimo, vt Iudici Lectori, Principi, & ſimilibus: Quæ vbi diu multumq; expenderit diligens confeſſarius, expendat etiam num pęnitens illam ſit accepturus, necne: Et an peracturus, quamuis acceperit: quoniam ſi probabiliter coniectaret illum non accepturum eſſe pęnitentiam ſibi conſtitutam, aut illam non peracturam, talem non illi iniunget, ne det occaſionem peccandi.

7. Docebit igitur confeſſarius pœnitentem ſoli Deo eſſe notum, quæ pœnitentia æqua ſuis delictis eſſet illi infligēda; nihilominus ſolere antiquitus pios homines, qui Deum timebant, & cupiebant præſenti pœnitentia, redimere Purgatorij pœnas futuras, aſſumere pœnitentiā ſeptem annorum pro ſingulis grauibus peccatis, iudicātes tām longi temporis pœnitentiā neceſſariam eſſe in hac vita, vt ſic poſſent omnino euadere futurum ſupplicium Purgatorij.

Quantum ego tibi non impono, dicet confeſſarius pœnitenti ne ſcandalizeris; at ſi placet imponam, quo annuente,

addat illi iuſtam pœnitentiam, ſi iudicat illam peracturum, conſideratis, quæ ſuperius attulimus de natura, eiuſq; cõditione, & vſu, atque perpenſis, quæ in canonibus pœnitentialibus præſcribuntur; quamuis enim ſperandum non ſit, nũc homines recepturos pœnitentias antiquitus conſtitutas: tamen optimum eſſet, ſi nonnulli illas reciperent; Tùm quia indulgentiæ antiquitus, & nunc conceſſæ, in quibus tot anni indulgentiarum conceduntur, ferè loquuntur de his pœnis, quas confeſſarius pœnitenti iniunxit. Quare niſi fuerint additæ pęnitenti à confeſſario, non remittuntur huiuſmodi indulgentijs, vel niſi firmo animo ſibi ipſi pœnitens ſponte ſua illas conſtituerit; At talem pęnitentiam ſibi non ſtatuũt pęnitentes, vt plurimũ, niſi confeſſarius illam præſcripſerit.

8. Quod ſi pęnitens tantam pœnitentiam noluerit accipere, det illi confeſſarius tàm paruam, quàm pœnitenti placuerit, exponens quæ illi pęna maneat in Purgatorio. Moneat etiam, vt ſi die præſcripto non ieiunauerit, aut orauerit, ieiunet, vel oret alio die, aut orationem, ſiue ieiunium redimat eleæmoſyna.

Quamuis enim aliquis ſit grauiſſimus peccator, non tamen ideò pœnitentia, quam nolit, poſtquam non tenetur ex præcepto accipere pœnitentiam, quæ excedat orationem dominicam, ex ſententia Hoſtienſis in ſumma de pœnit. §. an ſit mos: quod de operibus, neque ipſam orationem dominicam, ex ſententia Caietani, verbo ſatisfactio: quamuis Paludanus repugnet non ſine quare, ſatis namque eſt, vt ſuperius diximus ad abſolutionem conſequendã, ſi velit hic, vel in Purgatorio Deo ſatisfacere; quod intelligi volo de pœnitentia, quæ ad ſatisfactionem peccatorum iniungitur, & non de ea, quæ ad euitandum peccatum, imponitur, vt fugere occaſionem peccandi: relinquere officium, quod exerceri non poteſt abſque peccato mortali: Non proſequi odio proximum, & alia huiuſmodi, vel neceſſario præſcribitur ob culpam, quam eſt confeſſus, vt reſtitutio rei alienæ: Nam qui hæc præſtare noluerit, nulla ratione eſt abſoluendus.

Quamuis autem totam iuſtam pęnitentiam illi iniungat, vel bonam partem, vel minimam, vel nullam, ſemper tamen

non debet illum adhortari, vt proponat velle ſe Deo ſatisfacere in hac vita ſanctis operibus, vel laboribus, quos ſpontè, aut neceſſariò debet ſubire, vel perpeti, quo poſſit indulgẽtias conſequi à ſummis Pontificibus conceſſas: Hac de cauſa iniungat illi confeſſarius ſi, & quatenus opus fuerit in pęnitentiam, omnia bona opera, quæ eſt facturus pęnitens, ſiue benè operando, ſiue diuerſa æquanimiter tolerando: Et moneat, vt omnia ad hunc ſcopum dirigat; præter illa, quæ neceſſariò facere debet, vel ſponte vult præſtare, vt alijs ſatisfaciat.

10. Ex quibus conſtat, multas ob cauſas poſſe confeſſarium minorem pęnitentiam, quam ſit iuſta, iuſtè iniungere pęnitenti.

Primò, ſi pęnitens iuſtam noluerit accipere.

Secundò, ſi omnia opera totius vitæ, in pęnitentiam, illi adiunxerit.

Tertiò, ſi magnus peccator parum dolet de ſuis delictis, ne magna pęnitentia exiguum dolorem, veluti copia lignorum paruum ignem extinguat.

Quartò, ſi tantam contritionem cernit in pęnitente, vt illa ſuperet exteriorem ſatisfactionem.

Quintò, ſi pęnitens fuerit ſenex, ægrotus, infirmus, aut aliqua iuſta ratione ita impeditus, vt iuſtam non poſſit adimplere.

Nihilominus ſemper debet confeſſarius inculcare pęnitenti, quæ eſſet illi iuſta pęnitentia imponenda: & quanto magis Deo hic ſatisfaciat, parua pęna ſuſcepta, quam ſi magnam pateretur in Purgatorio: & poſtquam in hac vita, ſemper ſeſe nobis offerunt tolerãda aduerſa, moneat illum, vt iam nunc omnia huc dirigat, etiam mortem ipſam, quæ res non modo erit pars ſatisfactionis, verum etiam faciet, vt omnia æquiori animo ferat, aut ſaltem minori acerbitate.

11. Si ergo ob dictas cauſas, põt confeſſarius præſcribere pęnitenti minorem pęnitentiam, quam ipſius delicta exigant, multo magis poterit illi commutare pęnitentiam ab alio confeſſario iniunctam, ſi iuſtâ cauſa hoc poſtulauerit.

Poterit autem eſſe vna ex iuſtis cauſis, ſi pęnitens, qui hoc

poſtulat, indicauerit ſe non poſſe adimplere pœnitentiam ſibi iniunctam; vel niſi cum magna difficultate, vel periculo. Tunc ſiquidem poterit eam commutare, non modo, qui illam iniunxit, verum etiam alius confeſſarius illo inferior; vt Epiſcopus iniunctam à ſummo Pontifice: parochus iniunctam ab Epiſcopo (modo adſit iuſta cauſa, vt diximus) quamuis illius peccata non audierit, ſi tamen confeſſarius immutans pœnitētiam, habeat facultatem abſoluendi ab illis peccatis, pro quibus pœnitentia fuit iniuncta.

Quod ſi ipſe non poteſt abſoluere illum, à quo illam acceperit, imminetq́; periculum mortis, aut morbi, aut peccati, ſi in illa perſeuerat; poterit etiam illam cōmutare: æquius tamen eſſet, ſi pœnitens ceſſaret, tunc adimplere pœnitentiam, & expectaret ſuum confeſſarium, aut alium, à quo poſſet commutari.

12. Illud etiā ex ſuperioribus colligimus, quamuis nōnullis contrarium, poſſe nos Deo ſatisfacere pro pœnis, quas in Purgatorio eramus paſſuri, ſi hoc animo hic facimus, quę nobis neceſſario erant facienda ex diuino præcepto, aut humano, tanta Dei eſt miſericordia. Quamobrem poterit cōfeſſarius iniungere pœnitenti hæc eadem opera; quæ ſi ille hoc animo perfecerit, ſatisfaciet diuino, & humano præcepto, quibus ad id obligabatur abſque præcepto confeſſarij; cuius etiam præcepto ſatisfaciet; nec minus hac ratione merebitur, quam ſi non teneretur illa præſtare: Nauarr. in cap. primo, de pœnit. diſt. 7. num. 40.

At ſi confeſſarius pœnitentiam iniungēs, non explicauerit ſe pœnitenti iniungere tot ieiunia, aut aliquid huiuſmodi, quæ pœnitēs ob aliquid aliud præceptum tenetur implere, ſemper intelligendum eſt ea addidiſſe, ad quæ pœnitens alias non tenebatur. Quare ſi illi præceperit, vt ter ieiunaret, nequaquam ſatisfaceret pœnitens, ieiunando tres dies ex Quattuor Temporibus, ſi illos præcepto ieiunare tenebatur, nimirum natus viginti duobus annis, & nulla iuſta cauſa impeditus.

13. Optimum ergo eſt, pœnitentiæ coniungere particulas illas, quicquid boni feceris, &c. quæ ſunt in Catholica

Eccleſiæ receptæ, præſertim ſi pœnitenti exponantur.

14. Caueat etiam confeſſarius ne conſulat pęnitenti, vt relinquat officium illud, aut ſtatum viuendi, in quo frequēter peccat, cum periculo accipiendi aliud vitæ genus, æquè periculoſum: Vt ſi mercatori, aut cuiquam alij, cui ſua ars eſſet occaſio alijs imponēdi, ſuaderet, vt relinqueret artem illam, & hinc nanciſceretur parem occaſionem furandi, aut aliam non minorem adulterandi: Cum ſatis ſit illum proponere nolle de cætero cuiquam imponere, & velle ſatisfacere, & reſtituere, quæ iniuſtè accepit.

At ſi officium illud eſt coniunctum cum peccato mortali, neceſſariò deſerendum eſt, quamuis maiorem occaſionem grauius peccandi inde acciperet: neque ratione vlla abſoluendus, ni ſe ab illo abdicare proponat.

15. Summoperè conabitur confeſſarius aſylum peccatoris demoliri, vt ſpem longioris vitæ adoleſcētibus, fiduciam opum diuitibus, Principibus Regni ſtabilitatem, &c.

16. Si viderit aliquem immerſum alicui vitio, perſuadeat illi, vt ſtatuat apud ſe, aut voto etiam firmet (non tamen ad id cogat) vt quoties in illo errauerit, toties ieiunet, vt flagellis corpus caſtiget: aut pauperibus tantam pecuniam eroget, aut aliquid boni operetur, quod ipſe ſine ſcandalo, aut periculo præſtare poſſit.

Quomodo ſe agere debeat confeſſarius circa eos, qui ſunt in articulo mortis.

PRimò, eum in articulo mortis verſari intelligo, qui ita ægrotat, vel in tali periculo eſt cōſtitutus, vt probabiliter credatur eum è vita diſceſſurum; vel de cuius vita dubitant Medici, aut aliqui periti in ea arte, ad quam iudicium illud ſpectat.

2. Quo in ſtatu, poteſt, ſi confeſſus fuerit, abſolui à quocunque ſimplici ſacerdote, & catholico, qui non ſit præciſus, neque excommunicatus, à quouis peccato licèt grauiſſimo; & ab omni vinculo excommunicationis, abſque vlla alia facultate. Dixi ſacerdote, propterea quod alius à ſacer

dote, etiam in ſacerdotis abſentia, non poteſt illum abſol-uere, neque à peccatis, neque ab excommunicatione. Dixi catholico, & non præciſo, vt excluderem ſciſmaticum, hæreticum, excommunicatum maiori excommunicatione, interdictum, ſuſpenſum, notorium, denunciatum; quorum nullus poteſt audire, aut abſoluere pœnitentem, ſi alius adſit etiam ſimplex ſacerdos.

3. Neque opus eſt, vt talis confeſſarius moneat pœnitētem, vt concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. in caſu neceſſitatis, omnis ſacerdos ab omnibus abſoluere valet. poſtea conueniat ſuperiorem (ſi ſuperuixerit) à quo abſoluatur à peccatis reſeruatis, niſi habuerint excōmunicationem annexam; Tunc enim reincideret pœnitens in excommunicationem, niſi recuperata valetudine, peteret à ſuperiore abſolutionem ab excommunicatione, per cap. eos, qui, de ſent. excō. lib. 6. Decretalium.

4. At ſi ſuperior haberi poteſt, neque eſt periculum in mora, non debet ſimplex ſacerdos eum abſoluere à caſibus reſeruatis, neque vota vlla remittere, aut commutare, niſi habuerit talem facultatem.

5. Si ægrotus ſermonem amiſerit, aut ſenſum, auditus, aut incidit in phreneſim, aut aliquod impedimentum huiuſmodi, & antea oſtendit ſigna contritionis, eleuatione manuum, tunſione pectoris, vel orando, vt Deus ipſius miſeretur, aut propitius ſibi eſſet, aut aliqua huiuſmodi ratione, quamuis nulla petierit ſacramenta ob repentinum, & inopinatum caſum, & grauiſſimis, atque obſtinatus extiterit peccator longo tempore, neque confeſſus fuerit, poterit tamen ſuſcipere Euchariſtiam, extremam vnctionem, & abſolui à cenſuris, in quas inciderit. Poſſunt etiam ei concedi Indulgentiæ, ſi quas habebat, vt eis vti poſſit: peccatorū tamen abſolutionem ſacramentalem ex ſententia aliquorum nullus poteſt ei concedere. Cum ſcelerum confeſſio ſit pars vna eſſentialis huius ſacramenti, & ille nihil fuerit cōfeſſus: Alij tamen rectius putant poſſe etiam à peccatis abſolui: Ita Paludanus in 4. diſt. 21. q. 2. Anton. 3. par. tit. 10. cap. 2. Sylueſt. verbo confeſſor. ſufficit enim illa generalis

con-

confeſſio, & ſigna doloris, in tali caſu in ordine ad claues, & abſolutio detur tali ægroto morituro petenti, cap. vel ſigna oſtendenti contritionis aliquo pacto in tali vltima neceſſitate.

6. Igitur non peccat ſacerdos abſoluens à peccatis, quæ non audiuit in confeſſione, & ſi pœnitentia nihil aliud eſt, quam legitima explicatio peccatorum coram proprio ſacerdote, cum deteſtatione illorum, propter Dei offenſionem, animo ſatisfaciendi, ac vitam in melius commutandi, cum abſolutione eorũdem: Id quod non rectè adnotauit doctiſſimus Abulenſis in cap. is, qui, q. 6. fortè loquens de ſignis non in ordine ad abſolutionem: quamuis concilium Cartaginenſe 4. cap. 76. cõtrarium videatur ſentire, non tamen loquitur de abſolutione peccatorũ, ſed de alia, de qua gloſſa ibidem Nauarr. cap. 26. num. 30. cap. 27.

7. At ſi publicus fuerit vſurarius (de quo ſuperius num. 269. diximus) vt non debeat eius cõfeſſio audiri, neq; ſi defunctus fuerit, ſepeliri in loco ſacro; ita non eſt illi danda Euchariſtia, priuſquam ipſe, aut hæredes ſatisfecerint vſuris, aut ſatisfacere promiſerint, vel dederint cautionem, in iure præſcriptam, quamuis declarauerit ſe grauiſſimo odio habere peccatum, ob Dei amorem.

8. Quod ſi ægrotus non amiſerit facultatem loquendi, neque inſanit, debet eum confeſſarius cohortari ad contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, exemplo Dauidis, Magdalenæ, Latronis, & aliorum, qui Diuina miſericordia, & meritis Chriſti, qui nulli vnquam deeſt gratiam receperunt. Priuatim illud huc aduertat confeſſarius, vt ſi ægrotus fuerit alicui obligatus propter delictum, vel quaſi delictum contractum, aut quaſi contractum, vltimam voluntatẽ, aut quauis alia ratione, illud ſtatim reſtituat, ſi poteſt, ſin minus det operam, vt quamprimum fieri poterit, reſtituatur, ne ipſe hinc diſcedat perpetuis cruciatibus puniendus: Auguſt. cap. peccatum, de regulis iuris lib. 6. & cap. ſi res, 14. q. 6.

9. Admoneat illum ne relinquat aliena bona ſuis hæredibus, vel Templis, vt inde conſtruantur, vel fiant calices, aut

alia

alia ornamenta, ſed bona certa relinquat ſuis dominis; in-certa autem pauperibus, qui horum ſunt hæredes, cap. cum tu, de vſuris.

10. Non illi conſulat, vt religioſi nonnulli, & ſacerdotes, vt bona, quorum dominos ignorauerit, relinquat Eccleſiæ, cum ſint pauperum, D. Anton. 3. par. tit. 10. cap. 1. §. 2. Nauarri tamen iudicio in man. cap. 17. num. 59. poſſet illa Eccleſia, vel Monaſterio pauperi reſtituere, non quatenus eſt Eccleſia, vel Monaſterium tantum, ſed quatenus eſt pauper. Quod ſi in hac re noluerit pœnitens id conſtituere, quod neceſſarium eſt, non eſt abſoluendus: alioquin abſoluendus eſſet, quamuis ipſe tunc non reſtitueret, modo hæredes, quibus hoc negotij commiſerit, ſint fideles; qui ſi non tales ipſi videntur, mandet hanc prouinciam reſtituendi homini fidiſſimo: Ita Nauarr. vt ſupra.

11. Et quoniam inueniuntur, qui habent Bullas confeſſionales, quas vocāt, vel gratias priuilegiatas, vel aliquam huiuſmodi facultatem, qua ſummus Pontifex non cōcedit ipſis Indulgētias, ſed auctoritatem dat confeſſario ipſas cōcedendi illis, iuxta priuilegij, aut Bullæ tenorem, quæ quoniam vulgo à confeſſarijs non intelliguntur, vel non cōſiderantur, fit, vt qui mutas aliquando Bullas habet, viuat, & moriatur abſque vllo Indulgentiarum fructu: quamobrem ne tantum bonum pœnitentes amittat, percontetur ab eis cōfeſſarius, ſiue ægroti fuerint, ſiue ſani, an huiuſmodi aliquam habeant facultatem, & ſecundum illam eos abſoluat: Ita D. Ant. 1. par. tit. 10. cap. 3. q. 5.

Quando pœnitens abſolutus eſt à peccatis, addat confeſſarius, auctoritate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli tibi conceſſa, & mihi commiſſa, concedo tibi omnem illam Indulgentiam peccatorum tuorum, quam poſſum, virtute tuarum Bullarum, cōfeſſionalium, vel aliorum priuilegiorum, ſi tamen hac vice morieris, ſinautem alias pro alia tibi vice reſeruo; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Ita docet Nauarr. cap. 26. num. 30. quare hoc ſignum.

12. Communis autem illa ſentētia, obſeruandam eſſe formam

mam Indulgentiarum, ſi aliquid fructus cupit inde colligere; Intelligenda eſt de ieiunijs, eleæmoſynis, aut alijs rebus eiuſmodi, ob quas conceduntur, non autem de præſcripta aliqua forma verborum, qua debeat confeſſarius vti in abſolutione à pœnis, & cenſuris, à quibus poteſt abſoluere, vel in conceſſione harum Indulgentiarum, cum nulla ſit certa forma, neque Bulla vlla aliquam talem formam præſcribat; nam illa, quæ in calce Bullarum affigitur, ideò collocatur, vt doceat confeſſarium, à quibus cenſuris poſſit pœnitentem abſoluere.

13. Illud etiam hic conſiderandum exiſtimo, facultate harum Indulgentiarum, quæ vulgo conceduntur, nullum ferè poſſe abſolui ab excommunicatione, niſi exponat ſacramentaliter ſua peccata ſacerdoti, cum hæ Bullæ, vt plurimum concedant facultatem eligendi ſibi confeſſarium, à quo poſſint abſolui, &c. Vnde videntur innuere, vt cum audierit eius confeſſionem, ipſum abſoluat. Vt interim omittam hãc facultatem abſoluendi à cenſuris, fermè eſſe præuiam ad peccatorum abſolutionẽ: Dixi ferè, quia hæc ſententia non habet locum, vbi Indulgentia, aut Bullæ contrarium exprimunt, aut ſignificant, vt ſi dicerent eum poſſe abſolui in vtroq; foro.

14. Cum verò de hac materia loquentes per articulum mortis, intelligamus non modò eum, qui cum non eſſet iam deſperatus tandem obijt, ſed etiam omnes illos, qui in ſimili periculo conſtituti, poſtea viuant, ſi ægrotus tali ſubiectus periculo, vſus eſt ſemel hac facultate, non poteſt amplius eadem vti, cum perfuncta ſit iam ſuo officio Bulla illa, niſi contineret, vt ſi quando ſemel ea facultate vſus fuerit, in mortis articulo, & ſuperuixerit, poſſit iterum eadem, vel niſi ſacerdos vſus fuerit verbis, quæ ſuperius diximus, num. 11. in fine.

15. Mortuus excommunicatus, qui moriturus oſtẽdit ſigna contritionis, poteſt, & debet abſolui ab excommunicatione à ſacerdote, qui eum viuentem, & ſanum potuiſſet abſoluere: non autem ab eo, qui hanc authoritatem dumtaxat in mortis articulo habuiſſet.

Digitized by Google

16. Quod ſi iam in loco ſacro erat ſepultus, non debet extrahi, ſed abſolui, percutiendo ſepulcrum; & ſi non in loco ſacro ſepultus fuiſſet, eſt extrahendus, & abſoluendus, verberato corpore, cap. à nobis, de ſent. excom.

17. Valet hæc abſolutio, vt mortuus ſepeliatur in loco ſacro, vel (ſi iam ibi eſt ſepultus) ne inde extrahatur, & vt oretur pro ipſo publicè.

18. Si eſt elapſus annus, vel anni, ex quibus non fuerit confeſſus, nec ſumpſerit Euchariſtiam; aut ſi eſt notorius peccator, & repente amiſit iudicium, vel ſermonem, neque ante, vel poſt, oſtendit ſigna contritionis, vel ſi probabiliter conſtat, eum in peccato mortali diſceſſiſſe (vt qui inimicis noluit condonare) vel laqueo vitam finiut, &c. non eſt illi danda Euchariſtia, neque eccleſiaſtica ſepultura, Roſel. verbo abſolutio, 1. §. 131. & cap. quibus, 13. q. 2. & cap. omnis, de pœnit. & remiſ.

19. Ijs, qui in mortis articulo confitentur, non eſt iniungenda exterior pęnitentia, ſaltem magna, vt illam tunç cōpleant; ſed tantum illis declaranda eſt, vt ſic ad interiorem pœnitentiam, ideſt contritionem prouocentur; non tam oſtenſa ſeueritate diuinæ iuſtitiæ, quàm declarata miſericordia, qua nos expanſis in Cruce brachijs, expectat dimiſſo capite, vt reſipiſcentes amplectatur, & oſculetur. Nam cum tunc ex ſententia D. Gregorij, magis nos vrgeat deſperatio, quam nimia fiducia, & temeritas, erigendus eſt pœnitens, & ſubleuandus ſpe diuinæ miſericordiæ, & clementiæ.

20. Doceat igitur ægrotum confeſſarius, qua pęnitentia dignus ſit, & declaret ſe non hanc ipſi præſcribere ob morbum; hortetur tamē, vt ſi valetudinem recuperauerit, eam impleat, aut alijs bonis operibus diuinæ iuſtitiæ ſatisfaciat. Tùm quia id vtiliſſimum eſt, tùm quia neceſſarium ſit cupiēti Indulgentijs frui, concipere animo aliquā pœnitentiam, & firmiter apud ſe ſtatuere illam exequi.

21. Eum quoque moneat, vt ſi morbus creuerit, aut perſeuerauerit, præſcribat eleæmoſynam aliquam in Teſtamēto, loco ſatisfactionis, vel roget aliquot fidos amicos, vt antequam moriatur, pro ipſo ſatisfaciant, diſtribuentes inter

ſeſe hanc, vel illam pœnitenciam, quam ipſe, aut cõfeſſari[us] iudicauerit ſuis peccatis deberi: Hoſtienſ. in ſumma §. quãdo, de pœnit. Nauarr. in cap. in Leuitico, not. 13. num. 2. quæ vbi fuerint conſtituta, abſoluat eum cõfeſſarius eo modo, quem ſuperius expoſuimus. Conſtat enim alterum pro altero, poſſe ſatisfacere, modo ſoluat ſponté pœnam, quam alter paſſurus erat in Purgatorio.

22. Hinc hortetur ad ſuſcipienda ſacramenta deuoté, & fiduciam habendam in Chriſtum Dominum.

23. Eundem muniat aduerſus inſidias Dæmonis, præſertim contra fidem, quam tunc maximè nititur à nobis auferre; non diſputet, ne trepidet, nihil reſpondeat, niſi ad ſummum ſe credere, qđ Catholica Eccleſia credit, & Eccleſiam idipſum tenere, quod ipſe tenet.

24. Si obijcit illi Dæmon peccatorũ multitudinem, obijciat illi ægrotus meritum paſſionis Chriſti, quo ipſe nititur ſibi diffiſus.

25. Dabit operam confeſſarius, aut qui ægroto aſtabũt, vt ægrotus, quam parum, aut nihil cogitet, de parentibus, amicis, filijs; facultatibus, & alijs huiuſmodi, quæ illum à Deo poſſunt auertere.

26. Nec minori ſtudio auertet inanem, & temerariam fiduciam de bona valetudine recuperanda, quæ non raro ægrotũ in perpetuas miſerias, & calamitates præcipitat; quare ſæpius illum de futura morte compellet, quamuis egrè ferentem, & horrentem: ſatius enim eum terrore, & mærore, ſemper felicem eſſe, quam cum dulci, & inani voluptate perpetuo eſſe miſerum.

Mirandum profectò multorum Chriſtianorum eam eſſe inſaniam, ne dicam impietatem, vt iam ferè morientibus, ſpem vitæ polliceantur, nec periculum, in quo verſantur eis declarent; vertentes ne ægrotis moleſti ſint, quo fit, vt inopinato morientes, priuentur fructu ſacramentorum, & non rarò peius moriantur, quam vixerint, quorum malorũ cauſa ſunt illi impiè miſericordes: At non ita Iſaias capit. 38. non ita, ſed vtili terrore flexit Ezechiam Regem ad pœnitentiam dicens; Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.

27. Hic verus amicus exhortabitur ad vitæ emendationem, aut deteſtationem peccati, quo Deum poſtpoſuit creaturæ, eumq; ſibi infenſum reddidit, vnde vitam, ſalutem, bona omnia, & conuerſationem bonorum accepit, à quo vitam beatam, & immortalem expectat.

De Teſtamento:

28. STatuẽdum quidem fuerat de rebus externis, dum ſanum eſt corpus, & viget mens, ne ſi ægroti id facere nolumus, aut nõ poſſimus, prohibent nos morbo, vel cognatis, & affinibus, verentes ne ſi aliquid in pia opera erogemus, ipſi fiant pauperiores, & ſpe vberrimæ hæreditatis fruſtrentur: aut non ſatis recte faciamus, nimirũ perturbato animo propter dolorem corporis.

29. At tunc quidem non ſolum grauiter peccant ij, qui nos iniuſtè impediunt, verumetiam debent hæreditatem amittere, & illis reſtituere ad quos ſpectabat, ſine illis relinqueretur, effecerunt nimis, aut fraude, aut mendacio, idq; ſiue teſtamentũ fuerit iam conditũ, ſiue nondum inceptum: ij enim quamuis antea nullũ haberent ius in re, vel ad rem, poſtquam tamen præmiſſum eſt illis teſtamento, aut alia honeſta ratione, iam acquiſiuerunt ius ad rem.

30. Rogare tamen ſine importunitate poſſunt, vt ſibi potiusquam alijs bona relinquantur.

31. Verum ſi id non fecit ægrotus dum ſano erat corpore, faciat nunc ſaltem ſana mente, ideſt pura conſcientia, & nullius mortalis delicti conſcia: Nam ſi in mortali peccato exiſtens, teſtamentum conderet, nullam gratiam, aut gloriam mereretur ex bonis operibus, quæ ibi præſcriberet fieri; quamuis poſtea reſipiſceret, niſi contritus ea denuo cõfirmaret ſaltem voluntate; putarem tamen ea valere ad remiſſionem alicuius pœnæ cum Nauarro in cap. 1. num. 46. de pœnit. diſt. 6. quamuis contra ſentiat Petrus Lombard. D. Thom. D. Bonau. & Theologorum ferè conſenſus.

32. Quod nonnulli affirmant eum, qui teſtamentum facit, carens parentibus, aut filijs, quibus ſua bona relinquat, debe-

debere ſuas fortunas cognatis pauperibus dare, niſi fuerint ſcelerati, & indigni: Tantummodo verum eſſe puto, ſi cognati in extrema neceſſitate, aut quaſi extrema cõſtituti fuerint, nec habent alium cognatum, qui velit, & poſſit eorum egeſtati ſubuenire, nulla ſiquidem lege, ad aliquid maius obligantur.

Canones pęnitentiales, quorum ſuperius meminimus, hic recenſere ſtuduimus, cum eorum notitia ſit Confeſſarijs valdè vtilis, & neceſſaria, cum ſint regulæ ad pęnitentias iniungendas.

INfraſcriptos Canones habebit confeſſarius, tanquam regulas, ad pœnitentias iniungendas pro diuerſis criminibus conſideratis, ex cauſa circunſtantijs, de quibus ſupra num. 6. cap. de iniungenda pœnitentia, eaſdem poterit moderare, ſi videbitur ſic expedire: cui etiam conſiderãdum erit, an pœnitens ſit nouus in fide; huic enim minor debet pęnitentia imponi, vt habes, extra de pęnit. & remiſ. cap. Deus, qui. Sciat etiam confeſſarius legitimas ferias dici feriã, 2. 4. & 6. vt habes diſt. 81. cap. presbyter, de conſecr. diſt. 3. cap. ieiunia. Præterea ſi fortè imponatur pęnitentia, vt quis ieiunet in pane, & aqua, nõ habenti panem, poterit loco panis veſci leguminibus, & piſciculis, ac etiam alijs, ſi neceſſitas id requirat: vt habes extra de pęnit. & remiſſ. cap. licet, in tex. & gloſſ. Sciat etiam ſi pęnitẽtia imponatur à canone, liberatur quis à ieiunio, dando denariũ, quod erit decima pars aurei: vel etiam legendo pſalterium; etiam propria auctoritate. Innocentius tamen dicit, ieiunia neceſſaria, vt ſunt Quattuor Temporum, & ſimilia non poſſe redimi, ſicuti voluntaria, niſi adſit cauſa rationalis: Sciat præterea, vbi in canone imponitur pęnitentia annorum, ſiue Quadrageſimarũ, nec declaratur quomodo quis debeat pęnitentiam adimplere, id relinquitur arbitrio confeſſarij declarandum, qui arbitrabitur eam per ferias legitimas adimplendam, ſecundum canones, l. diſt. de his clericis, extra de

de homic. cap. 2. Queadmodum etiam relinquitur, quando nonnulla minus dare traduntur; quia vbi certum tempus à canone præſcribitur, vt puta trium, ſeptem, pluriumuè annorum, nullo certo pœnitentiæ modo, vel genere expreſſo, hoc arbitrio confeſſarij relictum eſſe; qui perſpecta pœnitentis qualitate, ac diſpoſitione (vt dictum eſt) pœnitentiam ipſam, prudentia ſua moderabitur. Cum verò imponitur ieiunium trium quadrageſimarum, illud ſignificatur, quod ante Natale Domini, ante Paſca Reſurrectionis: & quod per dies tredecim ante feſtum S. Ioã. Baptiſtæ, olim celebrabatur. Rigor horum Canonũ durauit vſque ad Innocentium Primum; deinde paulatim à ſeptingentis annis, languere cæperunt, & quantum Canones iſti decreuerunt, tantundem Indulgentiæ relaxarunt.

Primus, Sacerdos, qui fornicatur, pœnitentiam agat annis decem, cap. presbyter, diſt. 82. quo in capitulo præſcribitur pœnitentiæ modus.

2. Qui ſponſam alienam de præſenti accipit, in pœnitentia annis ſeptem, & in dies quadraginta, in pane, & aqua, cap. 2. de ſponſa duorum.

3. Monialis, quæ fornicatur, matrimoniumuè contrahit, & qui eam cognoſcit, vel contrahit cum ea, pœnitens ſit annis decem, cap. deuotam 27. q. 1.

4. Sacerdos celebrans abſque ſumptione Sacramẽti, per annum pœnitentiam agat; & interim à communione abſtineat, cap. relatum, de conſecr. diſt. 2.

5. Sacerdos, qui pannis altaris mortuum innoluit, pœnitens ſit annis decem, & menſibus quinque: Diaconus aũt tribus annis, & menſibus ſex, cap. nemo, de conſ. diſt. 1.

6. Qui ſcienter contrahit, vel coierit cum duabus ſororibus, vel commatribus, vel dicas: cum matribus, aut cum ſorore, vel cum matre, & filia: vel coierit cum patre, & filio, vel duobus fratribus: pœnitentia eis conſtituatur annis octo, 30. q. 4. cap. ſi pater, 12. q. 7. cap. ſi quis viduam.

7. Mulieri, quæ partum ſupponit, quem de alieno viro concepit, pœnitentiæ, & ſatisfactionis modus præſcribitur arbitrio confeſſarij, cap. officij, de pœnit. & remiſſ.

8. Sa-

8. Sacrilegus, qui chriſma, calicem, vel ſacrum polluens, pęnitens ſit annis ſeptem, & ſingulas hebdomadas ieiunet; tribus menſibus à carne, & vino abſtineat, cap. de viro, 12. q. 2. quo in cap. quædam alia ſic peccanti conſtituuntur.

9. Celans ſe cognouiſſe mulierem, quæ cõtraxit cum fratre eius: pęnitens ſit annis ſeptem, cap. ſi homo fornicatus, 35. q. 3.

10. Solemniter pœnitens recidiuans, ſit in pęnitentia annis decem, cap. ſi quis verò, de pœnit. diſt. 5.

11. Cõtrahens cum adultera, quam ipſe adulterauit, pęnitens ſit annis quinque, cap. ſi qua, el 2. 3. q. 1.

12. Cognoſcens vxorem adulteratam ante peractam pęnitentiam, pęnitens ſit annis duobus, cap. ſi quis, 32. q. 1.

13. Sponſalia filiorũ, parentes dirimentes: & filij ſi conſenſerint, ac poſt rurſum diſſenſerint, communione priuantur annis tribus, cap. vnico, 31. q. 3.

14. Sacerdos, qui intereſt clandeſtinis deſpõſationibus, per trienniũ ab officij ſui adminiſtratione ammouetur. cap. fin. §. fin. de clandeſt. deſponſatione.

15. Latro cõfeſſus in cęmiterio ſepeliatur, oretur pro eo, & detur communio, cap. quæſitum, 13. q. 2.

16. Qui clericus in præſtandis Horarum canonicarũ officijs, à Motropolitanæ Eccleſiæ more, & ritu diſcrepat, idq; ex contemptu faciat, per ſex menſes communione priuatur, cap. de his, diſt. 12. & 50.

17. Qui dominum, vxoremuè illius interfecerint, nunquã equitet, non vehatur rheda, aut vehiculo, non contrahat mattimonium: decem ipſos annos carne non veſcatur, vinum non bibat, cap. admonere, & cap. quicunque, 33. q. 2. quibus in locis, quædam alia, id delicti committentibus præſcribuntur,

18. Qui matrem occiderit, decem annis pęniteat, armis depoſitis, cap. latorem, 32. q. 2.

19. Simplex votum, qui violarit, trium annorum pęnitentia ei conſtituitur, cap. ſi vir, diſt. 27.

20. Blaſphemans publicè Deum, vel Beatam Virginem, aut Sanctos, pœnitentiã aget ſeptem annis: ex forma, quam

Gregor.

Gregor. Nonus præſcripſit, cap. vlt. extra de maledicis.

21. Qui ignoranter duas ſorores, vel matrem, & filiam, vel amitam, & neptem cognoſcit, quarum vna ignorat factũ alterius, vterque pęnitens ſit ſeptem annis; ſi verò ſciẽter, perpetuò careat coniugio, cap. vlt. 33.q. vlt. cap. ſi quis cum matre, 35. q. 3.

22. Qui Eccleſiã incenderit, eam reſtituat, precium det pauperibus, & pęnitens ſit quindecim annis, cap. ſi quis Eccleſiam, 17.q. 4.

23. Qui domum, arcamuè combuſſerint, pęnitentiã agat tribus annis, cap. ſi quis Domum, de iniur. & damno dato.

24. Sacerdos excommunicatus, ſi celebrat, tribus annis peniteat, & ſingulis hebdomadis, feria ſecunda, quarta, & ſexta à vino, & carnibus ieiunet, cap. de illis, 11.q. 3.

25. Sacerdos ſacerdotij ſui gradu, ordineq; in perpetuũ amotus, quem degradatum dicimus, ſi ſciẽter celebrare audeat, priuatur communione corporis, & ſanguinis Domini Noſtri Ieſu Chriſti vſque ad vltimum diem, & in excommunicatione eſt: Viaticum tantùm in fine ſumens, cap. accedẽs, diſt. 50.

26. Epiſcopus diſſimulans corrigere venditionem miniſteriorum, duobus menſibus, ſacerdos hoc agens, quattuor, Diaconus annis tribus pœniteat, Subdiaconus, alijq; inferiores, debita excomunicatione, afficiuntur ſui Iudicis arbitrio, cap. quicquid inuiſibilis, 2. q. 1.

27. Excommunicanti iniuſtè, per menſem vnum ingreſſus Eccleſiæ interdicitur, cap. de ſacro, de ſent. excom.

28. Sacerdos, ſi fornicatus eſt cum filia ſpirituali, aut cum ea, quæ illi confeſſa eſt ſua peccata, pęnitens ſit annis duodecim, & in Monaſterio ſeruiat Deo omnibus diebus vitæ ſuæ: ſi verò Epiſcopus hoc ſcelus admiſerit, pęnitentiã agat annis quindecim: Mulier autem in Monaſterio trudatur, vbi perpetuò viuat, cap. ſi quis ſacerdos, & cap. non debet, 30. quæſt. 1.

29. Scienter rebaptizatus, ſi propter hæreſim ſceleris admittit, pęnitentia afficiatur ſeptem annorum, quarta, & ſexta feria ieiunãs, & tribus item Quadrageſimis pane, & aqua: ſi ve-

ſi verò pro munditia hoc facere putarit,eum pœniteat tribus annis : quod ſi ignoranter, non peccat, ſed ideò non eſt promouendus, licèt ſit excellens, cap. qui bis, de conſecr. diſt. 4. cap. 2. de Apoſtatis.

30. Si Epiſcopus, Presbyter, Diaconusuè, ſpontè eſt rebaptizatus, quamdiù viuit, pęnitens ſit: Alij verò Clerici, Monachi, & Moniales ab hæreticis, volentes rebaptizari, pęnitentiam agant duodecim annis, cap. eos quoque, de cõſecr. diſt. 4. quo in loco ijs pęnitentiæ modus præſcribitur.

31. Qui coactus, falſum teſtimonium dicit, in pœnitentia ſit duobus annis : ſi verò ſpontè, quinque, cap. 1. de falſis.

32. Qui filium ſuum opprimit,annis tribus,& vno in pane, & aqua pęnitens ſit: apud Iuonem par. 9. cap. 104.

33. Adultero, fornicatoriuè pęnitentia conſtituitur ſeptem annorum, cap. prædicandum, 22. q. 1. cap. fui.

34. Qui iniuſtè quempiam accuſat ad mortem, quadraginta dies pane,& aqua continenter ieiunabit,& per ſeptem annos pęnitentiam aget, non aqua tamen, & pane, ſed arbitrio ſacerdotis. Si verò ob eam accuſationem quis membrum perdiderit, accuſator ieiunabit tribus Quadrageſimis pane, & aqua, 22. q. 5. cap. 1.

35. Sortilegus,quadraginta diebus in pęnitentia ſit,cap. 1. de ſortilegijs.

36. Reſpiciens furta in aſtrolabio, annis duobus, cap. 2. de ſortilegijs.

37. Qui ædes magicis cantionibus luſtrat, aliuduè tale admittit, & qui ei conſentit, & conſulit, pęnitens ſit annis quinque, cap. qui diuinationes, 26. q. 5.

38. Patronus, qui res Eccleſiæ abſumit, per annum excõmunicatur, cap. filijs, 16. q. 7.

39. Qui iurat ſe ad pacem non redire, per annum pęnitẽs ſit, cap. qui ſacramento, 22. q. 4.

40. Incendiario hæc pęnitentia dabatur. Hieroſolymis, aut in Hiſpania per annum in Dei ſeruitio permaneret: qui hanc pęnitentiam remitteret,per annum item ſub ſui muneris adminiſtratione mouebatur, cap. peſſimam, 23. q. vlt.

Digitized by Google

41. Qui filiam ſuam ſpiritualem, ſororemuè ſpiritualem in matrimonium ducit; qui item conſentit, pœnitens ſit ſeptem annis, cap. non oportet, 30. q. 3.

42. Si gutta ſanguinis Chriſti in terra cadit, ſacerdos in pœnitentia ſit quinquaginta diebus, ſi ſuper altare, & ad pãnum vnum tranſit, duobus diebus, ſi vſque ad duos, diebus quattuor, ſi vſque ad tertiũ, diebus nouem, ſi vſque ad quartum, diebus viginti, cap. ſi per negligentiam, de conſecrat. diſt. 2. quo in loco, alia ad hoc pœnitentiæ genus pertinentia traduntur.

43. Si incautè dimiſerit Euchariſtiam, quamuis nil nefandi acciderit, tribus menſibus à ſui muneris adminiſtratione amoueatur, cap. 1. de cuſtodia Euchariſtiæ.

44. Epiſcopus, qui cædem fecerit, ſeu Epiſcopus homicida, in pœnitentia ſit quindecim an. & deponatur, ac perpetuò peregrinetur; Presbyter an. duodecim, quorum tres ieiunet pane, & aqua, & deponatur: Diaconus an. decem, & tribus in pane, & aqua, cap. ſi quis homicidium, diſt. 50.

45. Qui homicidium fecerit, pœnitẽs ſit an. duobus, cap. de his clericis, diſt. 50.

46. Qui caſu fecerit homicidium, pœnitens quinque an. cap. eos, qui, diſt. 50. qui verò ſpontè, ſeptem an. pœnitens ſit, cap. maior, eadem diſt.

47. Qui Clericum, Monacumuè, Diaconum, Subdiaconumuè occiderit, perpetuò in Monaſterium detrudetur, & publicam pœnitentiam agat ſeptem an. capit. qui occiderit, 17. q. 4.

48. Qui Presbyterũ occiderit, pœnitentiam agat an. duodecim, cap. 2. de pœnit. & remiſſ.

49. Qui coierit contra naturã, aut cum brutis; qui item inceſtum fecerit, pœnitens ſit amplius quam ſeptem an. ſi clericus, deponitur, laicus excommunicatur, 33. q. 2. cap. hoc ipſum, & cap. clerici, de exceſſ. prælatorum.

50. Qui matrimonium contrahit contra Interdictũ Eccleſiæ, per menſem pœnitens ſit, aut arbitratu cõfeſſarij, cap. 1. de matrim. contracto contra Interd. Eccleſ.

51. Confeſſarius manifeſtans peccatum pœnitentis, in-

Mo-

Monaſterium detruſus agat pœnitentiam, cap. omnis, de pœnit. & remiſſ.

52. Qui per ebrietatem Euchariſtiam euomit, ſi laicus eſt, quadraginta diebus, ſi clericus, ſexaginta, ſi Epiſcopus, nonaginta diebus: Si infirmus, pœnitentiam agat ſeptem diebus, cap. ſi quis per ebrietatem, de conſecr. diſt. 4.

53. Qui periurum ſciens admiſerit, quadraginta dies in pane, & aqua, & ſeptē ſequētes annos pęnitēs ſit, & nunquam ſit ſine pęnitentia interiori, ſcilicet, cap. quicunque, 6. q. 1.

54. Qui coactus peierat, ſi liber eſt, quadraginta dies, & ſeptem ſequentes an. ſi ſeruus, tres Quadrageſimas, & legitimas ferias ſit pœnitens, cap. qui compulſus, 22. q. 5.

55. Qui compellit alium, vt falſum iuret, quadraginta dies in pane, & aqua, & ſeptem annos in pęnitentia ſit, cap. ſi quis coniunctus, 22. q. 5.

56. Qui peierat in manu Epi, in Cruceuè cōſecrata, tribus an. ſi verò in Cruce non cōſecrata, per annū in pęnitētia ſit. Qui ignorāter, & coactus, tres Quadrageſimas, cap. 1. 22. q. 5.

57. Qui verò neceſſitate aliqua impulſus, periurium cōmittit, tribus Quadrageſimis ſit in pęnitentia, eadem quæſt. cap. ſi quis coactus.

58. Qui mēſuras adulterat, triginta diebus pane, & aqua ieiunet, cap. 1. de empt. & vendit.

59. Qui inſcienter Hæretico communionem dat, vel accipit ab eo, per annum ſit pęnitens; ſi verò ſcienter, an. quinque, quod ſi neſciens, permittat eum in Eccleſia celebrare, diebus quadraginta. Si verò id fecit reuerentiæ cauſa, an nū vnum: Si autem ad euertendam fidem, annos decem, ſin Hæreticus annos duodecim, cap. ſi quis dederit, 24. q. 1.

60. Qui rapuerit, furatusuè ſit alteri, quadruplum reddet, Eccleſiæ duplum, & ſeptem an. pęnitens erit pane, & aqua, cap. ſi quis furtum, 17. q. 1.

61. Clerico furi, annorū ſeptem, laico quinq; annorum pœnitentia cōſtituitur, ſin autē vilis eſt res, furto ſublata, pane, & aqua per annum agat, cap. ſi quis clericus, 17. q. 4.

62. Qui in Epiſcopum, presbyterumuè manum inijcit, & Eccleſiam vaſtat, impugnatuè, in Monaſterium cōcluſus,

perpetuò pęnitens ſit, cap. ſi quis per dolum. Quapropter hos Canones recenſuimus, non vt confeſſarius imponat has pęnitentias, ſed vt eas pœnitenti inſinuet, vt intelligat, quam graui pęnitentia dignus ſit, vtque id intelligens alacriori animo pęnitentiam ſibi impoſitam adimpleat, detq; operam ne in eadem peccata recidat.

De Pœnitentia.

De quibus peccatis ſit pęnitendum neceſſario.

VIdendum eſt prius. An de peccato originali ſit pęnitendum: ad quam quæſtionem reſpondetur ſine diſputatione, pœnitētiam dupliciter accipi: vno modo propriè, vt eſt dolor de peccatis commiſſis ab ipſo pęnitente, & pęnitentia hoc modo ſumpta, non eſt neceſſaria pro originali, quia originale peccatum non eſt de commiſſis ab ipſo homine pœnitente; quia à nobis non eſt commiſſum, ſed propagatione contractum. Alio modo accipitur impropriè, ſeu largè, & eſt diſplicentia de peccato præterito, ſiue commiſſo, ſiue contracto; & ſic dixerūt quidam de peccato originis eſſe pęnitendum, tanquam de eo, quod eſt impeditiuum gloriæ aſſequendæ.

Sed aliter omnino eſt reſpondendum: quod ſcilicet non eſt neceſſaria pęnitentia de originali, ſiue largè, ſiue propriè ſumatur pęnitentia: quia vel eſſet neceſſarium ex præcepto, & hoc non, tùm quia per baptiſmum, ſeu per actum caritatis, ſufficienter deletur tale peccatum: tùm etiam, quia ad remiſſionem peccati, quod ſine conſenſu proprio fuit contractum, ſeu per alium commiſſum, non requiritur proprius conſenſus, tale enim eſt originale peccatum: tùm etiam tertiò, quia pęnitentia aliquo modo ſumpta, pœna ſenſus eſt; pro originali autem non pęna ſenſus debetur, ſed pęna damni. Et eſt communior Doctorum ſententia, ſi enim de hoc eſſet pęnitendum, eſſet etiam pęnitendum de vita præſenti. Cum hæc vita mortalis impedimentum ſit gloriæ.

Secundò, videndum eſt, an neceſſariò ſit pęnitendum de venia-

Digitized by Google

veniali commiſſo: pro quo aliqui dixerunt, quod ſic: ratio iſtorum erat, quia peccatum veniale committitur propria voluntate: ergo propriè voluntatis actum eſt dolendum, quod non fit, niſi pęnitendo: Secundò, quia peccato veniali debetur pœna ſenſus, igitur de illo eſt pęnitendū neceſſario. Oppoſita tamē opinio eſt tenēda; quia ſi hoc eſſet, vel id eſſet neceſſariū neceſſitate pręcepti, & hoc nō, quia auctoritates ſcripturæ, ex quibus videtur præcepti neceſſitas colligi, non de venialibus, ſed de mortalibus loqui videntur: nam comminationes, quæ in ſcriptura contra non pœnitentes colliguntur, non poſſunt habere locum in venialibus. Secundò, vel id eſſet neceſſarium ex ſuppoſitione, ſcilicet ad finem reordinādi voluntatem, vel ad finem conſequēdi eorum remiſſionem, vel ad finem ſatisfaciendi Deo pro illis: Non primum, quia aliter voluntas poteſt reordinari: Non ſecundum, quia venialia aliter poſſunt remitti, quam per pęnitentiam etiam in hac vita. Non tertium, quia nihil eſt neceſſarium ad ſatiſfaciendum Deo pro peccatis, niſi quod Deus ipſe offenſus, loco ſatisfactionis exegerit. Cum igitur non exigat à nobis pęnitentiam iſtorum, ſequitur, quod de ijs ven. non eſt pęnitendum; Dic tu cum S. Thoma 3. par. q. 87. art. 1. ſæpè deleri ſine pęnitentia, quæ eſt ſacramentum, at non ſine pęnitentia, quæ eſt virtus; requiritur ergo ad delendum veniale pęnitentiæ actus explicitus, ſecundum Durand. vel implicitus, ſecundum Bonau. Ricard. Gabr. & alios in 4. diſt. 16. quo voluntas mutetur, recedendo à culpa veniali: ſat eſt etiam actus charitatis, quo culpa expellitur, nos Deo cōiungendo; ſic Scotus.

An neceſſario dolendum ſit de peccatis commiſſis in particulari.

Reſtat igitur, quod neceſſitas pęnitendi ſit de mortalibus commiſſis, memoriæ occurrentibus: & hoc aliquibus rationibus:

Primò, Quia pęnitentia exterior, quæ confeſſio dicitur, debet eſſe de ſingulis mortalibus in ſpecie; nec ſatis

eſt

eſt in genere confiteri: ergo etiam pœnitentia cordis, de ſingulis habenda eſt, non in genere tantùm; quia confeſſio oris ſupponit pœnitentiã cordis tanquam cauſam ex qua procedit, ſi vera ſit, & non ficta confeſſio.

Secundò, Id colligitur ex eo, quod ſcriptum eſt Iſaiæ 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, vt de peccatis doleamus; non autem vt in ſola recogitatione ſiſtamus. Quare cum neceſſarium ſit ſingula peccata ad memoriam reuocare, & non vt illic ſiſtamus, ſed vt de illis doleamus; ſequitur eſſe neceſſariũ de ſingulis pœnitere.

Tertiò, Hoc idem ſignificatum eſt ex illo Ezechielis Prophetæ 15. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & cuſtodierit omnia mandata mea, vita viuet, & non morietur. Vbi videtur loqui de duplici vniuerſalitate, ſcilicet de pœnitentia agenda de omnibus peccatis, & de cuſtodia omnium mandatorũ: Sed cum non ſit ſatis homini omnia mandata Dei in generali propoſito cuſtodire, niſi particulariter cuſtodiãtur, cum materia, & occaſio occurrerit: ergo nec ſufficit in genere dolere de peccatis commiſſis, niſi cum memoriæ occurrerint, de illis particulariter doleatur.

Quartò, Hoc Magiſter in 4. ſentẽ. diſt. 16. dicit, citando D. Auguſt. de vera, & falſa pœnitẽtia; ait enim, peccatorem debere conſiderare omnia peccata, quæ fecit; tempus, locum, & cæteras circunſtantias, per quas peccatum vel aggrauatur, vel ſaltem nouas ſpecies peccati inducitur: & de ijs omnibus, & ſingulis mortalibus memoriæ occurrẽtibus: accipiendo contritionem pro deteſtatione peccati.

Sed notandum eſt hanc neceſſitatem, tripliciter poſſe intelligi, dolendum eſſe de ſingulis. Vno modo, itaut vnicuiq; peccato in numero reſpondeat ſua propria pœnitentia actualis: vt ſcilicet tot actus pœnitentiæ habeantur, quot numero fuerunt peccata commiſſa: & ſic non eſt intelligendũ hic.

Alio modo, quod ſit pœnitendum de ſingulis, ſecundum ſpeciem: itaut omnibus peccatis commiſſis vnius ſpeciei, vnica reſpondeat pœnitentia actualis: vt ſi dices per fornicationem peccauerim, ſatis ſit mihi habere vnum actum, quo doleam, me decies in ſpecie peccaſſe, & de alijs.

Sed dicendum eſt, quod de ſingulis dolendum ſit, vt cum omnia ad memoriam ſint reuocata, de illis omnibus ſignatis, & occurrentibus doleatur, ſiue vnico actu, ſiue diuerſis actibus pœnitendi id fiat. Supponimus enim, quod ſicut intellectus in multa obiecta ſimul accumulata, poteſt vnico actu, & diuerſis actibus tendere, ita & volũtas in multa peccata ſimul præſentata, poteſt vnico actu, vel pluribus affectibus tendere.

Quocunque igitur ex his modis voluntas particulariter doleat de omnibus commiſſis, ſatisfacit homo præcepto de pœnitendo; & in hoc ſenſu videtur, quod ſicut neceſſarium eſt particulariter de ſingulis pœnitere, ita neceſſariũ eſt particulariter de ſingulis conteri, accipiendo contritionem pro deteſtatione, ſeu dolore de peccatis propter Deum: Ita ſcilicet, vt peccator non ſatisfaciat præcepto cõtritionis, ſi doleat propter Deum, ſe eum, vtcunq; offendiſſe, quod eſt in genere conteri, ſed oportet, quod propter Deum doleat, ſe in his, & in illis. & illis occurrentibus eum offendiſſe, & ſiue vnico actu, ſiue diuerſis id fiat.

An de peccatis oblitis ſit neceſſaria pœnitentia.

Dictum eſt ſupra pœnitenti homini dolendum eſſe de omnibus peccatis commiſſis in particulari: ſequitur, ſi peccata prius oblita, poſtea occurrãt memoriæ, de illis eſſe neceſſariò dolendum.

Sed respondeo, diſtinguendum eſſe; quia vel illa peccata ita oblita ſunt, vt nec in ſpecie, nec in genere recordetur homo ſe vlla alia præter ea, quæ memoriæ occurrunt, commiſiſſe, & certo putat ſe nulla alia commiſiſſe: & tunc non erit illi alia pœnitentia neceſſaria de oblitis, præter eam, quam de occurrentibus habet: modo illa ſua conſcientia inuincibilis ſit.

Si verò ita oblita ſunt aliqua peccata, quod quamuis memoriæ non occurrant, putat tamen homo, vel dubitat, aut dubitare debet ſe alia etiam commiſiſſe præter ea, quæ illi occurrunt: & tunc eſt illi in genere neceſſaria pœnitentia de

huiuſ-

huiuſmodi oblitis. Attamen, quia, vt plurimum homines in hac re, decipi poſſunt; tutius erit, vt cũ peccator de occurrentibus particulariter dolet, ſimul de alijs in genere doleat, ſi fortè alia commiſerit: Iuxta illud Pauli 1. Cor. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Et Iob 9. Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorat anima mea.

Itaque propter periculum, neceſſariũ eſſe puto, hominem in genere dolere, & pœnitere omnia, quæ commiſit. Etiam de venialibus, præſertim cum dubitat mortalia fuerint ne, an venialia.

An pœnitentia neceſſaria ſit de peccatis futuris.

QVamuis multa teſtimonia adduci poſſunt pro parte affirmatiua, dicimus tamen eſſe neceſſariũ formale propoſitum abſtinendi a futuris, ſatis enim non videtur verè pœnitenti, ſi id virtualiter proponat.

De Confeſſione.

Primò, à quo fuerit inſtituta, & quando.

QVidam dixerunt, confeſſionem fuiſſe inſtitutam à Deo in Paradiſo terreſtri, & id colligunt ex illis verbis, Adam vbi es? in quibus videtur Deum non aliud inteudiſſe, quàm proprij peccati cõfeſſionem ab Adam exigere.

Item, quãdo Deus dixit ad Cain, Vbi eſt frater tuus? ſciebat enim Deus vbi eſſet, ſed vt Cain conteretur peccatum ſuum.

Quidam alij dixerunt: vt Gloſſator Decreti, & Panormit. & alij Iuriſtæ, hanc confeſſionem ſacramentalem, de qua loquimur, non à Deo, ſed ab Eccleſia in concilio Lateranenſi inſtitutum fuiſſe.

Quidam alij dixerunt, hanc fuiſſe inſtitutam ab Apoſtolo Iacobo in ſua canonica, Confitemini alterutrum peccata veſtra.

Digitized by Google

Sed pace iſtorum omnium, veram eſſe dicimus Theologorum ſententiam, qui dicunt hanc confeſſionem ſacramentalem à Chriſto Domino, ſicut & alia ſacramenta fuiſſe inſtitutam, vt colligitur apertè ex cap. 20. Euangelij Ioannis: ex his verbis; Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. & quia Chriſtus in lege euãgelica conceſſit claues aperiendi, &c.

De obligatione confitendi, & quo iure ad eam teneamur?

QVoniam aliud eſt quærere à quo fuerit inſtituta confeſſio: aliud verò à quo fuerit iuſſa: quærendum eſt, quo iure ſit inducta obligatio confitendi vocaliter ſacerdotibus.

Dicimus primò, non eſſe iure naturæ, quia ſacramenta gratiæ, ſupra naturam ſunt; quia fidem præſupponunt, vnde & ſacramenta fidei dicuntur, & ſupra naturam ſunt, ſicut & ipſa fides: Tum quia nullum dictamen naturale dictat, eſſe neceſſarium peccatori ſua peccata occultiſſima pro Chriſto ſuo pandere, & ſe coram illo hoc modo accuſare.

2. Si illa eſſet, non ſolũ homines poſt legem euangelicam, ſed etiam antea fuiſſent obligati ſua peccata cõfiteri hominibus.

3. Sequeretur nunc omnes peccatores teneri ſua peccata, quæ ante baptiſmum cõmiſerunt, ſicut ea, quæ poſt fuerunt perpetrata: & ſic baptiſmus nõ eſſet prima tabula, poſt naufragium, ſed confeſſio.

Eſt igitur in controuerſia, an obligatio confitendi vocaliter ſacerdoti, ſit de iure diuino, an ſolo humano.

Cui reſpondetur, quod quamuis de iure humano ſit præfata confeſſio nobis iniuncta, quantum ad temporis limitationem, ſed ſemel in anno, iuxta cap. omnis vtriuſque ſexus. Attamen ſimpliciter, & primario, iure diuino iniuncta eſt huiuſmodi obligatio. Hæc eſt opinio DD. grauiſſimorum, ex illo Io. 20. Quorum remiſeritis peccata, &c.

An teneamur confiteri ſub pœna noui peccati.

Reſpondetur, Deum dicimus nemini remiſſurum peccata, niſi per ſacerdotem fuerint remiſſa, & hoc vim habet præcepti obligantis, ſub pœna noui peccati mortalis: & hoc probatur præſuppoſito, quod charitas præhabita amitti non poteſt de lege, ſine nouo peccato mortali.

Demus caſum: In quo peccatorem, cum ſanus eſſet, verè pœnituit de peccatis, propter Deum, ita vt gratiam ſit conſecutus: Accedat articulus mortis, & habita copia ſacerdotis, nolit peccata ſua confiteri; tunc ille, ſi ita decedat, perdet Charitatem, quia ibit in Infernum, & quod ex Chriſti ſententia conſtat eſſe neceſſarium peccatori, vt tandem ſaluetur, quod habita copia ſacerdotis confiteatur, quod cum in caſu extremæ neceſſitatis voluntariè omittat, ſequitur, qd non ſaluabitur: igitur in charitate non decedet, & ita eam amiſit, ob id, quod in tali articulo cõfiteri noluit, igitur ipſum non confiteri, eſt illi peccatum mortale.

Quænam peccata ſint neceſſario confitenda.

Præſuppoſito, quod ſit neceſſaria ad ſalutem confeſſio vocalis facta ſacerdoti: Eſt alia quæſtio, quod ſit, qđ eſt de neceſſitate confitendum: An peccatum originale, an veniale: an ſolum mortale: Rurſus de mortalibus an ea, quæ ante baptiſmum commiſſa ſunt, an ſolum ea, quæ poſt.

De originali eſt concluſio, quod non ſit neceſſaria cõfeſſio, etiam ſi homo ad ætatem adultam perueniat; & ratio eſt, quia non ſunt confitenda niſi illa peccata, quæ ſunt perſonalia, & propria voluntate commiſſa: & peccatum originale non eſt perſonæ, ſed naturæ vitium, nec eſt propria voluntate, ſed aliena contractum: Vt colligitur ex cap. maiores, de baptiſmo, & eius effectu. De hoc etiam ſuperius dictum eſt in principio.

De confitendis venialibus.

CVm quidam Doctores affirmarint neceſſariò eſſe de venialibus ſacramentaliter confiteri, ſicut de mortalibus, tùm ex dicto Chriſti; Quorum remiſeritis peccata, &c. & quorũ retinueritis, in quo Chriſtus indiſtinctè de peccatis locutus eſt.

2. Ex cap. omnis vtriuſque ſexus, vbi dicitur, fideles debere confiteri omnia.

3. Quia aliqua ſunt venialia, quæ an mortalia ſint, dubitat peccator: igitur de illis tenetur, alioquin exponeret ſe periculo dimidiandi confeſſionem.

His non obſtantibus reſpõdendum eſt hac concluſione, quod non eſt neceſſaria confeſſio venialium, quia alia plura habent remedia, ex communi omnium ſententia; vt feruor charitatis: Confeſſio generalis, Oratio Dominica, Aqua benedicta, &c. ergo ad illa non tenetur.

2. Quia, & ſi homo cum venialibus decedat, poterit in alio ſeculo veniam eorum conſequi, ſed ſi in charitate decedat, veniam neceſſariò conſequetur. Vt colligitur ex illo Matth. 12. Qui peccauerit in Spiritum ſanctum, non remittitur ei in hoc ſeculo, nec in futuro; vnde colligunt peccata aliqua poſſe remitti in aliquo ſeculo, & non mortalia, ergo venialia.

3. Quia confeſſio non eſt neceſſaria, niſi de ijs peccatis, propter quæ homo periclitatur, aut naufragium patitur, ergo, &c.

Concludendum eſt igitur, ſi de venialibus cõfeſsio ſacramentalis ſit facienda, & de illis, de quibus dubitatur an ſit mortalia.

Et dicimus peccata venialia, eſſe materiam cõgruam, ſufficientemq; voluntariam cõfeſſionis ſacramentalis, non autem neceſſariã eorundemq; abſolutio ſacramẽtalis eſt, idem dicit D. Thom. in 4. diſt. 21. q. 2. ad primum: Idem D. Auguſt. & citat Magiſter diſt. 21. §. 5. in 4.

An ſit neceſſaria confeſſio de mort. ante Baptiſmum.

Reſpondetur breuiter, non eſſe neceſſariam; quia, ſi eſſet neceſſariam, vocaliter confiteri ſacerdoti, peccata mortalia ante baptiſmū, vel eſſet faciendum ante baptiſmum, vel poſt; non ante baptiſmum habet locum confeſſio ſacramentalis; cum baptiſmus ſit ianua ſacramentorum: nec poſt, quia ex quo per baptiſmum ſunt ſufficienter, & plenè condonata peccata, & ſic decedens ſtatim volaret ad Cœlum. Igitur non eſt neceſſaria confeſſio ante baptiſmum.

Videndum eſt, an ſit neceſſarium, & quo iure omnia peccata mortalia integrè confiteri vni ſacerdoti.

Concors eſt omnium ſententia, huiuſmodi integritatem ſeruandam eſſe, quia, vt ait D. Thom. à ſimili, de corporaliter ægrotante pluribus morbis; qui ſi vult à morbis liberari, & opera Medici curari, omnes morbos debet Medico aperire; ità peccator omnia ſua peccata debet ſacerdoti confeſſario, & ſpirituali Medico propalare.

Quo autem iure adſit neceſſariū, dicimus eſſe de iure diuino, ex textu Io. 20. Dixit enim Chriſtus, peccata, quæ remiſeritis, ego remittam, & quæ retinueritis, retinebo: Sed Chriſtus peccata mortalia à peccatore commiſſa, de lege nō remittit, niſi integrè, vel enim nullum remittit, vel omnia. Quocirca ſi neceſſarium eſt, ſacerdotem omnia peccata integrè remittere, ſi aliquod remittit, igitur neceſſaria eſt integra confeſſio.

Sed hæc ratio non probat ſufficienter, quia præſupponit, quod ſacerdos non poteſt remittere peccata, niſi integrè, ad quod præxequiretur confeſſio integra: ſed hoc non ita eſſe apparet, quia quando peccator habet caſus reſeruatos, & non reſeruatos, ſacerdos inferior abſoluit à non reſeruatis, & ſuperior à reſeruatis, in quo aperte diuiditur abſolutio facta per ſacerdotes.

Præterea, quādo ſacerdos abſoluit pœnitentem, quæro an abſoluat à peccatis, quoad culpam, an verò quoad pœnam

tem-

temporalem, in quam æterna eſt, per contritionem commutata: vel à debito vocaliter confitendi; ſi primum ſaltem, ſi peccator fuerit, etiam per contritionem iuſtificatus, tūc abſolutio quomodo ſe extendit ad culpam, niſi quia fuit in voto peccatori, ſicq; requirit integritatem. Si ſecundum, aut tertium, tunc certum videtur abſolutionem admittere diuiſionem, ſicut & pœnæ remiſſio eam admittit.

Itaque difficile eſt probare præſentem articulum de confeſſionis integritate, vni, & idem ſacerdoti faciendæ, eſſe de iure diuino, niſi recurramus ad Chriſti inſtitutionem, quam voce diſcipulis tradidit, à quibus Eccleſia id accepit, & ſeruat; vel etiā, quia peccata mortalia ſunt quoad auerſionem à Deo connexa, ſic vt vno ablato, alterum tollatur: vno remanente, reliqua item; & dicitur, impium eſſe à Deo dimidiam ſperare veniam.

De circunſtantijs confitendis.

DE circunſtantijs eadem difficultas oritur, an ſit de neceſsitate præfatæ integritatis confiteri omnes circunſtantias.

De circunſtantijs, quæ non alleuiant, nec aggrauant peccatum, non eſt dubium: non enim tenetur peccator confiteri, niſi ea propter quæ Deum offendit.

De alijs verò circunſtantijs, quæ aggrauant, & nouam culpam inducunt, non eſt etiam dubium, quin ſint de neceſsitate confitendæ, alioqui non fieret integra confeſsio.

De alijs autem circunſtantijs, quæ aggrauant, & non mutat ſpeciem peccati, an ſit neceſſarium eas confiteri, aliqui dixerunt quòd ſic, ex ſententia Auguſtini, & habetur de pœnit. diſt. 5. cap. conſideret.

Sed his non obſtantibus, reſpondeo, non eſſe neceſſarium huiuſmodi circunſtantias ſolum aggrauantes confiteri, & probatur hæc concluſio: Quia nullo iure diuino, nec humano ad id tenemur: confirmatur, quia tunc teneretur peccator ſcire circunſtantias aggrauantes, ſicut tenetur ſcire peccata mortalia, quæ tenetur confiteri: ita D. Bonauent. in 4. diſt.

Digitized by Google

diſt. 17. §. 7. Adria. 4. q. 4. de confeſſ. Nauar. cap. 6. nu. 6. & 7. & fundatur expreſsè in verbis concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.

Eſto tamen quod non ſit neceſſarium, eſt tamen vtile eas confiteri. S. Thomas in 4. diſt. 16.

De circunſtantijs ſpeciem peccati mutantibus.

QVoniam dubitare quis poſſet, quæ nam ſint illæ circunſtantiæ, quæ mutant ſpeciem peccati, Reſpondeo illas dici ſpeciem peccati mutare, ſeu nouum peccatũ inducere, quæ diſtincta, ſeu propria prohibitione prohibentur; quia cum peccatum in tãtum ſit peccatum, in quantum contra præceptum, ſeu legem obligatoriam ſit, verè itaq; illa circunſtantia diſtinctum affert peccatum, quæ diſtincta lege, aut præcepto prohibetur.

Quod ſubſequentibus exemplis facilè cognoſci poterit, nam ſi loquimur de circunſtantia finis: vt ſi quis furetur, vt fornicetur, vel aliud flagitium committat, conſtat finem illum, alia lege diſtincta eſſe prohibitum, à lege, quæ furtum prohibet.

1. De circunſtantia obiecti, vt ſi quis fornicetur cum coniugata, vel virgine, vel Moniali.

2. De circunſtantia agentis, vt ſi Religioſus contra votum continentiæ fornicetur.

3. De circunſtantia loci, vt ſi quis intra locum ſacrum fornicetur.

4. Idem patet de circunſtantia temporis, & de alijs.

5. Deinde fornicari, vel aliud malum agere ſcienter: eſt circunſtantia, quæ diſtinctam malitiam affert: iuxta illud omne, quod non eſt ex fide ad Roma. 14. id eſt conſcientiam peccatum eſt.

6. Item aliquid facere, ſtante conſcientia dubia de qualitate operis, ſpecialiter prohibetur, iuxtà illud Eccleſ. 3. Qui amat periculum, &c.

7. Item peccare cum iactura propriæ famæ, ſpecialiter prohibetur, iuxtà illud Eccl. 41. Curam habe de bono nomine, nam melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.

8. Item

8. Item peccare coram alijs, qui facilè ad ſimile vitium provocabuntur, eſt ſcandalizare, quod ſpecialiter prohibetur, vt innuit Chriſtus Matt. 18. Si quis ſcādalizauerit vnum de his puſillis, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo, &c.

9. Denique quoties quis peccat, & peccatum illud concomitantur, vel ſubſecutura præſumuntur damna aliqua, corporis, vel animæ propriæ proximi, vel Reipublicæ, vel famæ, vel aliud damnum quodcunque, quod ſub pœna peccati tenetur homo euitare; tunc huiuſmodi circunſtantiæ, dicuntur mutare ſpeciem peccati; nō quod natura actus peccaminoſi mutetur, ſed ineſſe moris mutari dicitur, quia peccans cum tali circunſtantia, diſtincto præcepto prohibita diuerſis dicitur peccatis peccare. Vnde fit, vt in vnico, & eodem actu, contingat aliquem multa ſimul peccata ſpecie differentia committere: vt puta, ſi Prælatus alicuius loci, vel Monaſterij in ſuo Monaſterio, accedat ad vxorem alterius, peccat multipliciter, & Primò in fornicando.

2. Quia cum vxore coniugata.

3. Quia cum ſcandalo fratrum, qui facilè ad ſimile vitium prouocabuntur.

4. Quia cum periculo mortis fœminæ, quia eam vir eius fortè occidet.

5. Quia cum iactura propriæ famæ, & totius ordinis.

6. Quia contra conſcientiā propriam, cū ſciat ſe peccare.

7. Quia contra votum continentiæ.

8. Quia contra propriam perſonam, quæ Deo conſecrata eſt, tàm ratione ſacerdotij, quàm ratione Religionis.

9. Quia contra proprium officium Prælati, ad quem pertinet bonum vitæ exemplum, ſubditis præſtare.

10. Quia in loco ſacro.

11. Ratione temporis ſacri, ſi dies feſtus ſit; & ita poteris alias circunſtantias apponere. Sed quæri poterit, an talis Prælatus, vel quicunq; alius ſimiliter peccans, teneatur ſemper quando confitetur, has omnes circunſtantias explicare. Reſpondendum non oportere, ſi confeſsio fiat Confeſſori, qui pœnitentem, & eius conditionem agnoſcat; ſecus autem

tem

tem ſi confiteatur Confeſſori, qui eas circunſtantias ignoret; quia tunc neceſſarium erit ad integritatem confeſsionis, omnes illas cõfiteri: etiam ſi Confeſſor vidit me aliqua peccata committentem teneor illa explicare; ſicuti ſi ea non ſciuiſſet, nec ſatis erit dicere, Pater confiteor me illa peccata commiſiſſe, quæ vidiſti me committere, quia non vidit illa vt confeſſarius, ſed vt quiuis alius potuit notare; in confeſſionis ergo tribunali, adhuc referri debent, & ſubijci clauibus à pœnitente.

De circunſtantia loci, & temporis.

QVærebatur an circunſtantia loci, & temporis, inducant ſemper nouum peccatum.

Quidam dixerunt quod non, niſi quando ipſe locus, & dies eſt obiectum prauæ voluntatis; vt ſi quis velit fornicari, vel furari intra Eccleſiam, ſeu in die feſto: ſicut dixit Almainus, nouum peccatum eſſe ex illa circunſtantia.

Aut ſi quis in loco ſacro faciat aliquod opus, quod ſit impeditiuum eorum, quæ in Eccleſia fieri debent, qualia ſunt celebrare, mortuos ſepelire, officium recitare, confeſſiones audire, &c. ſic dicit Reuerendiſs. Caietanus in opuſculis. Quare illa peccata, quæ ſunt horum operum impeditiua, mutant ſpeciem peccati ex circunſtantia loci.

Sed notandum, quod ſiue homo committat peccatũ opere, ſiue ſola voluntate, in loco, vel tempore ſacro, poteſt tripliciter conſiderari, quia vel id facit ſcienter in loco ſacro, vel ignoranter craſsè, ſeu affectatè; vel ignoranter, inuincibiliter; ſi ſcienter, ſpeciale peccatum eſt, ratione loci ſacri, qui ad colendum Deum ſpecialiter eſt dedicatus.

Similiter ſi in loco ſacro peccet, ex ignorantia craſſa: quæ illum non excuſat à toto, licet à tanto.

Si verò inuincibiliter ignorat ſe in loco ſacro, vel tempore ſacro peccare, tunc non duplici peccato, ſed ſimplici peccato peccat, nec opus eſt circunſtantiam in hoc caſu confiteri, niſi cum nouerit ſe ſic peccaſſe.

Digitized by Google

De integritate confeſſionis non ſemper ſeruanda:

AN verò ſemper integritas confeſſionis ſeruanda ſit: & primò videtur quod non, quia in multis caſibus, licitum eſt confeſſionem dimidiare, etiam ſcienter: vt cum eſt veriſimile, aut certum, quod integra confeſſio cedet in infamiam ipſius confitentis, vt caſu, quo pœnitens ſcit confeſſorem illum, ſolitum eſſe confeſſionem in certis criminibus reuelare, vnde veriſimiliter credit, quod ita ſecū faciet, tunc non tenetur pęnitens integrè illi cōfiteri.

Ratio eſt, quia nec intentio Dei, nec Eccleſiæ, nec Sanctorum eſt, obligare pœnitentem, vt cum infamia ſua, ſeu famæ ſuæ detrimento confiteatur, in cap. enim omnis vtriuſq; ſexus, ſtatutum eſt, vt peccator ſolus ſua peccata confiteatur.

Item ſi confeſſio integra fieri non poteſt, niſi cum periculo mortis corporalis ipſius pœnitentis, aut alterius, tunc ceſſat obligatio integrè confitendi; vt caſu, quo confitens occidit fratrem, qui ex ſalio parente fuerat etiam frater ipſius Confeſſoris, quem veriſimiliter putat, audita integra confeſſione, ſumpturum vindictam contra ipſum confitentem.

Et caſu, quo fœmina, quam Curatus ſollicitauerat, confitetur ſe cum alio Clerico fornicatam eſſe, cuius mortem veriſimile eſt pœnitenti mulieri Curatum procuraturum, aut in alijs huiuſmodi caſibus, ceſſat obligatio integrè cōfitendi.

An propter ſcandalum Confeſſoris, licitum ſit dimidiare confeſſionem.

VT ſi fœmina cum aliquo fornicata, hoc peccatum ſuo ſacerdoti cōfiteatur, & veriſimiliter ſciat, quòd eam ſollicitabit, & in libidinem excitabitur, quæro modo, an ad euitandum huiuſmodi ſcandalum Confeſſoris, teneatur illud peccatum ſubticere. Et in ſimilibus caſibus vniuerſaliter poſſet quæri pro vitando ſcandalo Confeſſoris, an poſsit, & debeat dimidiari confeſsio. Pro

cuius dubij reſolutione, aliqui dixerunt quod non: Tùm quia ex regula iuris, vtilius ſcandalum naſci permittitur, quam veritas relinquatur. Cum igitur integrè confiteri, ſit de veritate vitæ, ex quo eſt de præcepto ſub pœna peccati mortalis obligante; ſequitur, quod veritas nõ ſit prætermittenda ad vitandum ſcandalum Confeſſoris: Tùm quia ſi liceret ab integra confeſsione, propter huiuſmodi ſcandalum, liceret etiam totaliter ob eandem cauſam à confeſsione ceſſare, vt ſi pœnitens non habeat niſi talia peccata; quæ ſi confiteretur, eſſet Confeſſor ſcandalizandus. Sed multis omiſſis, apparet contrarium eſſe tenendum, ſcilicet quod ceſſet obligatio integrè confitendi, propter ſcandalum ſacerdotis vitandum. Probatur, quia magis tenemur ſalutem ſpiritualem proximi, & mortem ſpiritualem eius vitare, quàm ad vitandum propriam infamiam: vnde ex dictis patet, confeſsio integrè fieri non poteſt, ſine periculo veriſimilis infamiæ, aut mortis corporalis alicuius, ceſſat obligatio integrè confitendi, igitur etiam in caſu præſenti.

Præterea ex regula D. Bernardi in libro de diſpenſatione, & præceptis: habemus, quod pro charitate inſtitutũ eſt, non debet contra charitatem militare: quare ſi in caſu eſſet neceſſarium integrè confiteri, hoc ipſum contra charitatem proximi militaret.

Præterea concurrentibus duobus præceptis, quæ ſimul obſeruari non poſſunt, quod minus eſt, debet cedere maiori: at in caſu propoſito, maius præceptum eſt, vitare ſcandalum Confeſſoris, in quo vita eius ſpiritualis periclitatur, quàm præceptum de integrè confitendo: cum primum ſit iuris naturæ, ſecundum iuris poſitiui; & dicimus hoc de ſcandalo, tùm actiuo, tùm paſsiuo: quia permittere ſcandalum fratris, cum illud euitare poſſumus: & ſcandalum eidem præbere, æquiparantur, vt habetur diſt. 83. in principio: non grandis differentia eſt inferas mortem, vel admittas; mortem enim languentibus videtur infligere; qui hanc cum poteſt, non excludit; & habetur 23. quæſt. 4. Ipſa pietas, &c.

Nota tamen, pro limitatione huius reſolutionis: diſtinguendum eſt de ſcandalo, nam ſi ſcandalum ſacerdotis, quod

time-

timetur ex malitia ipſius ſit euenturum, aut ex fragilitate, ſeu ignorantia, ſi enim ex malitia, vt puta ſi parati animi eſſet eam ſollicitare, vt ſecum conſentiat quacunq; oblata occaſione; tunc non eſt curãdum de tali ſcandalo, nec propter illud vitandum, à confeſsionis integritate ceſſandũ: eo quod propter hoc, non ſequitur mors animæ ipſius Confeſſoris, cum iam ob animi ſui præparationem ſit mortuus. Tùm etiam exemplo Chriſti, qui docuit nos de huiuſmodi ſcandalo Phariſæorum, ex malitia proueniente, non eſſe curandum, nec ob illud à bono opere ceſſandum; Io. 6. vt patet de multis, qui ſcandalizati ſunt, Chriſto dicente, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Ioan. 6.

Hanc igitur regulam conſtituendam eſſe iudicamus in hac materia, quando confeſſio integrè vni fieri non poteſt, niſi cum periculo notabili, ſiue famæ, ſiue vitæ corporalis, ſiue ſpiritualis, propriæ, vel alienæ; ceſſat obligatio integrè confitendi. Et ſimiliter ceſſat obligatio confitendi ſimpliciter, quando ipſa confeſſio ſine tali damno fieri non poteſt, quia tunc perinde eſt, ac ſi penitus non haberet copiam confeſſoris, ſatis enim tunc eſt ſummo ſacerdoti confiteri Chriſto vel rectius, quærat alium.

Sed notandum eſt, quod quamuis ceſſet obligatio integrè confitendi, non ceſſat tamen obligatio ſimpliciter confitendi: quia diuerſa ſunt præcepta: ſcilicet, De confitendo; & De integrè confitendo: ex quo vnum poteſt ſine altero compleri; ac proinde ceſſante obligatione integritatis confeſſionis: non opus eſt ceſſet obligatio confitendi cætera peccata, tempore neceſſitatis, ſeu præcepti confitendi: vt ſi vnicum præceptum ſit de ieiunando Quadrageſimam: qui non poteſt integram ieiunare, non inde deobligatur à neceſſitate ieiunandi, quando poteſt, etiam ſi ieiunium dimidietur, & ita confeſſio non ſolum poteſt, ſed etiam debet dimidiari, ſi integrè fieri non poteſt vni, fiat alteri de huiuſmodi peccatis, ob quæ, &c.

Digitized by Google

Quando ſit confitendum.

COmmunis Theologorum ſententia eſt, quod in quinque caſibus tenetur quis confiteri.

Primus, quando peccator eſt in periculo mortis: ſiue ſit ratione infirmitatis, in qua homines ſolent mori: ſiue ratione belli, quod homines breui ſuſcipere parati ſunt: ſiue ratione tempeſtatis in mari ſubortæ: ſiue ob quamcunq; aliam cauſam.

Quare cum iure diuino, teneantur peccatores confiteri, ſi volunt à Deo remiſsionem peccatorum conſequi, & ſaluari; Qui in articulo mortis, habens copiam confeſſoris, non vult confiteri, dignus eſt, qui in peccatis ſine remiſsione decedat; inde, in cap. cum infirmitas, de pœnit. & remiſſ. iubet Medicis, vt in primis faciant ægrotantem confiteri, &c.

Idem dicendum, & tenendum, cum quis cibum aliquem, aut medicinam ob aliquam cauſam ſumere compellitur, vnde veriſimiliter timet, quod in perpetuam, ſeu diuturnam dementiam incidet, tunc etiam iure diuino tenetur confiteri; alioquin omittens, exponit ſe periculo moriendi ſine confeſsione, cui periculo tenetur obuiare.

Secundus caſus, quãdo peccator habet ad præſens copiam confeſſoris, & timet veriſimiliter, quod poſtea tempore debito non habebit hanc oportunitatem; tunc ſi peccata habet, tenetur ea confiteri, non expectato tempore à iure definito; quia qui habita huiuſmodi oportunitate, negligit confiteri, exponit ſe periculo omittendi, quod ſuo tempore deberet facere, & tenetur præuenire, hoc exemplum ſumitur ex cap. licet de ferijs.

Tertius caſus eſt ratione conſcientiæ dubiæ, vt ſi quis habeat conſciẽtiam, qua putat, vel dubitat ſe teneri hodie confiteri, tenetur hodie confiteri, alioqui ageret contra cõſcientiam, & ædificaret ad gehennam, vt habet gloſſa ſuper illud Pauli ad Rom. 14. Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, vel debet deponere conſcientiam huiuſmodi erroneam, vel dubiam, & præſertim ſi eam ſine cauſa concepit, puta ex ſcrupulo, vel leuitate.

Quar-

Quartus caſus ratione Euchariſtiæ ſuſcipiendi: quo caſu tenet communis opinio, quod ſemper, qui Euchariſtiam ſumpturus eſt, tenetur prius confiteri, iuxta illud Pauli 1. ad Corint. 11. Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, &c. & iuxta cap. omnis vtriuſq; ſexus, & cap. vt ieiuni de conſecrat. diſt. 4.

Notandum tamen, quod nonnulli dicunt, quod ſi quis non habet de præſenti copiam confeſſoris, poteſt celebrare, & Euchariſtiam accipere; modo contritus ſit, & paratus poſtea oblata copia confiteri.

Sunt etiam, qui dicunt, quod etiam ſi talis habeat de præſenti copiam confeſſoris, non tamen talis, qualem ipſe vellet, ſperans ſe poſtea alterius copiam habiturum, cui longè deuotius confiteri putat, quod in tali caſu poteſt celebrare, & confeſsionem differre.

Sunt & alij, qui dicunt, quod eſto habeat de præſenti copiam idonei confeſſoris, nec ſperet poſtea commoditatem meliorem ſe habiturum, poteſt celebrare, & Euchariſtiã ſumere, modò ſit contritus; & hi omnes ſunt Doctores catholici, & probati: igitur non eſt de neceſſitate ſalutis ſemper, vt qui vult communicare prius confiteatur.

Quia ſi confeſsio eſſet communioni præmittenda, eſſet ad hunc finem, vt ſe homo dignum faceret ad Euchariſtiam accedendi: ſed homo diuino fauore motus, poteſt ſe aliter dignum facere, quàm per confeſsionem; ex ſummo contritionis conatu, & dilectione Dei procedente, quæ ſecundum omnes, ſufficientiſsima diſpoſitio eſt ad Dei gratiam, ergo.

Deinde nullum ius, nec ſtatutum antiquum apparet, quod obliget hominem ad præmittendum confeſsionem: & quæ dicta ſunt ſuperius, non probant ſufficienter.

Verumtamen, quamuis ſtando in ſolo iure diuino, aut humano, aut etiam in ratione, non conuincamur opinionem hanc tenere; conſuetudo tamen vbiq; inter viros bonos, ſeruata habet vim iuris. In totam enim Eccleſia latina, ſacerdotes antequam celebrent, ſi copiam habent cõfeſſoris, conſitentur, & oppoſitum agentes ſe delinquere putant; ſimiliter & laici, nec aliter ad menſam Domini accedere audent:

immo modo adeſt obligatio Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 7. & can. 11.

Et ità tenendum firmiter, quod ſemper quando quis celebrare vult, aut communicare, habita copia confeſſoris, tenetur prius confiteri: & ſi copia non habeatur, debet expectari, vel quæri ſi commodè poteſt, niſi neceſsitas cogat, quia tunc ſufficit contritio, cum propoſito tamen confitendi quamprimum.

Eſt autem multiplex neceſsitas, ſcilicet vitandi infamiam, vel ſcãdalum: item neceſsitas ſatisfaciendi officio ſibi iniuncto, ſi curatus ſit.

Item eſt neceſsitas ex præcepto ſuperioris, quando aliqua vrgens cauſa celebrandi occurrit. Quamobrem in huiuſmodi neceſsitatibus, poteſt quis ad celebrandum contritus accedere non præmiſſa confeſsione.

Quintus caſus eſt, ratione ſtatuti Eccleſiæ, cap. omnis vtriuſq; ſexus, de pœnit. & remiſſ. vbi communis Theologorum, & Iuriſtarum concors ſententia eſt, quòd illud ſtatutum ſit obligatorium ad confeſſionem, & ad communionem, & eſt totius Eccleſiæ conſuetudo.

Sed dubium eſt, an ſatisfaciat quis Eccleſiæ ſtatuto, ſi quocunq; anni tempore confiteatur: vbi notandum eſt pro ſolutione dubij: ſi ſtemus in ſolo iure, apparet, quod quacunque parte anni confiteatur quis, ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ: quãdoquidem in ipſo ſtatuto, nulla certa pars anni pro confeſſione deſignatur, ſicut pro Euchariſtia; maximè cum de confeſſione ibidem præcipiatur, quòd quilibet ſaltem ſemel in anno, &c. in quo dicens ſaltem ſemel in anno videtur non tradere præceptum de confitendo determinatè in Quadrageſima, ſed per totum annum: ita tenet Baptiſta confeſſio 2. §. 4.

Si verò ſtemus conſuetudini, & communi hominum intelligentiæ, vel opinioni, ſimiliter & ſtatutis prouincialibus, pœnas contra non confitentes ſtatuentibus, apparet præceptum hoc obligare ad confeſſionem in Quadrageſima: qui enim eo tempore non confitentur, præuaricatores eſſe putantur, & vt tales puniri ſolent, & Curatis imponitur neceſſitas illos denunciandi Prælatis.

An

An ſecreto ſit Confeſſio facienda.

QVoniam per Eccleſiam præceptum eſt; vt peccator ſolus, ſoli ſacerdoti confiteatur: cap. omnis vtriuſq; ſexus, &c. quæritur, an liceat pluribus confiteri, aut per interpretem, aut publicè, & an huiuſmodi confeſsio ſit neceſſaria: & ſacramentalis.

Primò, cui dubio variè reſpondendum eſſe videtur, huiuſmodi confeſsionem non eſſe licitam, neq; neceſſariam, nec verè ſacramentalem; ſic tenet Angelus ver. confeſsio 1. §. 29.

Secundò, alij dixerunt licitam quidem eſſe, ſed non neceſſariam, nec ſacramentalem: ità tenet Scotus in 4. diſt. 17. quod non ſit licita patet, quia ex Eccleſię inſtitutione dictum eſt, ſolum peccatorem ſoli ſacerdoti confiteri debere, quod eſt in fauorem ipſius peccatoris, nō autem iuſſum, poteſt autem peccator huic iuri cedere ſi velit: quod non ſit neceſſaria, ſatis patet, ſi peccator nolit præfato iuri cedere: quod autem non ſit ſacramentalis, ideò eſt, quia confeſsio ſacramentalis ex natura rei debet eſſe ſecretã.

Tertiò, alij verò, aliter viſum eſt, quod nempè ſit licita: neceſſaria, & ſacramentalis: quod ſit licita patet, ſi cedat huiuſmodi iuri: quod ſit neceſſaria, ſi aliter fieri ſecretè nõ poteſt.

Sed aliter dicendum videtur: quod ſcilicet licitum ſit peccatori pluribus ſacerdotibus confiteri, cum ſpe venia, ex ſententia Aug. cap. quem pœnitet, de pœniten. diſt. 1. dicentis, quanto pluribus confeſſus fuerit, in ſpe veniæ facilius remiſſionem aſſequetur: & hoc non ſolum in neceſsitate, ſed extra. Palud. in 4. Ricard. & Baptiſta confeſsio 1. §. 10.

Quartò, talis confeſsio eſt ſacramentalis, & abſolutio valida. Adrian. in 4. Io. Andr. & Bapt. confeſsio 1. §. 11.

An confeſſio ſit iteranda, & quando.

QVoniam confeſsio redditur inualida dupliciter, ſcilicet vel ex parte pœnitentis, vel ex parte confeſsionis, pro-

propterea videndum eſt quomodo id fiat.

Primo modo, abſolutio redditur inualida, & eſt ſeruanda confeſſio, quoties pœnitens ponit obicem peccati ipſi abſolutioni; quod contingit tripliciter, primo, ſi cum ſit excommunicatus, prius petit abſolui à peccatis ſacramentaliter, quàm ab excõmunicatione: ſecundò, ſi dimidiauit ſine cauſa confeſsionem: tertiò, ſi non habuit contritionem peccatorũ.

Sed pro maiori huius dubij euidentia, & declaratione, illud notandum eſt, an poſsit aliquis prius à peccatis, quàm ab excommunicatione, quam incurrit, abſolui: cui dubio occurritur, & reſpondetur, primò duplici ſententia, hoc modo ſi per ipſum ſtat, quo minus ab excommunicatione abſoluatur, & petit prius abſolui à peccatis, peccat recipiendo, aut intendendo recipere ſacramentum, non præmiſſa abſolutione ab excommunicatione, cum poſsit, ſi velit, eam obtinere, & per conſequens ponit obicem peccati, & ità abſolui verè non poteſt, & in hoc nullus dubitat.

Si verò per eum non ſtat, quo minus à cenſura abſoluatur, & accedit contritus, & paratus, cum poterit à cenſura abſolui; tunc dicit Ricardus, & Angelus, verbo confeſsio 5. §. 10. quod poſsit abſolui, & abſolutio impenſa à peccatis ſit valida: & ratio eſt, quia ille in caſu dignus eſt, qui ab Eccleſia abſoluatur, ex quo eum Deus abſoluit; & ſi aliter fieret, videretur fieri contra charitatem, cum per eum non ſtet.

Secunda opinio eſt huic cõtraria: nam alij dixerunt communiter, quod talis etſi per eum non ſtet, non poſsit à peccatis abſolui: quia non eſt capax alicuius ſacramenti, durante vinculo excommunicationis; ita dixit Adrianus q. 1. de matrimonio, quod Papa, quando aliquem excommunicat, facit eum materiam incapacem ſacramentorum.

Verumtamen ſalua tantorum virorum authoritate, ambæ opiniones videntur deficere, prima in concluſione in ſe; ſecunda in fundamento.

Vnde contra primam videtur, quòd non poſsit abſolui verè, quia omni excommunicato, interdicitur per Eccleſiam miniſtratio, & perceptio ſacramentorum, durante excommunicatione, vt patet per cap. ſi celebret, de clerico excommuni-

municato, vel ſuſpenſo, &c. & cap. illud, ibidem, & cap. à nobis, el ſecondo, de ſententia excommunicationis, vbi dicitur, quod excommunicatus reconciliari Eccleſiæ non poſſit, niſi prius ſit ab excommunicatione abſolutus, etiam ſi apud Deum ſit reconciliatus. pro quo facit etiam cap. quicunque, 24. q. 1. vbi dicitur, quod ſi ſe ſegregauerit ab vnitate fidei, & ſocietate Petri, & Pauli, non poſſit à vinculis peccatorũ abſolui, quod licet de hæreticis formaliter procedat, etiam ob eandem cauſam, debet ad excommunicatos extendi.

Contra ſecundam, quæ dicit excommunicatum non eſſe capacem ſacramentorum, ſi vt iacet accipiatur, falſum eſt; Quia excommunicatus, ſi durante excommunicatione contrahat matrimonium, verum eſt ſacramentum; ſi ſuſcipiat Euchariſtiam, verum percipit ſacramentum; ſi confirmetur, vel ordinetur, verè erit cõfirmatus, & ordinatus, ita vt non ſit opus, vt iterum confirmetur, aut ordinetur, &c. Quamuis igitur excommunicatus, non ſit capax ſacramentorum de iure, ſeu licitè, ſeu dignè; benè tamẽ erit capax de facto.

Dicendum eſt igitur, diſtinguendo pro reſolutione dubij, de pœnitente excommunicato, quia vel talis ſcit ſe excommunicatum eſſe, neque eſſe ei licitum ſacramenta ſuſcipere, antequam abſoluatur ab excommunicatione; aut id ignorat, ignorantia lata, & craſſa, aut probabili, ſeu inuincibili. Si igitur ſcienter confitetur, petens abſolui à peccatis, peccat contra interdictum Eccleſiæ, tùm ob textus ſupra citatos, tùm etiam, quia non videntur hæc duo compatibilia, eſſe ſcilicet, quod ſit aliquis excommunicatus, & quod durante excommunicatione, poſſit licitè, & dignè ſacramenta ſcienter ſuſcipere, cum nulla cauſa videatur eum excuſare.

Si verò talis laborat ignorantia craſſa, aut lata, ſimiliter peccat, volens ſacramentaliter abſolui; quia ignorantia illa non excuſat agentem à toto, & ſi culpam aliquantulum attenuet; & proinde in his caſibus ponit obicem peccati abſolutioni; ideò ſi abſoluatur, non valet abſolutio.

Si autem habeat ignorantiam inuincibilem, qua putat licere ſibi abſolutionem ſacramentalem accipere, etiam ſi

 ſcen-

cenſura non ſit abſolutus, tunc videtur poſſe abſolui, & tenebit abſolutio à peccatis: Quia (vt ait Caietanus) illic occurrit debita materia, debita forma, cum debita intentione, & non ponitur obex: igitur eſt vera abſolutio ſacramentalis: quandoquidem multa prohibeantur fieri, quæ tamen facta tenent: & hinc patet, quæ confeſſio facta ab excómunicato debeat iterari, & quæ non.

Dubium aliud occurrit, ſi infirmus in illo articulo neceſſitatis, à peccatis abſolutus, poſtmodum conualeſcat, an maneat abſolutus, ita ut non teneatur iterum confiteri, & poſt obtentam abſolutionem à cenſura, à peccatis abſolui: Ratio huius dubij eſt, quia pœnitentia ſacramentalis non permittitur impendi alicui excommunicato, antequam ab excommunicatione abſoluatur, niſi in articulo neceſſitatis, puta in periculo mortis.

Refert autem hominem eſſe in vero articulo mortis, an in apparenti.

Reſpondetur, abſolutionem præfatã in caſu validam fuiſſe, ſiue homo fuerit in vero articulo mortis, ſiue appareti: Id patet à ſimili, quia quando licitum eſt violare votum, aut ieiunium frangere ob verum periculũ corporis, idem etiam licitũ eſt ob apparẽs, vt veriſimile periculũ. Et ſicut licitum eſt Sabbatum violare ob veram incurſionẽ, ſeu inuaſionem, ita idem licitum eſt, ob apparentem, & probabilem, igitur.

De Confeſſione dimidiata iteranda.

Confeſſio quattuor modis dimidiari poteſt.

PRimò, ſcienter, & ſine cauſa excuſante.

2. Scienter, & cum cauſa excuſante.

3. Ex obliuione, quia memoriæ non occurrunt peccata omnia.

4. Ex ignorantia facti, vel iuris: vt ſi ignorat, an ſit peccatum, quod fecit.

Primò modo, peccatum eſt, & ita confitens ponit obicem, & per cõſequens ſi abſoluatur, non verè abſolutus manet: & confeſſio iteranda eſt.

Si ſecundo modo cõfeſſio dimidietur ſcienter, ob cauſam excuſantem, vt ſi fieri integrè non poteſt, ſine periculo corporis, vel animæ, vel famæ, &c. tunc licitè dimidiatur; & ita qui ſic confitetur, non ponit obicem, & per conſequens ex parte ipſius, confeſſio valida eſt, & non de neceſſitate reiteranda: quamuis maneat obligatus pœnitens ipſe, peccata, quæ ſubticuit, ſeu occultauit, tempore debito confiteri.

Si autem tertio modo dimidiatur ex obliuione: Tunc diſtinguendum eſt, an obliuio fuit ex negligentia, quia non vt debuit, diſcuſſit conſcientiam, aut facta diſcuſſione, non occurrunt memoriæ peccata.

Si primo modo fiat, tunc iterum diſtinguatur.

Aut enim confitetur in articulo neceſſitatis, vt ſi ſit in periculo mortis.

Aut tempore, quo neceſſariũ eſt ei celebrare, ſeu Euchariſtiam ſumere, vt vitet ſcandalum alioqui euenturum: Et tunc ſi de peccatis doleat, ſimul de negligentia debitæ diſcuſſionis: in tali caſu, ob articulum neceſſitatis, debet abſolui, & valet abſolutio, nec eſt iteranda confeſſio, quamuis teneatur ſupplere negligentiam priorem, diligenter diſcutiendo conſcientiam, vt poſtea ad plenum confitetur.

Si verò confiteatur articulum neceſſitatis, quia ex obliuione, ex negligentia proueniente, confeſſionem dimidiat, quamuis doleat de priore negligentia, non eſt abſoluẽdus, & ſi abſoluatur, confeſſio eſt inualida: quia cum ſibi ſuperſit tempus ad conſcientiam diſcutiendam, & eam diſcutere negligat, ſed petit abſolui, eo ipſo ponit obicem ob dimidiatam confeſſionem, & per conſequens iteranda venit confeſsio.

Si quarto modo dimidiatur ex ignorantia iuris, vel facti, qua credit non eſſe peccatum, quod fecit, cum tamen realiter peccatum eſt; tunc iterum diſtinguatur: vel quia talis ignorantia fuit inuincibilis, vel non: ſi primo modo, non tenetur: ſi ſecundo, fuerit ignorantia culpabilis, tunc culpabiliter dimidiat, & ponit obicem, nec eſt abſoluendus, & iteranda confeſſio.

De quibuſdã peccatis in ſpecie loquuturi, nempè de blaſ-

phemia, de homicidio, de ſimonia, & alijs, vt confeſſarium inſtituamus, de peccato in communi, quatenus ad pœnitentiam ſpectat, aliqua cognitu valdè neceſſaria præponemus; ex quibus confeſſarius nullo poterit negocio coniectari, quænam ſint peccata, quæ non, & quæ mortalia, & quæ venialia: multis tamen hic conſultò omiſſis, de quibus alij ſatis abundè locuti ſunt; quare de peccato videbimus.

Primò, Quid ſit: quotuplex: quæ ſint partes: quis eius effectus: & poſtremò dubia aliquot huc ſpectantia reſoluemus.

Peccatum igitur (de quo loquimur) eſt voluntarius receſſus à regula diuina: Receſſum dicimus, quia eſt declinatio, ſeu fuga quædam à voluntate Dei: A regula, hoc eſt ab illo principio, à quo operationes hominum diriguntur in finem: à qua regula, qui recedit, dicitur facere peccatum: Diuina eſt hæc regula, non enim receſſus à quacunque regula eſt peccatum, de quo loquimur; ſed tantum receſſus à regula diuina: Regula nanque duplex eſt, alia artis, alia moris: Regula artis eſt, quæ docet quomodo debeat fieri operatio ad conſequendum finem illius artis; & receſſus ab hac regula impropriè dicitur peccatum artis: Regula verò moris, eſt qua docemur, quomodo nobis operandum ſit, vt virtutem conſequamur, & pietatem; & iſta regula dicitur diuina, quia omnes virtutes ſiue acquiſitæ ſint, ſiue infuſæ, à Deo ſunt, & ad Deum nos perducunt. Receſſus itaque ab hac regula diuina peccatum eſt.

Continetur hæc in præceptis legis, & Euangelij.

Voluntarium diximus, quia non ſatis eſt ad inſtituendum peccatum, recedere quoquo modo ab hac regula, niſi voluntas accedat, ideò vt iſte receſſus à voluntate noſtra procedat.

Vt verò actus noſter dicatur volũtarius, tria requirit, primum, vt actus ſit, vel elicitus, aut imperatus à voluntate noſtra: elicitus eſt, qui producitur à voluntate ipſa, vt velle, nolle, deſiderare, &c. Imperatus verò eſt actus, non à volũtate productus, ſed ab alia potentia per imperium voluntatis, vt videre, cum voluntas imperat oculis, vt videant; dico modo, actus cum non eſt elicitus, nec imperatus à voluntate,

tate, non eſt peccatum: vnde quando actus non eſt voluntarius, ſicut ſunt cogitationes, ſeu apprehenſiones conіectæ à Dæmone, inuita voluntate, tunc nullum eſt peccatum, niſi adhibeatur conſenſus voluntatis: adeò vt verum ſemper ſit, peccatum non eſſe peccatum, niſi ſit volũtarium, ſecundum D. Auguſtinum.

Secundum eſt, vt ita ſit à voluntate, vt etiam ſit cum libertate, hoc eſt, vt talis ſit actus, vt homo poſſet non facere illum actum, ſi voluiſſet; nam ſi non eſt cum libertate, vt ſunt primi motus, puta vindictæ in colerico, non eſt peccatũ ſaltem mortale, quia non dicitur voluntarius, id eſt liber.

Tertium eſt, vt procedat ex ſcientia, qua homo ſciat illum actum eſſe contra regulam: nam ſi neſciebat, nec tenebatur ſcire eſſe contra regulam, non eſt peccatum: puta ſi quis in vigilia, ſumat mane ientaculum, ignorans eſſe vigiliam, non eſt peccatum, ſi non tenebatur ſcire. Item ſi quis carnes appoſitas comederet, credens eſſe piſces tempore ieiunij.

Diuiſio peccati.

PEccatũ actuale diuiditur in mortale, & veniale. Mortale eſt, quod inducit mortem animæ, priuãdo illam gratia Dei, quæ eſt vita eius. Dicitur autem mortale, quia ſicut anima dicitur principium intrinſecum, quod dat compoſito, vt per ſe moueatur: vnde quando res, quæ antea habebat motũ, & operationes à ſe, & modo non habet, dicitur mortua, quia caret principio illo, ita etiam gratia Dei dat animæ vt moueatur per ſe, & vt dirigat ſuas operationes ad finem, id eſt & ad Deum; dùm enim anima eſt in gratia, operationes eius ſunt meritoriæ augumẽti gratiæ, & gloriæ; deficiente verò gratia, nulla operatio huiuſmodi vltra procedit, ſed ceſſant omnes, & propterea dicitur mortale peccatum, quod excludit hanc gratiam ab anima, quemadmodum dicitur vulnus mortale, quando excludit animam à corpore. Sed dices, ſi peccatum mortale excludit gratiam: ergo vnum peccatum mortale factum poſt alterum, non aufert amplius illam, quæ per primum excluſa eſt.

Re-

Reſpondetur, non eſſe mortale tantùm, quod excludit gratiam, ſed etiam, quod eſt aptum excludere, ſi inuenerit; per accidens verò eſt peccato, quod non inueniat.

Peccatum verò veniale priuat non gratia, ſed perfectione amoris, & charitatis, quod dicitur veniale, quia facilè inuenit veniam, quia eſt peccatum amici erga amicũ, quod condonatur à Deo, tanquam ab amico; Nota tamen, aliud eſſe peccatum, ex genere ſuo mortale: aliud eſt peccatum mortale de facto. Item, aliud eſt veniale ex genere ſuo; aliud de facto. Non enim omne peccatũ, ex genere ſuo mortale, vel veniale, eſt mortale, vel veniale de facto, v. g. etica febris ex genere ſuo, eſt lætalis, ſed non de facto, quia aliqui conualeſcunt. Item, febris tertiana de genere ſuo non eſt mortalis, de facto tamen poteſt eſſe talis, quia aliquando occidit hominem; ſic omne peccatum, quod eſt contra præceptum Dei, eſt de genere ſuo mortale, aliquando tamen de facto fit, vt non ſit mortale, quod accidit duplici de cauſa; Primò, quando materia leuis eſt, puta furari obulum, ex genere ſuo mortale, quod eſt contra præceptum Dei: Non furtum facies, ſed ex defectu materiæ, non eſt mortale de facto, ſed ex accidenti remanſit veniale. Secundò, quando actus non fuit plenè deliberatus, puta appetitus vindictæ, ex ſubitanea ira ortus, de genere ſuo mortale eſt, ſed fit veniale, quia non plenè deliberatur, ſed ſtatim repreſſit iram. Veniale verò ex genere ſuo, eſt cum aliquis facit aliquid inordinatè, non ordinando ad Deum, vt ad finem ſuum, non facit tamen contra aliquod præceptum; ſed quia illud deberet facere propter Dei amorem, vt ſunt verba ocioſa, & tale quid eſt veniale ex genere ſuo: ſed aliquando fit mortale de facto, quando ſcilicet euenit his quattuor de cauſis. Primò, ex præparatione animi, cum ſcilicet quis ſic peccat in paruo, vt ſit paratus peccare in magno, ſi daretur occaſio, vt ſi quis animo furandi multum, inuenit parum, nam peccatum parua materia eſt veniale ex genere ſuo, ſed ex illa præparatione animi, ſit mortale.

Item, cum quis dicit mendacium iocoſum in aliqua re, paratus etiam dicere illud, ſi eſſet pernicioſum. Secundò, ve-

niale

niale fit mortale, ex cõſcientia erronea; cum ſcilicet aliquis, putat ſe mortaliter peccare ſi hoc, vel illud faciat, quod tamen ex ſe non eſt mortale, & tamen facit illud contra conſcientiam ſuam, ſic dicentem: tunc fit mortale, quia habet animum offendendi Deum, ſi actus ille eſſet in eius offenſionem, licèt non offendat ex accidenti: puta credit eſſe peccatum mortale, ſi expuit in Eccleſia ante altare, ibi tamen contra propriam conſcientiam aliter dictantem facit, & expuit, peccat ex conſcientia erronea.

Tertiò, fit mortale, quando veniale ordinatur ad aliquem finem mortalem, vt qui dicit mendacium iocoſum, vt conſequatur fornicationem, vel vt decipiat aliquem in materia magna.

Quartò, cum ſequitur aliqua grauis materia, & occaſio, ex veniali fit mortale, puta ſi qs facit aliquid alicui ioco; quem tamen nouit ex inde facilè irritari, & blaſphemare, tunc peccat mortaliter, licèt id ioco fecerit, quod ex genere ſuo eſt veniale, ſed quia non debet præbere alteri occaſionem peccandi, & ruinæ ſpiritualis, ideò eſt mortale.

Nota præterea in peccato eſſe duo: Primũ, actus, & operatio peccati. Secundum, quædam deformitas, & receſſus à præcepto diuino, ſolus actus non eſt peccatum, ſed illa deformitas, ſeu actus cum deformitate eſt peccatum. Primum, à Theologis dicitur materiale peccati. Secundum, dicitur formale. In hac deformitate cum regula diuina peccator facit duo, & ita formale peccati prædictum, in duas partes diuiditur. Primò enim auertit ſe à Deo, quia recedit ab eius voluntate. Secundò, conuertit ſe ad creaturas, & hoc eſt, quod dicunt Theologi, auerti ſe à bono incommutabili, & conuerti ſe ad bonum mutabile: iſta ſunt in peccato mortali propriè, ſed impropriè in veniali, quia non auertit ſe à Deo.

Duo item ſunt in peccato mortali, quæ dicuntur effectus illius, ideſt, macula, & reatus; Macula, quia deturpat animam, priuans illam gratia Dei, quæ eſt decor, & ornamentum animæ; Reatus, quia anima obligatur ad pœnam æternam; & quia in peccato ſunt duo (vt diximus) auerſio à Deo,

& conuerſio ad creaturas, ita duplex pœna: Nam propter auerſionem à Deo habebit pœnā damni, quæ eſt priuatio diuinæ viſionis in æternum, quæ maxima eſt omniū pœnarum: propter conuerſionem verò ad creaturas habebit pœnam ſenſus, quia creatura in æternum cruciabit animā, nempè ignis æternus: vnde omne peccatum, tàm mortale, quàm veniale, eſt materia confeſſionis, cui poteſt applicari forma ſacramenti pœnitentiæ, & habetur in conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. contra Luteranos, qui contrarium de veniali affirmant.

Eſt tamen differentia, quia mortalia ſunt de neceſſitate confitenda, ſaltem tempore debito, & opportuno. Venialia verò non ſunt de neceſſitate confeſſionis, vt habetur eodem loco: niſi, vt alij dicunt, quando eſt præceptum de cōfeſsione facienda, vt in Paſchate, tunc eſt de neceſsitate cōfiteri peccata venialia, præſertim ſi eſſet ſcandalum, credo tamen non eſſe de neceſsitate, quæ obliget ad mortale: quod ſi eſſet ſcandalum, tunc eat ad confeſſarium, & dicat ſe nihil habere, ita D. Thom. 3. par. q. 84. art. 2. Scotus in 4. diſt. 17. q. 9. optimum tamen eſt conſilium ſemper confiteri venialia: teneretur etiam pœnitens de veniali ſi vouiſſet. Dico tamen, quamuis multis Doctoribus viſum ſit, eſſe de neceſsitate ſalutis confiteri venialia, ſicuti etiam mortalia, ſiue ſola ſint, ſiue mortalibus coniuncta, ex eo, quod Chriſtus Dominus dixerit, Quorum remiſeritis, &c. ibi enim indiſtinctè locutus eſt; cum igitur nomine peccatorum, etiam intelligantur venialia, ſequitur ſub eadem neceſsitate eſſe confitenda, ſub qua ſunt mortalia. Præterea in cap. omnis vtriuſq; ſexus, ſtatutum eſt, vt fideles omnes confiteātur omnia ſua peccata, nec vlla ibi ſit peccati exceptio, immò qui omne dicit, nihil excludit, vt ait Philoſophus. Præterea quædam ſunt peccata venialia, quæ ipſe peccator dubitat an ſint mortalia, igitur illa tenetur de neceſsitate confiteri, alioquin exponeret ſe periculo dimidiandi confeſsionem, præterea dicunt, ideo neceſſe eſt mortalia cōfiteri, vt peccator veniam conſequatur, & vitet pœnam æternam; at venialia mortalibus coniuncta, æternaliter puniuntur, ſicuti mortalia; ergo de neceſsitate ſunt confitenda.

Con-

Contraria tamen opinio eſt tenenda, nempè peccata venialia, non eſſe de neceſſitate ſalutis confitenda: quoniam ad eorum remiſſionem, ex communi ſententia, alia ſunt remedia; nēpe, feruor charitatis, confeſſio generalis, oratio Dominica, aqua benedicta, &c. igitur non erit neceſſaria confeſſio ſacramentalis, de qua loquimur: ſufficientia .n. vnius remedij, excludit neceſſitatem alterius: & confeſsio ſacramentalis non eſt neceſſaria, niſi de his peccatis, propter quæ homo periclitatur: cum ergò propter venialia huiuſmodi non ſubeatur periculum, ſequitur illa de neceſsitate ſalutis non eſſe confitenda; Quando autem Chriſtus indiſtinctè locutus, expreſse non fecerit mentionem de venialibus, ipſa ratio cogit nos, vt de ſolis mortalibus intelligamus dictum illius: nam ſi ad venialia extenderetur, falſus eſſet ſenſus illorum verborum, Quorum remiſeritis peccata, ego quoque remittam, quorum non remiſeritis, ego non remittam; cum certum ſit, peccata venialia, poſſe in hoc ſeculo, & in alio ſine illorum confeſsione ſacramentali remitti: Quando item in Decretali, omnis vtriuſq; ſexus, dicitur, omnia peccata, nihil noui induxiſſe videtur ſuper confeſsione peccatorū; præterquam quod aſsignauit tempus confitendi ſemel in anno, neq; diſtinxit mortalia à venialibus, ad quæ non ſe extendit, quia Eccleſia non obligat ad impoſsibile, vel quaſi impoſsibile, ſicuti eſſet omnia venialia confiteri, cum ea omnia homo numerare non poſsit. Et ſi Chriſtus non obligaret nos ad confeſsionem mortalium, neq; Eccleſia nos obligare potuiſſet: verumtamen eſſet, hominem debere confiteri venialia, non quòd iure aliquò ad id teneatur, ſed vt iam dictum eſt, ratione conſcientiæ dubiæ, vt vitet periculū, ſicuti etiam ſi ſciat eſſe venialia, & credat ſe teneri ad eorum confeſsionem, quia tunc abſq; dubitatione, tenetur illa confiteri, ne faciat contra propriam conſcientiam ſibi aliter dictantem; vel ratione voti, ſi quod factum eſt de veniali confitendo. Quod autem dictum eſt, venialia in Inferno puniri æternaliter, non propterea ſequitur illa eſſe de neceſsitate confitenda, quia quòd in inferno puniantur, accidit non ratione ſui, ſed ratione ſtatus, vel peccati mortalis, cui ſunt adiuncta.

Quocirca cum Caietano, & alijs dicimus, peccata venialia eſſe materiam congruam confeſſionis, non autem neceſſariam, eorumdemq; abſolutionem eſſe ſacramentalem, cum D. Tho. in 4. diſt. 21. q. 2. ad primum: idem dicit Magiſter diſt. 21. §. 5. in 4. Ita Medina in codice de confeſſione.

Dubia aliquot reſoluuntur, & Primò.

An de venialibus neceſſaria ſit contritio.

PRimò, reſpondeo. De venialibus non eſt neceſſaria contritio, ſed habent alia remedia, vt dictum eſt ſupra, & intelligendum de contritione ordinata confeſſioni.

Secundò. De mortalibus item ſemel remiſſis, non iterum neceſſaria contritio, quia Deus non caſtigat bis in idipſum; tamen eſt cauendum, ne quis ſibi complaceat de peccato præterito, quia eſſet nouum peccatum: ſed ſanctum eſt habere contritionem de peccatis, quoties recordamur, licet non ſit neceſſarium.

Tertiò. Mortalium non contritorum eſt neceſſaria contritio, vel ſaltem attritio cum ſacramento, toties quoties illorum reminiſcimur: Luc. 11. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes, &c.

Secundum dubium.

An ſingulorum mortalium, debeant eſſe ſingula contritiones.

REſpondeo. Veritas eſt, ad remiſſionem peccatorũ, vnam generalem ſufficere contritionem, quæ feratur in vniuerſa peccata, & in ſingula in generali; verum eſt tamen, neceſſariam eſſe ſpecialem inquiſitionem ſingulorum, pro confeſſione: ſicut in lege neceſſaria erat inquiſitio vitæ: eſt opinio Alb. in 4. d. 16. ar. 32. Alex. de Aleſ. 4. p. q. 69. membr. 8. ar. 2. ad 2. Ratio eſt, quia homo poteſt in momento iuſtificari apud Deum, iuxta illud, In quacunq; hora ingemuerit pec-

peccator, &c. Ezech. 18. Contritio autem de ſingulis in momento, nec vna hora fortè poſſet haberi: ideò.

Tertium dubium.

An ſtatim ac quis peccauerit, teneatur conteri.

RESpondeo. Dico cum Soto in 4. d. 17. q. 2. ar. 6. & cum alijs: hominem non teneri ſtatim conteri, ſed ſatis eſt, ſi ſtatim ceſſet à peccato; ſicuti neq; ſtatim tenetur confiteri, ſecundum præceptum Eccleſiæ: in aliquibus tamen caſibus tenetur homo conteri, & ante confeſſionem: Primò, quando aliquis debet recipere aliquod ſacramentum extra communionem, quia ſi eſt in peccato mortali, debet conteri de peccato, quamuis nolit tunc confiteri: dixi extra communionem, quia ante ipſam, debet neceſſariò conteri, & confiteri de mortalibus. Secundò, cum quis eſt adminiſtraturus ſacramentum aliquod ſolemniter, ſi habet peccatum mortale, debet conteri, ſed non tenetur confiteri: quod ſi non conteratur, peccat mortaliter, ad mentem omnium, adminiſtrando illud ſacramētum. Tertiò, cum aliquis debet exercere actum, in quo eget magna gratia Dei, puta, quia debet ſiſti Tyranno ad confeſſionem fidei tuendam, quia martyrium eſt periculoſum ſine gratia Dei, ne deficiat in tormentis.

Quartum dubium.

An contritio peccatorum debeat eſſe ſumma intenſiuè.

RESpondeo cum D. Tho. in 4. d. 17. q. 2. ar. 5. quæſtiuncula 3. Contritionem debere eſſe ſummam in appreciatione, hoc eſt, vt homo plus, aut magis deteſtetur peccatum, quàm omne malum; non tamen debet eſſe in ſummo feruore, & dolore, quo poſſet eſſe, quia etiam contritio non ſumma valet, quæ à conc. Trid. c. 4. cum dicatur donum Dei, & eleuata per virtutem ſacramenti pœnitentiæ à clauibus, non naturalis, ſed ſupernaturalis diſpoſitio ad gratiam, dicenda eſt contra Sot.

Quintum dubium.

An de grauiori peccato, teneatur homo magis conteri, quàm de leuiori.

RESpondeo. Intenſiuè magis non teneri conteri, dummodo contritio, ſeu diſplicentia ſit ſumma (vt dixi) quo ad appreciationem, hoc eſt, vt ſit deteſtatio illius peccati ſuper omne malum: Ratio eſt, quia omnis contritio vera, licet remiſſa, dat gratiam, & minima gratia expellit omnia, & quæcunq; peccata: Ratio eſt, quia minima gratia facit amicum Deo, ſicut è cõtra minimum mortale, expellit ſummam gratiam, & facit inimicum Deo; ſecundò, dico eſſe ſanctum, & vtile, de maiori peccato magis conteri, licet non ſit neceſſarium. Primò, quia ratio exigit, vt homo tanto feruore conuertatur ad Deum, quanta malitia fuit auerſus ab eo; ſecundò, eſt vtile, quia remittit pœnam temporalem in mundo, & in Purgatorio; nam quanto maior fuerit contritio, tanto maior pœna pro ſatisfactione debita remittitur, & tanta poteſt eſſe contritio, vt totam remittat; Vtiliſſimum autem eſt ſatisfactionem pœnæ, potius ſoluere in hoc mundo, quàm in Purgatorio; quia ibi pœna dicitur eſſe ſæua, tùm quia nulla eſt permixta conſolatione, niſi ſecuritatis, vt in hac vita; tùm vel maximè, quia ibi pœna eſt purè ſatisfactoria, hic autem præter ſatisfactionem, eſt meritoria nouæ gratiæ; quicquid enim hic boni fit, ſemper auget gratiam, cui reſpondet, tantumdem augumentum gloriæ in cœlo.

Sextum dubium.

An homo teneatur conteri de peccatis ante Baptiſmum, aut illa confiteri.

ALiqui dicunt, infideles adultos, ante Baptiſmum, debere confiteri de neceſſitate peccata mortalia ante illum

lum commiſſa, inter quos eſt Angelus verbo confeſſio 2. §. 2. qui in ſui fauorem citat Ricardum in 4. d. 17. quia inquiunt confeſſio mortalium eſt de iure diuino: Alij tamen contrarium, & veriorem tenent opinionem, & probant hoc modo: Si neceſſarium eſſet, peccata ante Baptiſmum commiſſa, confeſſione ſacramentali confiteri, vel eſſent confitenda ante Baptiſmum, vel poſt Baptiſmum; non ante Baptiſmum, quia non habet locum ſacramentalis confeſſio; cum Baptiſmus ſit ianua ſacramentorum: Non poſt, quia ex quo per Baptiſmum ſunt remiſſa, & ſic decedens, ſtatim volaret ad gloriam, ergo non erit neceſſaria confeſſio illorum peccatorum: & D. Ambroſius ſuper 11. cap. Pauli ad Rom. dicit: Gratia Baptiſmalis, non requirit gemitum, neq; planctum, nec vllam ſatisfactionem; immo, vt dicit Angles q. de confeſſione, nullo iure tenentur infideles ad ſacramentalē confeſsionem; quia cum non teneantur poſt Baptiſmum confiteri peccata, ante Baptiſmum commiſſa, multò minus ante Baptiſmum, quia ſunt commiſſa extra iuriſdictionem Eccleſiæ: Rurſus S. Thom. 3. p. q. 68. ar. 5. & Viguerius de Baptiſmo verſ. 5. Catechiſmus Rom. pag. 200. tenent eandem opinionem tanquam conuenientē, & tenendam cum Soto 4. d. 5. q. vnic. art. 6. Quia Baptiſmus de ſe tollit omnem culpam: concil. Trid. ſeſſ. 5. c. ſi quis, & ſeſſ. 14. de pœnit. c. 1. ibi illis; Tenentur tamen tales homines habere contritionem, vel attritionem perfectam, quæ reputatur contritio, iuxta mentem Nauarri cap. 1. nu. 37. contra Sotum; & tenentur non habere complacentiam illorum, ſed ab illis ceſſare, & voluntatem auertere.

Quid ſit Blaſphemia, ſeu Blaſphemare.

Abſolutis his, quæ de peccato in genere erant dicenda, ſupereſt, vt ad ea in ſpecie, & quidem grauiſsima deſcendamus peccata, & Primò aliqua hic de Blaſphemia adducemus, de qua S. Tho. 2. 2. q. 13. art. 1. Alex. 2. p. q. 148. Canones in rubr. de Maledicis & Summiſtæ in verbo Blaſphemia, & Io. Vig. & poſt iſtos, Na-

ſtarrus cap. 12. nu. 81. & alij multa dixerunt: vbi ſcire debet Confeſſarius, blaſphemiam (vt ſonat vocabulum) græcam eſſe vocem; quæ ſignificat maledicentiam, conuitium, ſeu derogationem alicuius excellentiæ bonitatis Dei, vel Sanctorum, & quia bonitas diuina excedit infinitè quamcunque excellentiam, & bonitatem hominum in hac vita, & Sanctorum in alia; ideò blaſphemia ſimpliciter, & antonomaſticè dicitur derogatio excellentiæ bonitatis diuinæ: & per analogiam, ſeu proportionem, aut ſimilitudinem quandam, eſt derogatio bonitatis, & excellentiæ Sanctorum, qui ſunt in cœlo: nam derogatio excellentiæ hominis viuentis, non dicitur blaſphemia, ſed detractio, cum homines in hac vita non ſint in firmo ſtatu, magnæ excellentiæ; blaſphemia igitur, ſeu blaſphemare importat, tacitè, vel expreſsè, verbo, vel ſcripto contra Deũ, aut Sanctos eius aliquod conuitium, maledictum, aut contumelioſum proferre: Nauarr. loco cit. vel cum S. Ambroſio lib. de Paradiſo: Blaſphemare eſt Deo attribuere, quod ei non cõuenit, vel ab eo remouere, quod ei conuenit: vel cum D. Auguſtino: Blaſphemare eſt aliquid Deo attribuere, quod Dei non eſt, vel negare de Deo, quod Dei eſt, vel ſibi vſurpare quod Dei eſt: Quã blaſphemiã, ſeu derogationem, Io. Vigue. in ſuis inſtit. dicit fieri, vno ex quatuor modis, vel attribuendo Deo, qđ ei non cõuenit, vt cum dicitur, Deus malè, & iniuſtè facit; vel Deus alio modo facere debuiſſet, aut aliquid ſimile: Vel ſecundò negãdo quod ei conuenit, ſcilicet miſericordiam, omnipotentiam, prouidentiam, gubernationem, aut aliquid huiuſmodi, ſicut cum dicitur, Deus non curat de nobis; vel Deus non poſſet hoc facere, cum ſit aliquid de genere factibilium; nam quæ implicant contradictionem, non ſunt factibilia; & ideò cũ hoc non ſit propter defectum potẽtiæ Dei, ſed propter defectum potentiæ rei paſsiuæ, non eſt dicendum, Deus non poteſt hoc facere, ſed quod ex ſe res habet, vt fieri non poſsit. Vel tertiò attribuendo creaturæ, quod ſoli Deo conuenit, vt ſi diceretur Diabolus eſt omnipotens, aut quod fatum, aut fortuna regit omnia, &c. Vel quartò committitur hoc peccatum blaſphemiæ in Sanctos, verbo, vel facto eis iniuriam irrogando: vt

ſicut

Digitized by Google

ſicut honor, qui exhibetur imagini, exhibetur etiam imaginato, hic iniuria, quæ fit imaginibus Sanctorum, aut eorum reliquijs, irrogatur ſanctis, & dicitur blaſphemia in ſanctos: Nota tamen ſi prædictæ derogationes,& blaſphemiæ ſint per intellectum, vel affectum tantum, & conſiſtant ſolum in corde, dicuntur blaſphemiæ cordis; ſi exterius proferantur per verba, dicuntur blaſphemiæ oris; ſi per facta, vt per ſcripta, & opera, dicuntur facta blaſphema, quæ ſunt contra ſacramenta, & ſingulariter cõtra ſacramentum Euchariſtiæ, quod eſt excellentiſsimum omnium ſacramentorum.

Blaſphemiæ ſpecies, ab aliquibus duæ dicuntur: vna eſt blaſphemia, quæ dicitur hæreticalis; alia ſimplex: blaſphemia hæreticalis tunc dicitur, quando aliquis contra fidei articulos dicit, aut ſcribit aliquid, quamuis non conſentiat mente; ſimplex verò eſt, quando maledictum aliquod profertur in Deum, vel Sanctos.

Ab alijs verò diuiditur in tres ſpecies, videlicet, prima, Deo tribuere, quod ei non conuenit; ſecunda, Deo auferre, quod Deo conuenit; tertia, creaturæ tribuere, quod Dei eſt.

Quapropter regula generalis pro hac materia, erit Confeſſarijs, omnem blaſphemiam, quæ contra primum præceptum Decalogi, contra, & primum articulum fidei directè, vel indirectè profertur, eſſe, & dici blaſphemiam hæreticalem. v.g. non credo in Deum, quod dictũ, eſt contra fidem de Deo; non credo, vel nego Deum poſſe hoc, vel illud factibile facere, quod eſt contra eius potentiam, vel non credo, vel nego Chriſtum, quod eſt contra articulum fidei, ſeu Mariam Virginem Matrem eius fuiſſe Virginem, Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, &c. vel credo Beatam Mariam Virginem, aut aliquem Sanctorum creaſſe hanc, vel illam creaturam, vel etiam Diabolum, vt aliqui falſo crediderunt, ſoli Deo conuenit creatio, quoniam ſolius Dei eſt creare.

Item ſi quis diceret, Deum proditorem: Deũ partialem; Deum non curare de hominibus: Deum ne ſcire hæc terrena, & alia etiam peiora.

Alias verò blaſphemias, quæ contra ſecundum præceptum Decalogi proferuntur, non eſſe hæreticales: v.g. cum dicitur

uit Maledictus Deus, vel alia turpia contra Deum, vel Sanctos eius proferuntur: Item cum dicitur per Corpus, Sanguinem, Caput, vel per aliud membrum Dei: quia ſi quis ita inſaniret, vt hoc diceret, aut intelligeret tantum de diuinitate ſeparata ab humanitate (cũ Deus ſpiritus eſt) eſſet blaſphemia. Si verò intelligeret de Deo, vt homo eſt, puta de Christo, Deo, & homine, vt communiter ſonat; non eſſet blaſphemia, ſed ſpecies quædam iuramenti, quia poſtquam Deus factus eſt homo, & Verbum caro factum eſt, nõ eſt blaſphemia, dicere Deum habere Corpus, Sanguinem, Caput, & alia hominis membra: modo hoc non turpiter, aut obſcænè proferatur: quare iuxta mentem Nauarri cap. 12. nu. 82. & Sebaſt. Med. in ſumma peccat. Blaſphemia hæreticalis, opponitur primo præcepto Decalogi: Alia verò ſecundo: & hæreticalis iudicatur in prætorio, & officio ſanctæ Inquiſitionis, cui relinquitur punienda; de illa enim ſanctum officium debet cognoſcere; De alijs verò, alijs etiam Iudicibus relinquitur iudicandis.

Qui igitur Deum aſſerit iniuſtum, immitem, perſonarum acceptatorem, improuidum, non videntem, aut non curantem ea, quæ in mundo hoc inferiori fiunt: aut non poſſe hoc, vel illud factibile facere, cum ſit omnipotens, hic peccat mortaliter contra primum præceptum Decalogi, & cõtra primum articulum fidei: Et ideò à ſacris Theologis blaſphemus hæreticalis dicitur; hæc enim omnia ſapiunt hæreſim, licèt, qui talia profert, verè non cẽſeatur hæreticus, niſi hoc mente credat, quod protulit ore: aliud enim eſt aliquid ore tantùm proferre, aliud credere, nam hæreſis in credendo, blaſphemia in dicendo conſiſtit: Ita D. Thom. & Caiet. 22. q. 13. art. 1. & Nauarr. loco cit.

Item, qui iactat ſe poſſe hoc, vel illud contra Dei voluntatem facere, dicendo, *Al diſpetto, &c.* ſic enim dicens, potentię Dei detrahit, & eſt maxima blaſphemia, & erit hæreticus, ſi hoc mente credit poſſe adimplere, quod protulit verbis: Ita Socin. ſen. conſ. 119. lib. 4. & Imola in l. his verbis. §. 1. de hæré. inſtit.

Item, qui conuicium, aut contumelioſum aliquid, aut male-

maledictum in Deum, in Beatam Virginem, aut Sanctos eius protulerit, blaſphemus à Canoniſtis dicetur, ſicuti qui Beatæ Virgini, vel Sanctis aliquid verum, ſed tamen inhoneſtè, aut iniurioſè profert, cum magna irreuerentia, aduertens, quod dicit, vt pudenda explicans; vt multi peruerſi homines: qui quādo aduertūt huiuſmodi verba importare blaſphemiam, blaſphemare dicuntur: Sicuti etiam blaſphemant, qui Deo, vel Sanctis tribuunt aliquid, verumetiam honeſtum, ſed ſine reuerentia, vt qui corpus, ſanguinem, &c. Deo attribuunt, præter peccatū mortale, etiam blaſphemi iudicantur, quando maximè in ſenſu erroneò proferunt, intendentes Deum (vt Deus eſt) habere membra, & corpus.

Item, qui Beatiſſimæ Virgini pudicitiam tollunt, dicētes illam meretricē, vt diabolici filij, cum dicunt, *Puttana, &c.* quod eſt contra articulum fidei: tales dicuntur blaſphemi hæreticales: Ita Emericus in 3. par. direct. q. 41.

Item, qui dicit, Maledictus ſit Deus; aut talis Sāctus, blaſphemus eſt, quia ſic dicens videtur affirmare, Deū eſſe creaturam ſenſibilem, his imprecationibus ſubiectam, quod eſt falſiſsimum: Sylu. verbo blaſphemia, q. 2.

Item, ſiquis ſimpliciter malediceret creaturis, etiam irrationalibus, dicendo, Maledicta ſit terra, aer, ignis, aqua, lignum, & Diabolum, conſiderans illas tanquam Dei creaturas, peccat mortaliter, & eſt blaſphemus: ſecus autem ſi abſque vlla conſideratione maledixerit creaturas, Nauarr. can. 12. num. 86.

Item, videtur dicendum de his, qui blaſphemiam proferunt, aut hæreſim abſque animo tamen blaſphemandi, non conſiderando quid dixerint; Nauarr. cap. 12. num. 84. & Zanchinus Ariminenſis tractatu de hæret. cap. 7. nu. 9. quod tamen dictum non eſt relinquēdum inultum ſine correctione, ſaltem in foro exteriori, vt tradit Lapus, & Card. in Clement. vnica, de vſuris, ſed extraordinariè puniendum, pœna pecuniaria pijs locis eroganda, vel alia pœna leui, iuxta qualitatem perſonæ, & aſtantium numerum, atq; ſcandali inde orti, quæ omnia in coercendis delictis ſunt obſeruāda; per cap. ſicut dignum, de homic. l. aut facta, ff. de pœnis.

Item, qui ſcienter profert aliquid falſum, dicens, hoc verum eſt, ſicuti verum eſt Euangelium; vel ſicut Chriſtus natus eſt de Maria Virgine, aut aliud huiuſmodi: hoc non ſolum eſt fœdiſſimum periurium, ſed etiam blaſphemia: At ſi quod dixit eſt verum, non eſt blaſphemia, ſed maxima dignum reprehenſione: Ita Sot. de iuſtitia, & iure lib. 8. quæſt. 2. art. 3.

An verò Blaſphemia ſit ſemper pec. mor.

Reſpondetur, Quoniam blaſphemia omnis videtur opponi confeſsioni fidei, vt S. Thom. 2. 2. q. 13. art. 1. Idcirco ad mentem omnium, tunc ſemper erit mortale peccatum, quando aliqua circunſtantia non excuſabitur; ſi quis enim aliquam blaſphemiam dixit contra Deum, vel Sanctos eius, ignorãs eam eſſe blaſphemiam, veluti qui dicunt Simiam, veſpertiliones, & his ſimilia fuiſſe creata à Diabolo, non peccant mortaliter, quia fortè nunquam hanc eſſe blaſphemiam audierunt. Secundò, ſi quis inaduertenter blaſphemat, quod ſi aduerteret, nullo modo blaſphemaret; puta in primo motu, vel aliqua interiori paſſione incitatus, blaſphemiam profert, non aduertens, neque credens blaſphemare, crederem cum Nauarro talem non peccare mortaliter, vt accidit ei, qui primo motu, aut aliquo iracundiæ furore actus blaſphemat, quod nullo modo aduertit, ſed neque ira percitus potuit aduertere ad dictæ blaſphemiæ ſignificationem, ſecus eſſet ſi aduerteret, quia tunc peccaret mortaliter, vt docet S. Thom. Sylu. Roſella, Armilla, & Nauarr. cap. 12. num. 83. per textum cap. non inuenitur, 23. quæſt. & cap. Imperatores, 11. q. 3. Rurſus habetur Leuitici cap. 24. qui blaſphemauerit nomen Domini morte moriatur; ex quo elicitur hoc argumentum, ſi pœna mortis nõ imponitur, niſi pro pecc. mortali, ergo ſequitur blaſphemiam eſſe peccatum mortale: Ita S. Tho. 2. 2. quæſt. 13. art. 2. Et eſt peccatum grauius excuſatione; nam excuſatio peccati eſt circunſtantia quædam aggrauans omne peccatum, etiam ipſam blaſphemiam, ex qua excuſatione

ne tanquã ex ignorantia ſui ipſius infinita ferè oriuntur mala; ideò non excuſantur ij à peccato, qui ex cauſa iniuſta ludi, vel alterius operis illiciti blaſphemant: Nam quotieſcunque quis iratus ex cauſa iniuſta ludi, vel etiam ex cauſa iuſta, ſeruum corrigens blaſphemat, aduertẽs ad verborum ſignificationẽ, peccat mortaliter; quod ex multis locis Doctorum colligitur, & præſertim ex illo pſalmi 4. Iraſcimini, & nolite peccare: & ex illo Apoſtoli, Nolite locum dare iræ, ad Rom. 12. vbi non dicit nolite iraſci, ſed dicit nolite dare locum iræ, quia aliquando poteſt quis iuſtè iraſci, vitia corrigendo.

Neque excuſatur omnis, qui ex ebrietate blaſphema t: nam ſi prima vice neſciens vini potentiam, quia nunquam fuit ebrius, vel quia in vino aliquid fuit impoſitũ, quo hauſto ebrius factus eſt, tunc blaſphemans, non peccat mortaliter, quia ipſe non fuit in culpa; ſecus autem eſſet, ſi eſſet ſolitus inebriari, & aduertit ſe tali vino, vel quocunque alio inebriari, & bibens inebriatur, & blaſphemat, tunc peccaret mortaliter, quia ſciens, & aduertens inebriatus eſt: tex. c. inebriauerunt, 15. q. 1. Ratio eſt, quia priuat ſeipſum vſu rationis, quo homo operatur, ſecundum virtutem, & quia exponit ſe periculo peccandi, bibens vinum. Eſt igitur blaſphemia peccatum mortale grauius homicidio; Nam ſi Blaſphemia, & Homicidium comparentur, ſecundum obiecta, contra quæ peccatur, patet clarè blaſphemiam, quæ eſt peccatum in Deum, eſſe grauius homicidio, quod eſt peccatum in hominem: Si verò comparentur, ſecundum effectum nocendi, homicidium erit grauius blaſphemia; plus enim homicidium nocet homini, quàm blaſphemia Deo: quia tamen in grauitate culpæ, magis attenditur intentio volũtatis peruerſæ, quàm effectus operis, propterea cum blaſphemus intendat inferre nocumentum honori, & excellentiæ bonitatis Dei, ſimpliciter loquendo, grauius peccat, quàm homicida. Sed tamen cum homicidium inter peccata commiſſa in proximum, teneat principatum, ideò Homicida voluntarius eſt morte plectendus, vt omnia iura clamant, quia occidendo hominem, priuat occiſum vita, quod eſt maius

bonum, inter temporalia, & corporalia bona, priuat parentes filio, vxorē marito, filios patre, amicos amico, & Rempublicam membro.

An verò peccatum blaſphemiæ ſit remiſſibile: Dicendum eſt, veram eſſe Chriſti ſententiam, quæ Matth. cap. 12. legitur, vbi dixit Chriſtus; Ideò dico vobis, omne peccatum, & blaſphemia remittitur hominibus: ſpiritus autem blaſphemiæ non remittitur, neque in hoc ſeculo, neque in futuro: vbi vltra varias Sanctorum interpretationes, & præſertim Chryſoſtomi, Auguſtini, Gregorij, &c. intelligi debet de illo, qui cum animo perſeuerandi in blaſphemijs, ex hac vita diſcedit; de tali enim poteſt dici, hoc eſſe illi irremiſſibile peccatum, quia habet intentionem perſeuerandi in peccato, & cum illa ex hac vita impœnitens recedit. De alijs autem, etiam innumeris peccatis, ſi ex toto corde conuertatur ad Dominum, & per ſacramentum pœnitentiæ petierit veniam, intelliguntur verba Chriſti, omne peccatum, & blaſphemia remittitur: Dicere autem peccatum blaſphemiæ, eſſe irremiſſibile per pœnitentiam, eſt hæreſis confutata à Paulo Griſaldo verbo Blaſphemia, num. 2. Dicit enim Chryſoſtomus, ſi publicanus es, poteris cum Mattheo fieri euangeliſta: ſi blaſphemus, poteris fieri apoſtolus cum Paulo: ſi latro es, poteris fieri Paradiſi colonus: ſi magus, poteris cum Magis Deum adorare, nec eſt vlla macula, quæ pœnitentiæ lauacro non deleatur; Nullus igitur deſperet, niſi ille, qui fuerit magis malus, quā Deus bonus; nā Diaboli tantū, & Angelorum eius, ſalus, & correctio eſt deſperanda, ait Aug. Quando autem Chriſtus dicit de ſpiritu blaſphemiæ, non loquitur de deſperatione, aut de obſtinatione tantum, ſed de impugnatione veritatis agnitæ; Videmus enim Phariſæos, habuiſſe ſpiritum blaſphemiæ, quoniam veritatem, quam ex diuinis Chriſti operibus cognoſcebant, impugnantes dicebant: In Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia, Matth. 12. Quocirca blaſphemiæ ſpiritus, eſt negare Chriſtum eſſe Deum: vel eius miracula Spiritus ſancti virtute facta, Diabolo tribuere; hoc enim Domino impingebant Phariſæi dicentes, In Beelzebub, &c. quod mentientes dicebant contra veritarita-

ritatem agnitam, & propriam conſcientiam, cognoſcentes ex verbis, & operibus, diuina prouidentia à Chriſto factis, eum eſſe Deum, & Meſſiam. Ergo quiſquis dixerit, Chriſtum habere Dæmonium, eiusq; negauerit diuinitatem, & opera illius poteſtate diuina, facta tribuerit Diabolo, ſpiritũ blaſphemiæ habet; neq; enim habere nõ poteſt, cum cognitam, & perſpectã veritatem, obſtinata quadam malitia, illam oppugnare contendit: Audi D. Hieronymum hunc locum interpretantem: Qui verbum Chriſti dixerit contra filium hominis, ſcandalizatus carne mea inquit, & me hominem tantum arbitratus, quod filius ſim fabri, & fratres habeam Iacobum, & Ioannem, & homo vorator, & vini potator ſim, talis opinio, atq; blaſphemia, quanquam culpa non careat, erroris tamen habet veniam propter corporis vilitatem: Qui verò manifeſtè intelligens opera Dei, cum de veritate negare non poſſit, eadem ſtimulatus inuidia calumniatur, & Chriſti verba, & opera Spiritus ſancti, dicit eſſe Dæmonis, iſti non dimittetur neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro: Hunc ſequuntur Chryſoſtomus, Euthimius, & Theophilactus, qui hunc Euangelij locum ſic interpretantur: licet Auguſtinus eum intelligat de finali impœnitentia.

De Homicidio quid ſit.

Homicidium eſt corporis humani, & animati peremptio: cap. homicidium de pœnit. diſt. 1. vel Homicidium (ſic colligi poteſt ex toto titulo de homicidio) ſimpliciter eſt, quando quis quocunq; modo voluntariè proximum interficit: vt ex Clem. 1. de homicid. Homicidium voluntarium eſt, quod dolo, malo animo occidendi committitur: cap. ſicut dignum de homicidio: & ex hoc homicidio contrahitur irregularitas, modo animum ipſum ſequatur actus occiſionis.

Homicidiũ voluntarium, eſt quadruplex: Primum, quod nullatenus eſt peccatum, neq; vllam pęnitus irregularitatem inducit, vt eſt illud, quod eſt commiſſum à furioſo, vel infante, vel alio, qui aliter mortem vitare non poſſet: iuxtà Clem.

1. de

1. de homicidio, in ſui tantum defenſionem inculpata.

Secundum eſt, quod etiam non eſt peccatum, ſed inducit irregularitatem, vt eſt illud, quod Iudex iuſtè iudicãdo committit, vel proximum iuſtè defendendo, vel miles iuſtè bellando: 51. diſt. c. 1. c. ſententiam ne Clerici, vel Monaci.

Tertium eſt, quod eſt peccatum, & inducit irregularitatem, ſed committitur ſine voluntate directa occidendi, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, vel alias illicitè, de quo loquitur finis. c. 7. ſeſſ. 14. Concil. Trid.

Quartum eſt, quod eſt peccatum, & fit per inſidias voluntate directa occidendi; de quo loquitur principium præfati. 7. cap.

Primum non indiget pœnitentia, nec diſpenſatione; quia neq; eſt peccatum, neq; inducit irregularitatem.

Secundum non indiget pœnitentia, ſed diſpenſatione, quia licet non ſit peccatum, inducit tamen irregularitatem, quæ facilè diſpenſatur.

Tertium indiget pœnitentia, & diſpenſatione, ſuper quo difficilius diſpenſatur, quàm in ſecundo: ſed finis præfati canonis, permittit diſpenſationem, quia non eſt irregularitas, quæ deſcendat ex homicidio voluntario indiſpenſabili, vt inquit Nauar. de homicidio lib. 5. conſ. 8.

Quartum eſt peccatum, & inducit irregularitatem, ſupra qua ſolus Papa diſpenſare poterit, quod procedit etiam ſi ſit omninò occultum, vt patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 6. & ſeſſ. 14. c. 7. de reform. Quamuis non de facili Papa diſpenſat, ſuper hanc irregularitatem; tamen diſpenſare poteſt ſi vellet, cum irregularitas, & eius pœna ſit de iure poſitiuo, & canonico.

Species homicidij.

Plures ſunt ſpecies homicidij: nam aliud eſt corporale, aliud ſpirituale: ſpirituale eſt, à quo quis ſpiritualiter occiditur, quod fit quinq; modis: odiendo, detrahendo, maleconſulẽdo, nocẽdo, victũ ſubtrahẽdo. De primo habetur Io. in Canon. Qui odit fratrem ſuũ, homicida eſt; de alijs habes de pœnit. diſt. 1. cap. homicidiorum,

rum, & cap. omnis iniquitas: c. noli putare: c. homicidium.

De quinto habes 86. diſt. c. paſce: & quodlibet iſtorum eſt peccatum mortale, quia contra charitatem proximi.

Corporale verò eſt, quando homo occiditur corporaliter, quod duobus modis committitur: facto; vel lingua; lingua tribus modis; diſt. 50. c. ſi quis viduam; facto, quattuor modis, iuſtitia, neceſſitate, caſu, & voluntate: in c. cum homo: 23. q. 5.

An ſit grauiſſimum peccatum?

QVàm ſit graue peccatum homicidij, ex ſacris litteris, ex Concilijs, & ex ipſius pœnis facillimè cognoſcitur: nam Geneſ. cap. 9. Homicidij vltor eſt Deus, Gen. 4. & Ezech. 22. habetur, homicidium fuiſſe cauſam excidij Iudæorum, & de hoc peccato, multa Concilia, multa dixerunt, & demum Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. Præterea grauitas eius, ex hoc colligitur, quod non tantum homicidæ irregulares ſunt, ſed etiam conſulentes, mandantes, auxiliantes, ratum habentes, & etiam homines iuſtè, ac meritoriè occidentes, vt ſunt Iudices, & alij: Quocirca dicemus, homicidium voluntarium, eſſe peccatum mortale, iuxta mentem omnium Catholicorum: & contrarium affirmare, eſſet hæreſis manifeſta: quam confutat Paulus Griſaldus, verbo Homicidium: immo ſecundum S. Thomam 2. 2. q. 100. ar 6. eſt tam graue peccatum, vt inter peccata in proximum, & in pęnis, tenet ſecundũ locum, vel etiam primum.

De pœnitentia huius agitur in can. 14. pœnitentiali, & cap. miror, 50. diſt. vbi habes, quod homicida voluntarius deponitur ſine ſpe reſtitutionis, & pœniteat ſeptem annis, & de pœnit. matricidæ, fratricidæ, vxoricidæ, & aliorum, de quo etiam quo ad grauitatem canon. pœnit. 17. & textum cap. latorem, 33. q. 2. cap. admonere, cap. quicunque habes multa.

Homicida tantum baptizatus, alium hominem occidendo, incurrit irregularitatem: quia homicidium factum ante baptiſmum, non facit hominem irregularem, vt ex c. ſi quis vi-

viduam: cum gloſ. 50.diſt. & ita docet Nauar. c.27.nu.219.

Item ſi pater filium, maritus vxorem, frater fratrem; & quicunq; alius alium occiderit, fit irregularis, eſt communis opinio. Immo etiam ſi Papa fortè proprijs manibus aliquem occideret, propter ſcandalum, vt aliqui dicunt. Diximus voluntariè, quia illi, qui ſuæ non ſunt domini voluntatis, vt infans, furioſus, dæmoniacus, & ſimiles nõ comprehenduntur: Diximus, quocunq; modo, vt enſe, gladio, lancea, ſaxo, veneno, ligno, veneficijs, aliouè inſtrumento, & modo mortem proximi cauſante, ſiue ſit publicè, ſiue occultiſſimè, etiam fit irregularis, eſt communis opinio; & Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. licet aliqui dicant contrarium: Diximus proximum, ſiue ſit ipſemet homicida, qui ſe occidat; mutilet, aut notabiliter deformet, fit irregularis, Sotus de iuſtitia, & iure lib. 5. q. 1. ar. 5.

Item etiam ſi occidat excommunicatum, quia quamuis ſit priuatus communione, ſacramentis, & orationibus publicis, ac ſepultura eccleſiaſtica, eſt tamen proximus; niſi pro zelo ſanctæ fidei, ac pro ſancta Eccleſia occidiſſet; quia tunc, & ſi excuſetur à peccato homicidij, non tamen ab irregularitate: ita Sotus vbi ſupra.

Item quamuis occidat iudæum, paganum, eſt nihilominus irregularis, quamuis zelo fidei in bello tales occiderit, non peccabit mortaliter, extat textus in c. clericum d.50. ſicuti etiam ſi occideret bannitum, vel diffidatum, eſſet irregularis, quamuis non peccaret mortaliter, ſi hoc permiſſu legis fecerit: Sotus, & alij.

Diximus interfecit, quia debet mors in effectu ſequi: nam ſi mors non ſequitur, etſi percuſſerit aliquem, palo, pugno, enſe, lapide, non lætaliter, nec cum animo inferẽdi mortem; ſi mors non inde ſequatur, non erit irregularis, ſicuti non erit, qui aliquem ad triremes perpetuo relegauerit, quæ relegatio mors ciuilis appellatur.

Item ſi quis animo, & voluntate occidendi aliquem vulnerauerit, ita quod per eum non ſteterit quin mors ſequeretur; & tamen non eſt mortuus, quamuis in hac quæſtione variæ ſint opiniones Doctorum: Verior tamen eſt, quod nõ fiat irre-

Et irregularis, quia mors non eſt ſequuta: S. Tho. 2. 2. q. 64. ar. 8. ad 2. Nauarr. c. 27. nu. 223. Ratio eſt, quia in iure nouo, dictæ Clem. tantum habetur, qui occidit, aut mutilat.

Si maritus deprehẽſam in adulterio vxorem occidat, peccat mortaliter, & eſt irregularis: eſt communis Theologorum ſententia, & Canoniſtarum, quam refert Sotus lib. 5. de iuſt. & iure, q. 1. ar. 3. Ratio eſt primò, quia text. in cap. interfectores. 33. q. 2. Tales vocat homicidas: ſecundò quia quamuis interficiens clericum cum vxore, matre, vel filia concumbentem, non incurrat excommunicationem, vt eſt textus expreſſus, in cap. 3. verſ. Nec ille, de ſent. excom. peccat tamen mortaliter, & fit irregularis ſecundum omnes, ſicuti etiam pater, qui occidit filiam adulterantem: cap. veniens de ſponſ. ſicuti etiam, qui frater fratrem, vel pater filium; vel filius patrem bannitum occiderit, licet impunè ſecundum leges à Principe ſancitas occidat aliquando, puta eum bannitus eſt latro, aſſaſſinus, & Reipub. pernicioſus: At verò cũ propter inimicitias, vt ſolet aliquãdo, & ille nulli ſit moleſtus; tunc eſſet filius, vel pater inhumanus, & brutis ferocior, & in vtroq; ſtatu, & caſu, eſſet irregularis; & peccat mortaliter. Sicuti peccaret mortaliter, & eſſet irregularis ille, qui alterius domum ingreſſus eſt adulterandi, vel fornicandi cauſa, & maritum adulter, ſe defendendo, occidit, eſt irregularis, & pec. mort. Sylu. verbo homicidium, 3. q. 4. Sanctus Thom. 2. 2. q. 64. art. 8. Nauar. cap. 27. num. 238. quia dabat operam rei illicitæ, & non effugit pœnam iuris; & licèt aliqui dixerint non incurrere, tutior tamen eſt, quia Curia Romana iudicauit talẽ egere diſpenſatione, & tutius, & ſecurius eſt illam impetrare.

Qui tamen percutit corpus mortuum, vel membrum abſciſſum, non ponitur pœna homicidij, nec irregularitatis, ſed tantum de iniuria mortuo illata: argumento ducto ex l. ſi quis ſepulchrum, cap. de ſepulc. viol.

Sicuti non fit irregularis, nec homicidij reus, qui ex deliberata voluntate occidendi aliquem, etiam ſi ex cauſa cum telo armatus inſidias alteri intenderit, ſi nec occiderit, nec membrum amputauerit: gloſ. ſing. communiter recepta in

cap. ſi aliquis, de homicid. text. opt. in l. cogitationis pœnam, ff. de pœn. & Sylu. in verbo homic. 3. q. 1.

Irregularis tamen eſſet, qui membrum abſcinderet ſibi, vel alteri: vbi eſt notandũ, aliud eſſe membrum abſcindere, aliud debilitare; nam abſcindere eſt totaliter membrũ truncare, debilitare verò non eſt trũcare, ſed adhuc reſtat aliqualis vſus eius: vnde quamuis ſint paria quo ad irregularitatem membrum abſcindere, & interficere: Clem. 1. de homic. non tamen ſunt paria abſcindere, & debilitare, niſi membrum ex toto debilitaretur, & operationi inutile penitus redderetur, quod procederet, ſi mẽbrum debilitatum eſſet, de principalibus, & de his, quæ redderent hominem deturpatum, & inutilem ad diuina officia exercẽda, quia tunc eſſet irregularis, licet verè non ſit mutilatus: Sylu. in verbo homic. 3. q. 3.

Notandũ præterea, illam partem hominis dici mẽbrum, quæ officium per ſe diſtinctum habet, vt manus, pes, auris, naſus, oculus, &c. arg. tex. in cap. ſingula, diſt. 89. quare digitus non eſt membrum, ſed pars membri, iuxta Bart. communiter receptum in l. 2. ff. de publ. iud. & Panorm. in cap. cum illorum, de ſent. excom. contra Caiet. & Sotum: & propterea truncatio digiti non inducit irregularitatem, niſi ſit pollex, vel index, quia horum vſus in miniſtrãdo eſt neceſſarius: Sylu. qui ſupra, q. 3. v. 4.

Nota etiam, irregularitatem nunquã contrahi per actum mentalem: cap. fin. 15. q. 1. cap. ſicut ſentina, 32. q. 2. cap. cogitationis, de pœn. diſt. 1. Lex enim opus conſiderat, non autem voluntatem: cap. ſi quis non iratus. Hinc etiam excommunicatione non afficitur, qui deliberatam volũtatem habuerit, omniq; conatu agere curauerit id, cuius cauſa, excommunicatio eſt indicta: gloſ. cõmunis recepta in cap. in audientia, de ſent. excom.

Nota item, homicidium ex conſilio, per quod inducitur irregularitas, non intelligi de reſponſione ſuæ opinionis in generali. Hinc enim Doctor, qui docet, vel reſpondet in genere, qualiter homicidæ, vel fures ſint puniendi, ex hoc irregularitatem non incurrit, ſi ob hanc reſponſionem homicida morti addictus fuerit, quod ſecus eſſet, ſi id in ſpecie docuiſ-

ĉuiſſet, & ratio eſt, quia multa licent in genere, quæ non licent in ſpecie; ſed debet intelligi de conſilio ad hortationis, vel approbationis, quod tale homicidium fieri debeat, & ſine illius conſilio tale homicidium non eſſet committendum: Ita Panorm. in cap. ad audientiam, de homic. & hoc procedit non ſolum, quando homicidium eſt directè de morte alicuius, ſed etiam quando conſulitur cauſa propinqua ad mortem, ideſt aliquid, ex quo ſequitur mors, ſecus autem ſi cauſa non eſſet propinqua, ſeu ordinata ad homicidium committendum, ſed eſſet remota, Sylu. in verbo homicidio, 1. quæſt. 8. ver. 1.

Nota etiam, clericum homicidam priuſquam condemnetur, licitè poſſe retinere beneficium, etiam fructus percipere ſine peccato, vt docet Innoc. in cap. cum noſtris, de conceſſ. præben. item Ioan. Andreas in cap. quamquam, de elect. libro 6. probatur in cap. clericis, ne cler. vel mon. & in cap. ex ſororis, de exceſſ. prælat. vbi habetur homicidium, & irregularitatem nō priuare homicidam ſuo beneficio ipſo iure, ſed neceſſario requiri ſententiam Iudicis.

Habens animum occidendi aliquem, & propter impotentiam non occidens, apud Deum erit reus homicidij: q. 23. cap. fin. ſed non fit irregularis: vnde ſi clericus interfuit bello, vel ſumpſit arma, vt occidat, & per eum non ſtat, quominus occidat, non propterea efficitur irregularis, & poteſt admitti ad Clerum: Ita notat Arch. 15. q. 1. cap. vlt. & 17. q. 1. c. qui bona.

Item, ſi quis volens hominē occidere, inueniat eum mortuum, & illi amputet caput, non eſt irregularis: Ita docet Archid. in d. cap. fin. 15. & ratio eſt, quia non eſt homicidium, quia non eſt corporis humani, & animati peremptio.

Qui propria auctoritate interficit hominem ſceleratum, homicida eſt, & irregularis: Sotus de iuſtitia, & iure lib. 5. quæſt. 1. art. 3.

Qui Iudex præcipit, aliquem iuſtè interfici, nō peccat, ſed eſt irregularis: Irregularitas enim contrahitur ſine culpa, & ex merito, 30. diſt. cap. primo; ſed vt occiſio ſit iuſta, tria requiruntur: Primò, iuſtus ordo, iuſta cauſa, iuſtus animus:

Digitized by Google

ita docet Aſtenſis in quinto præcepto, & ſi aliquod prædictorum deſit, occiſio erit iniuſta: Deeſt iuſta cauſa, cum aliquis ſine merito occiditur, deeſt iuſtus ordo, cum occidens non eſt legis miniſter: & idem ſi eſt, ſed occidit iuris ordine non ſeruato: ideſt non dùm prolata ſententia, quamuis ſciat eum à Iudice debere occidi. cap. cum miniſter: 23. q. 1. Deeſt iuſtus animus, cum Iudex occidit, libidine, lucri, vel vindictæ, & non amore iuſtitiæ.

Qui Iudex homines traderet in carcerem ità arctum, & aſperum, vt viuere non poſſent, vltra ſex, vel octo dies, homicida eſſet, & irregularis, quia pœna hæc eſt magis afflictiua, quàm ſi homines in patibulo ponerentur, Sylu. in verbo homic. 3. q. 7. verſ. 12. quod eſt contra prẹlatos, nàm vt docet Panorm. in cap. quia de iudic. ſi duritia carnis, & ciborum tenuitate ſit vita attenuanda, non tamen taliter vt vita ſuſtentari non poſſit: & propterea ex hoc non euitaretur irregularitas, ſi clericus conijceretur in carcerem ità durum, vt intra paucos dies moreretur. Sic Sylu. in ver. degradatio. q. 4. & text. in cap. nouimus, de verborum ſignif. ver. ſuſtentandus, ergo non conſumendus.

Qui Iudex, ſeu Officialis ſuſpendit homines, qui non reuelant delinquentes in crimine læſæ maieſtatis: quia ideò non reuelant, quia non poſſunt probare, homicida eſt, & irregularis, & reſtitutioni obnoxius; item dicẽdum de eo, qui ſine indicijs ponit aliquem ad torturam; & ex confeſſione ſua, illum ſuſpendit: quia homicida, & irregularis eſt; Sylu. Reſtitutio. 3. q. 2.

Clericus in ſacris conſtitutus, quacunq; ſit dignitate inſignitus, peccat mortaliter: & eſt irregularis, ſi aliquem quantumuis criminoſum morti addicit, vel mutilat: ita gloſ. in cap. aliquantos, diſt. 51. cap. ſententiam, ne cleric. vel Monac. cap. neminem, cap. Epiſcopum, diſt. 45. Et hoc ob decentiam, & munditiam, quæ non ſolum in Sacerdotibus debet eſſe, ſed etiam in vaſis ſacris. Quare, qui ſacris initiantur, ſicuti votum emittunt, ne ſe ſemine polluant, ità lege prohibentur, ne ſanguine contaminentur.

Clericus, qui ſolum ſcriberet, aut dictaret ſententiam ſangui-

guinis eſſet irregularis, & pręſertim ſi conſiſteret in morte, mutilatione, vel qui daret conſilium, vt ſupra; immo, & omnes miniſtri iuſtitiæ, vt Promotor, Fiſcalis, Iudex, Notarius, Accuſator, & eius Aduocatus, & Teſtes, oſtendentes reum vt caperetur; aut qui Curiæ tradiderunt, omnes ſunt irregulares, ſecuta morte, vel mutilatione. Nauar. cap. 27. nu. 117. Item accelerantes mortem, v.g qui dicunt condemnato, vt collum extendat: aut manum ligno apponat, vel ſcalam aſcendat: Item accuentes ferrum, &c. hi omnes ſunt irregulares; Sotus lib. 5. q. 1. ar. 9. & Sylu. verbo homicidium. 3. q. 2.

Clericus, qui intereſt, & quilibet alius, qui præſens eſt ſententiæ, authoritatem pręſtando, & auxilium, ſunt irregulares, qui verò ex ſola libidine interſunt non ſunt irregulares, ſed peccant: Qui verò præſens eſſet ad commitandum morte plectendum, ne in deſperationē veniat, benefaceret. Abbas in cap. ſententiam.

Cum igitur Clericis non liceat, quamuis habeant temporalem iuriſdictionem, aliquem morti adiudicare: Prælatus tamen, ſeu Iudex Eccleſiaſticus, habens talem iuriſdictionem, ad euitandum peccatum, & irregularitatem, debet Iudicem ſecularem conſtituere, qui audiat cauſas ſanguinis; & illi mandare, vt fiat iuſtitia: etiam in ſpeciali ſuper aliquo maleficio, ſeu homicidio: & talis Prælatus interrogatus quid agendum, reſpondeat vt conſulantur periti: cap. Epiſcopus: ne cle. vel mon. lib. 6.

Præterea homicida apud Deum, is non ſolum habetur, qui manu hominem occidit, ſed etiam, qui alium incitat ad certum homicidium: per cap. ſicut: §. Qui verò: & ibi Abbas nu. 5. de homicidio: Item, qui committatur homicidam cum animo occidendi, licet manum non apponat, ſi mors eſt ſecuta; & peccat mortaliter, & eſt homicida, atque irregularis: Si verò mors non eſt ſecuta, peccauit tantum mortaliter: Abb. cap. ſicut dignum: Sunt etiam irregulares, & homicidæ, illi omnes, qui aliquem conſulto aggrediuntur, etiam ſi is ex vnico tantum vulnere moriatur: Bartol. in l. ſi in rixa, colum. 1. ff. de ſicar. & eſt communis

opi-

opinio: At verò quando in rixa quidam ſubito, & nullo præmiſſo conſilio inter plures exorta, pluribus vulneribus afficitur, quorum tamen vnum tantum eſt læthale: ſi conſtaret quis fuerit huiuſmodi vulneris illator: ille vnus tenetur de homicidio: cęteri verò de percuſſione: vt habetur text. celebris in l. item Mela. §. ſed ſi plures: ff. ad leg. Aquil. & eſt communis opin. Vnde vnus erit irregularis, & cæteri immunes: ſed quando neſcitur, cuius ictu ille mortuus ſit, nec quis illud vulnus læthale intulerit, omnes erunt homicidæ, & irregulares, cap. ſignificaſti de homic. ſecundo.

Si verò quis ab vno fuerit lætali percuſſus vulnere, & ab alio fuit exanimatus, tenetur primus, ſi certum eſt primum vulnus fuiſſe lætale, & ex eo percuſſum moriturum, quamuis ab alio fuerit extinctus: per l. ita vulneratus. ff. ad l. Aquil. ſi verò dubium eſt, primum vulnus fuiſſe lætale, & incertum eſt, an de illo vulnere eſſet moriturus quamuis apparet mortiferum: tunc primus tenetur de vulnerato, ſecundus de occiſo text. in d. l. Mela. §. Celſus: ſed quo ad irregularitatem, etiam primus erit irregularis, in iſto ſecundo caſu, quod ſecus eſſet, ſi certo conſtat primum vulnus non fuiſſe lætale: Homicida etiam erit cenſendus is, qui non percuſſit lætaliter, ſed habuit animum occidendi, & ab alijs eſt occiſus, Sylu. in verbo homic. 1. nu. 3.

Clericus, qui percuſſit aſportantem res Eccleſiæ, non lætaliter, ſed tamen ex illa clerici percuſſione, fur non potuit aufugere, & à parochianis occiſus eſt; tenetur de homicidio: ita Doct. communiter tenent in cap. ſignificaſti de homic. Quod verum eſt, ſi debuit præuidere illum eſſe occidendum ab alijs, & non præuidit, vt quia illum à fuga impediuit: alias non: Sylu. in verbo homicidium 3. q. 7. & ratio eſt, quia dedit occaſionem propinquam, & ordinatam ad illud homicidium.

Qui clamat latrones, latrones, *à i ladri*, ſeu aliquid aget, ob quod potuit intelligere, inde ſecuturum homicidium; ſi ſequatur effectus, irregularis efficitur, niſi fecerit propter periculum propriæ perſonæ; Sylu. vt ſupra.

Qui aliquem percuſſit vulnere non lætali, ex quo poſtea mori-

Digitized by Google

moritur, vel ex imperitia medici, vel ex malo corporis regimine, irregularis efficitur: ratio eſt, quia niſi illatum fuiſſet vulnus, non fuiſſet mortuus: tex. in ſpecie ſingularis in cap. tua nos de homic. ſecus autem ſi modico vulnere, vulnerauerit, & modico medicamento poſſet ſanus euadere: & tamen in vulnere appoſitum fuit venenum, ex quo mortuus eſt, non eſſet irregularis; quia non ex vulnere, ſed veneno eſt mortuus: Couar. Quapropter illum eſſe homicidam cenſemus, atq; irregularem ſine ſpe diſpenſationis, qui propriè non occidit, ſed venenum, quod nouit eſſe mortiferum propinat, vnde mors ſequitur, ità habetur ex concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 7. de reform. & Nauarr. cap. 27. nu. 240.

Qui legis permiſſu, iuſtitiæq; zelo occidit bannitum, ſeu diffidatum, ideſt illum, qui per leges impunè poteſt occidi: quamuis non peccet mortaliter, fit tamen irregularis: Sylu. homicid. 1. q. 3. & text. in cap. cum homo, 23. q. 5.

Qui in alterius domũ intrat, vt adulterium cõmittat, & ſe defendendo maritum adulteræ occidit, iuxta mentem Caiet. Sylueſtri, & Nauarri cap. 27. nu. 238. erit irregularis; & à Pio Quinto declaratum eſſe affirmant: quia dabat operam rei illicitæ: vnde ſi in tali caſu non effugit pœnas iuris, non video quomodo effugere poſſit irregularitatem, quæ eſt pœna iuris.

Alij tamen dixerunt probabilius eſſe contrarium: ſi moderamen inculpatæ tutelæ ſe defendendo ſeruauit: Ita Sotus de iuſt. & iure lib. 5. q. 1. art. 9. Ratio eſt, quia quamuis adulterium fuerit voluntarium, homicidium tamen non fuit voluntarium, ſed coactum: Ita Victoria, & Canus in prima 2. q. 73. art. 8.

Sed quia in Curia Romana reſponſum fuit, ſaltem egere diſpenſatione, tutius erit illam impetrare.

Quare datur regula generalis: Quotieſcunq; aliquis, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, inuaſorem occiderit, vel mutilauerit, ſi aliter ex inuaſoris manibus effugere non poterit, non incurrit irregularitatem; Quam regulã ſic declarare oportet; & primò, Moderamen inculpatæ tutelæ illud dicitur, quod nullum aliud inferat nocumentum inuaſori,

ſori, præter id, quod neceſſarium eſt ad ſe, cum debito hono re, ex eius manibus eximendum. Secundò, opus eſt, vt defenſio ſequatur periculum, non autem, vt prius occidat, aut mutilet, quam ſit in euidenti vitæ periculo conſtitutus, per actus, & vim aduerſarij inuaſoris: alioqui ſola ſuſpicio, vel metus, etiam cadens in virum conſtantem non ſufficit, vt liceat illum occidere; quia tunc non eſſet ſe defendere, ſed offendere, vt eſt caſus in cap. ſuſcepimus, de homic. Tertiò, ſi aliter fugere non potuit vim inuaſoris; nam ſi fugere potuit, erit irregularis, occidendo, vel mutilando. Eſt communis opin. niſi quando hæc fuga fugienti eſſet periculoſa, quando, ſcilicet timeret inuaſorem illum eſſe inſecuturum; quia tunc occidendo, non fieret irregularis: Sylu. homic. 1. q. 9. & homic. 3. q. 4. & communis per Couar. & S. Anton. 3. par. tit. 28. cap. 2.

Quod ſi effugere potuiſſet, ſed cum magno dedecore, qa erat vir nobilis, & illuſtris, cui ignominioſum eſt terga vertere inimico, non tenetur fugere, ſed poterit aggreſſorem occidere, ſed ſi erat ſacerdos, vel religioſus, ſeculari habitu indutus; cui maxima irrogaretur infamia, & maluit occidere, quam fugere, talis eſſet irregularis, eſt communis ferè opinio, horum enim honor, non in armis, ſed in patientia conſiſtit.

Vbi notandum moderamen hoc, in tribus præcipuè conſiſtere; videlicet, in factorum qualitate, in temporis congruitate, in neceſſitatis euitabilitate, vt gloſ. prima in cap. vnde vi.

Primò igitur debet eſſe in factorum qualitate paritas, vt videlicet æqua lance, æquo modo, & congruenti ictu reſiſtatur; vnde offenſus ſine armis non debet cum armis offendere, niſi aliud ſuadeat viriū inæqualitas, vnde ſi pugnus vnius plus poteſt, quam enſis alterius, licitum erit enſe percutere inuaſorem, quia defectum virium poteſt ſupplere auxilio armorum; præſumitur enim iuuenis potentior ſene: & ſanus potentior infirmo.

Secundò, moderamen conſiſtit in temporis congruitate: nam ſtatim flagrante adhuc maleficio, debet violentiæ inuaſor

ſet repelli, & hoc eſt verum de violentia illata perſonæ, in qua videtur fieri ad defenſam, ne iterato percutiatur, ſi fiat incontinenti, l. ſi ex plagis, §. tabernarius, ff. ad leg. Aqu. & cap. olim, de reſt. ſpol. Si autem fiat rixa ſeparata, & non incontinenti videtur fieri ad vindictam, quod non licet, gloſ. in cap. ſignificaſti, in verbo repellere, de homicid. Si tamen percuſſus inſequatur percuſſorem fugientem, & eum percutiat mitius punitur, tanquam culpabilis, non tanquam doloſus; difficillimum eſt enim iuſtum temperare dolorem, l. ſi adulterium, ff. ſi Imperator, de adult.

Tertiò, moderamen conſiſtit circa neceſſitatis euitabilitatem; nam moderatè, & ad defenſam dicitur fieri, quod ex neceſſitate fit, l. ſcientiam, §. qui cum aliter, ff. ad leg. Aquil. Nec curamus æqualitatem, vbi non poſſumus euitare neceſſitatem: nam neceſſitas facit delictum probabile, & excuſabile, quod aliter non eſſet.

Præterea cum non debeam expectare me percuti, cum nullo remedio tollatur illa percuſſio: An debeam expectare aliquem actum fieri ab inuaſore, Gol. in l. 1. c. vnde vi, dicit, quod ſic, vt armis inſultari, clamore, Minis terreri, & minæ ſunt ſufficiẽtes, quando homo ille conſueuiſſet exequi facto, alias non: nam verbis contra verba eſt reſiſtendum, non ad manus, & arma veniendum, vt Baldus dicit; ſed Speculator dicit hoc falli, quando inſultans expectare ſocios, quibus non poſſem reſiſtere, quia tunc licet præuenire, & ante tempus occurrere: Hinc neceſſitas magna excludit delictum, cap. ſi quis propter, de furt. Sic non peccat Monachus, qui tempore maximæ neceſſitatis facit eleæmoſynam de bonis Monaſterij, vt not. 12. q. 2. cap. non dicatis: ſic qui vrgente neceſſitate violat ieiuniũ, aut Quadrageſimam excuſatur in totum, cap. 2. de obſeru. ieiun. Sic propter neceſſitatem licitum eſt ſumere cibum à Iudæis, & infidelibus, gloſ. pen. in cap. quam ſit, de Iudæis. Sic propter neceſſitatem poteſt quis abſolui ab excommunicatione, à qua regulariter nullus abſoluit, niſi Papa, 17. q. 4. cap. ſi quis ſuadente, de conſecr. diſt. 4. cap. ſacerdotem, cap. paſtoralis, §. 1, de off. ord. Et idem in confeſſio-

ne non ſacramentali, nam propter inſtantem neceſſitatem poteſt quis audiri à laico, & habetur talis propter contritionem pro abſoluto à Deo, ſed non à laico abſolui, quia non habet clauium poteſtatem, & de pœnit. & remiſ. cap. noua. Sic propter neceſſitatem licitum eſt baptizare etiam laico excommunicato, & infideli, de conſecr. diſt. 4. c. ſine. c. quicunque, & c. conſtat, & cap. ſeq. ſic licet ſacrificia, & conſecrationes non debeant fieri, niſi ſuper altari, & locis Domino conſecratis, inſtāte tamen neceſſitate ſumma, poteſt alibi celebrari, c. ſicut, de cōſec. d. 1. Pari modo neceſſitas violenta excuſat à fornicatione, nam licet neceſſitas compulſiua non excuſet, quia coacta voluntas eſt, l. ſi mulier, §. ſi mulier, ff. quod met. cauſ. Vnde potius debet pati excoriationem, & omne martyriū, ac vitæ amiſſionem, quàm peccato conſentire, cap. ita ne, 32. q. 5. vbi tamen daretur paſſio ſine aliqua coactione, vt puta, quia virgo propter neceſſitatem violentam fuit deflorata, voluntate penitus renitente, tunc nullum committit peccatum, & mens remanet caſta, & virgo, quia in ipſo actu exercetur libido aliena, & non ſua, d. cap. ita ne.

Sic vt ad rem noſtram reuertamur, neceſſitas facit homicidium excuſabile, quod alias non eſſet, ſed ceſſante neceſſitate, dicitur potius offenſio, quam defenſio. In dubio autem, an quis intelligatur percutere ad defenſam, vel ad vindictam, dicit Bald. in d. §. tabernarius, quod ſcilicet dum es in actu percutiendi me, percutio te prius; & tunc eſt ad defenſam, ſecus ſi percutio etiam non incontinenti, poſtquam me percuſſiſti, quia tunc dicitur ad vindictam, niſi facerem ne iterato percuteres.

Si verò non apparet, quæ percuſſio præceſſerit, in dubio præſumitur culpa eius, qui prouocauit, l. 1. §. cum Arietes, ff. ſi quadr. pauper feciſſe, dic. & Baldus ibi dicit, quod inſultatus, in dubio præſumitur feciſſe ad ſui defenſionem, vnde gloſ. in cap. ſignificaſti, el 2. de homicid. & per Innoc. in cap. ſi verò, de ſent. excom.

Illud autem in hac quæſtione eſt reſolutione tenendum, quod licet in multis caſibus aggreſſorem occidendo, vel

mutilando, aggreſſus excuſetur à peccato mortali, quod omnes concedunt; in paucis tamen effugiet irregularitatem, præter caſum contentum in dicta Clem. ſi furioſus, de homicid. Quia irregularitas ſæpè etiam ſine peccato incurritur, Armilla in verbo irregularitas, nu. 43. cum alijs.

Nota item, quamuis aggreſſor voluiſſet tantum mutilare, & non occidere, ſed abſcindere manum, naſum, auriculam, aut aliud quoduis membrum, poſſet tamen aggreſſus ſe defendendo cum dicto moderamine, illum inuaſorem occidere, ſecundum Cardin. in d. Clem. 1. de homicid. Sylueſtrum, Couar. &c. Nota tamen, vt aggreſſus occidat inuaſorē cum moderatione inculpatæ tutelæ, non fiat irregularis, eſt intelligendum, ſi abſq; occiſione euadere potuiſſet, quia ſi mutilando, vel vulnerando aggreſſorem, potuit ſe liberare, non excuſatur ab irregularitate, ſi occidat, Sylueſter verbo homic. 3. q. 4. in principio, & alij.

Nota præterea, ſi aggreſſor noluiſſet aliquem occidere, neque mutilare, ſed tantum verberare baculo, vel alapis, poſſet aggreſſus hoſtem interimendo repellere, cum præſertim in aliquibus regionibus maximum ſit dedecus, alapam, vel verbera, abſque vulneribus, aut mortis vindicta relinquere; Sot. de iuſt. & iure lib. 5. q. 1. art. 8. ad finem: etiam ſi ſolæ minæ præceſſiſſent cum ille exequi ſoleat, homicidium incontinenti factum impunè erit, eſt communis opin. ſecundum Duennas, regula 182. in 4.

Nota item ad hoc, vt quis inuaſorem occidendo, excuſetur ab irregularitate, eſt intelligendum, quando aggreſſus dabat operā rei licitæ; ſecus autem ſi rei illicitæ; Quia tunc ſua culpa ſubiecit ſe tali neceſſitati: lex enim non ſuffragatur ſubijcienti ſe neceſſitati, per textum in l. ſed ſi plures, §. ſi fideiuſſor, ff. quis ſatiſd. cogan. Nauar. nu. 238. & S. Anton.

Homicidiū igitur, quod fit neceſſitate ineuitabili, ita vt non poſſit euadere, niſi occidat, tunc non eſt iudicādus homicida, quo ad culpam, nec irregularis quo ad pœnam, Clem. ſi furioſus, de homic. Si verò neceſſitas erat euitabilis, occidens hominem ſe defendendo, homicida eſt, &

peccat conrra præceptum, Non occides, & fit irregularis.

Homicidium caſuale etiam, & non voluntarium limitatur, diſtinguitur, & modificatur per humanas leges.

Homicida gaudet immunitate Eccleſiæ, ad quam cõfugiens, non eſt inde extrahendus inuitus: ita textus apertus per locum à ſpeciali, in cap. fin. de immunit. Eccleſiæ; fallit tamen in tribus caſibus.

Primò, ſi commiſerit homicidium in ipſa Eccleſia, aut alia. Secundò, ſi occidit veneno, quod plus eſt, quam gladio occidere, l. fin. C. de maleficijs; is enim dicitur proditoriè occidere. Tertiò, ſi proditoriè occidit, ideſt per inſidias, quod eſt, quando aliud verbis, aliud mente geritur, vt notatur in l. 1. ff. de priuat. delict. vt puta ſi veniens tecum, tanquam ſocius, in itinere te percutiat, dicitur proditoriè facere; vel ſi ſedens tecum in menſa, aut dormiens in lecto, &c. Bald. in l. reſpiciendum, §. delinquunt. ff. de pœn.

Vnde ſi quis ſub ſpe immunitatis occidit aliquem in Eccleſia, non debet gaudere hoc priuilegio; fruſtra legis auxilium implorat, qui contra ipſam agit.

Si occidens aliquẽ eſſet furioſus, vel infans, nullam incurrit irregularitatem, neque peccatum, ſiue iſte culpa ſua, ſiue non inciderit in furorem: Ita affirmat Gratianus 15. q. 1. §. fin. Ratio eſt, quia alterum imbecillitas conſilij, alterum imbecillitas facti excuſat.

Quare furioſus non põt teſtari, nec Religioni profiteri, nec contrahere matrimonium: igitur nec occidendo erit irregularis: & furor probatur ex dictis, & geſtis, ſeu factis, ex dictis, vt ſi dixit ſe velle proijcere ſua oſſa in mari, vel ſi proiecit lapides, &c.

Dormiens, qui occidit aliquem, non tenetur de homicidio, quia comparatur furioſi, cap. maiores, in fi. Extrau. de baptiſ. Aliqui enim dormiendo, ſe armant, ambulant, clamãtes, &c. neque eſt irregularis, quia illi culpa non poteſt imputari, vt quia neſciebat hoc vbi eueniret; facit qđ habetur de Loth. 15. q. 1. c. inebriarunt, vbi inceſtus cum filiabus, non imputatur inceſtui, ſed ebrietati: ſi autẽ ſciebat,

Digitized by Google

bat, debuit præuidere, & ſi non prohibuit, erit irregularis.

Ebrius autem occidens aliquem, tenetur de homicidio, & eſt irregularis, quia ebrietas non excuſat à delicto, 15. q. 1. & tex. in d. Clem. 1. de homicid. mitius tamen punitur.

Qui aliter mortem euadere non poterat, ſibi iniuſtè inferendam, niſi aliquem occiderit, vel mutilauerit, non peccat, nec vllam incurrit irregularitatem, vt hodie declaratum eſt in Clem. 1. in 2. reſpon. eodem tit. Quod tunc procederet, quando non occideret, ira percitus, vel furore, & libidine vindictæ, ſed cum dolore euadendi neceſſitatem, cum moderatione inculpatæ tutelæ, præter intentionem occidendi, ſed tantum ſe defendendi, vt dicit S. Thom. in 2. 2. & Turrecrem. in cap. de occidendis, num. 5. 23. q. 5. vnde poſſet iſte ſtatim poſt occiſionem miniſtrare. Et nota, quod tunc dicitur aliter non poſſe euadere mortem, gloſ. in verbo non valens, in d. Clem. 1. dicit, quia fortè occidendus, erat anguſtiatus in aliquo angulo, vel in loco tam alto, & adeo oppreſſus, vt fugere non poſſet, vel quamuis fugere potuiſſet, tamen non tenetur fugere, quando fugiendo poſſet cadere, & cadendo proſtratus in terra occidi per inuaſorem, quia tali, ac tanto periculo quis ſe exponere non tenetur, l. 2. §. penult. ff. ſi quis cautionibus.

Item, quia qualitas temporis non patitur plenius deliberandi conſilium, l. 1. §. merito, ff. ex quibus cauſis maior. vbi æquiparatur nullo modo poſſe fugere, vel poſſe, ſed cum dedecore, & quia æquiparantur conſeruatio perſonæ, & honoris: ſed hæc procedunt de iure ciuili, non autem de iure canonico, vbi quis tenetur fugere, etiam ſi fuga eſſet ignominioſa, ſi poteſt, aliter ſine periculo, quia melius eſt pati aliquam famæ læſionẽ, quàm hominem interficere, vel mutilare, arg. tex. in cap. ſuſcepimus, de homicid.

Sed quomodo probabitur aliquem non potuiſſe aliter euadere inuaſorem, ſi hoc in dubium vocaretur? dicas in foro pœnitentiale, ſtandum eſſe ſuæ confeſſioni, etiam ſine iuramento, cap. ſignificaſti, el ſecondo, de homic. de ſponſal. cap. tua. ſed in foro exteriori oportebit probare per circunſtantias, vt quià erat in loco tam anguſto, vt aliter non poterat,

terat, niſi interficere, vel mutilare, ita gloſ. in d. Clem. 1.

In aliquibus caſibus homicidium factum à clerico ex neceſſitate, inducit irregularitatem.

Primò, quando neceſſitas eſſet euitabilis, vt dictum eſt.

Secundò, quando neceſſitas eſſet ineuitabilis, ſed occideret aliquem pro defenſione alterius; quia illud clerico permittitur, pro euitanda propria morte, non pro ſalute alterius coniunctæ perſonæ: Ita gloſ. fin. in d. Clem. 1. fundans ſe in verbo, quod dicitur ſe, & non ſuum inuaſorem.

Tertiò, quando occideret aliquem pro ſaluandis rebus, cap. 2. cap. ſuſcepimus, eod. tit.

Quartò, quando poterat fugere.

Quintò, quando inſultatus occideret ad vindictam: vnde Baldus in l. 2. c. de ſicarijs, dicit; Si inſultatus incontinenti offendit, dicitur facere ad defenſam, ſecus ſi ex interuallo, quia tunc dicitur facere ad vindictam: vt not. in cap. ſicut, §. inſuper, el ſecondo, eodem titulo; & in dicta Clemen. 1. vnde per dictum Baldi, laicus poteſt impunè defendere filium ſuum, l. iſti quidem, §. fin. ff. quod met. cauſa. Item filius poteſt impunè occidere inuaſorem patris, maritus vxoris, vel è contra; Item ſponſus poteſt defendere ſpõſam, ſocius ſocium itineris, quia iniuria eſt communis, ff. de iure iur. l. item apud Labeonem, §. tenetur hoc ædicto, l. 1. c. vnde vi.

Qui animo vulnerandi tantùm, & non occidendi, percutit, tenetur non ſolum de vulnere, ſed etiam de homicidio, ſi ſecutum fuerit: Igitur ſi vltra propoſitum ſequatur euentus, tenetur percutiens non ſecundum propoſitum, ſed ſecũdum euentum, cap. ſicut dignum, §. illi, de homic. quod intelligit verum Baldus, ſi inſtrumentum, cum quo vulnerauit, erat aptum ad inferendum mortem, alias non, ita dicit in l. cum mandati, cap. mandati, allegat tex. in cap. ſignificaſti, de homic.

Sed pœnis ſpiritualibus, vt in excommunicatione, & ſimilibus, attenditur animus, & non euentus, vt tangitur in cap. 2. de conſtit. & in cap. in nonnullis, de Iudæis: Hinc fit, qđ non eſt excommunicatus, qui credebat percutere laicum, & per-

percuſſit clericum, de quo vide in cap. ſi verò, de ſent. excõ. Pariter ex tex. in d. §. illi, Abbas infert etiam quo ad Deum, mala voluntas habetur pro facto: Sed minori peccato, & pœna aſtringitur, ex quo delictum non eſt ſecutum, licet voluntas deliberata præceſſerit: & iura, quæ videntur innuere contrarium, ſunt intelligenda quo ad interitum ſalutis æternæ, ſed quo ad quantitatem ſupplicij differunt, nam conſumatio operis, aliquid addit peccato, cap. ſicut dignum, §. illi autem.

Qui non lætali vulnere percuſſit aliquem, cui febres ſuperueniunt, & moritur, licèt multi dicunt illũ propter vulnus eſſe mortuum, non tamen erit percutiens irregularis, ſi medicus affirmet contrarium, quia ſtandum eſt peritis in arte: & per conſequens credendum medico, & ita tenebitur de vulnere, ſed non eſt irregularis, nec tenebitur de homicidio: facit cap. ſignificaſti, el primo, de homicid. l. ſemel, de re mil. lib. 12.

Item, ſi aliquis percutietur, & ex alia infirmitate decedit, & hoc eſt certum, non eſt illi imputandũ, qui percuſſit: No. in cap. ad audientiam, in ver. ſi verò, de homic. & intellige aliam infirmitatem, non trahentem originem à vulnere, ſeu percuſſione, vel penitus diuerſam, & ſic cauſa ſuperueniẽs habilis ad aliquid inducendum, confundit vices primæ, de qua erat dubium, an ad hoc potens eſſet, de quo in cap. presbyterum, de homic.

Medicus dubitans an medicina ſit profutura, an nocitura infirmo, peccat, applicando illam, etiam ſi magis credat eſſe profuturam, quia in dubio melius eſt hominẽ relinquere in manu Creatoris, quàm exponere ſeipſum, & alios dubitabili medicinæ: Innoc. in cap. tua nos, de homic. Item, ſi dat medicinã, quæ infirmitatem habet augere, vt infirmum redimat, peccat; ſicuti etiam ſi dicit ſe peritum, cum non ſit, vel facit, aut omittit aliquid, propter quod infirmus periculum mortis incurrit, peccat, & eſt irregularis: & tunc videtur ſe aſſerere peritum, ſtatim atque acceptat officium, & aſſumit curam: Ita Innoc. in d. cap. tua nos.

Si me, clerico præſente habeatur conſilium, & tractatus de

Digitized by Google

de occidendo aliquo, & eis non contradico, ſed taceo, videor conſentire, quod ſecus eſſet, ſi id ignorarem; quare licet conſanguinei mei propter iniuriã mihi illatam, & mei contemplatione ſumant vindictam, & occidant aliquẽ, non eſt mihi aliquid imputandum, niſi (vt dictum eſt) me præſente habuiſſent tale colloquium, & tacuiſſem, per text. 1. q. 4. cap. qui præſulatus.

Si Iudex non liberat aliquem à morte iniuſta, cum poteſt; & Prælatus ſi non paſcit fame morientem cum poteſt, quãuis non ſint irregulares, cum lex promotionis factum requirat; 15. q. 1. cap. ſi quis iratus: tamen grauiſſimè peccant contra charitatem.

Qui ſcit, vel ſcire debet aliquem quæri ad mortem, puta furem, vel homicidã: & Iudici quærenti, vel officiali vtrum viderit talem perſonam, reſpondit ſe vidiſſe: & quærentes inſtruxit: ſi inde mors eſt ſecuta, eſt irregularis: ſecus ſi neſciret, nec ſuſpicaretur illum ad hoc quæri, ſed propter aliud: quia tunc eius intentio non eſt corrupta, & noxia: Hæc Rod. & Aſtenſis.

Clerici quicunq; iuris ignari, pro acquirenda indulgentia, quæ datur portantibus ligna ad comburendum hæreticum, ligna portauerunt: ſunt irregulares, quando ligna illa operantur ad cremationem, dum viuit, ſecus ſi non operantur, quia iam erat mortuus: cum homo mortuus, non ſit homo: Hinc etiam, qui hominem mortuum mutilaret, non eſſet irregularis, vt dictum eſt.

Qui me in alium impellit, & ille, in quem ego impellor, cadens moritur, vel impellens me, retrocadens occiditur: Non ſum propterea irregularis, neq; teneor in neutro iſtorum caſuum, cum nihil mihi ſit imputandum; ſed tantum illi, qui me impulit: ita Card. in Clem. 1. in pen. q. de homicid. Item ſi quis mihi dicit caue, quia vult te percutere, & ego declinans ictum, ex quo alius occiditur, non teneor, neque ſum irregularis, niſi in fraudem fecerim: quare omnes ſupradicti, poſſunt promoueri; ex quo in nulla culpa deprehenduntur, quo minus ordinibus inſigniri queant: Arg. de homicid. c. lator. & 23. q. 5. de occidendis.

No-

Notandum eſt præterea; quæ dicta ſunt, hæc non eſſe intelligenda de cede, quæ iuſtè nocentibus à Magiſtratibus infertur, nec de ea, quæ inſtinctu Spiritus ſancti fit: de Sãpſone Iudicum lib. 16. cap. aut de quibuſdam virginibus, quæ fit priuato homine propria auctoritate, ſiue ſeipſum, ſiue alium occidendo, non ſolum ſi manu id fiat, ſed etiam ſi ore, dando conſilium vt aliquis occidatur, ſiue vt alium prouocet ad occidendum: vel accuſando proximũ, vel detrahendo, ſiue auxiliũ, vel aſſenſum præbendo; quia non ſolum digni ſunt morte, qui faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus: ad Roman. 1. ſicuti conſentire videtur is, qui non obſtat, ſi poteſt, necnon reus eſt, qui famæ videt morientem, & non paſcit, cum poteſt: cap. paſce, diſtin. 86. ſed hoc omittit ex negligentia, vel ex auaritia.

Et grauius homicidium committit, qui non ſolum corpus, ſed etiam animam occidit, priuans illam gratia Dei, malè perſuadendo proximis, alios corrumpendo, vita ſua contaminata, & præſertim ſi ex officio ſibi incumbit, vt ſunt ij, quibus dictum eſt, Vos eſtis ſal terræ, Matth. 6. vel qui ſermonibus ſuis hominibus ad peccatum incitando: Item, qui varijs doctrinis mentem alicuius abducere conatur ab Eccleſiæ vnitate; vnde grauiſſimum homicidium cõmittit, qui corpus, & animam occidit, vel ſeipſum, vel fœtum prægnantibus diſperdendo.

De dante cauſam Homicidio.

REgula generalis eſt in iure omnibus notiſſima, ſcilicet, qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur, de regul. iur. lib. 6.

Quicunque igitur venenum, potum, cibum, vel alia quæuis malefica alicui præbuerit, vt inde mors, mutilatio, ægritudoq; perpetua ſequi poſſit, & hæc inde fuerit ſequnta, vltra mortale peccatum, etiam irregularis efficitur, tex. in cap. ſi aliquis, de homic. Syluеſt. Armill. Tab. S.Tho. 2.2.q.64.ar.8.& in 4. ſent.& Abb. in cap. de homicid.

Quocirca Confeſſarius, qui aliquem iſtorum auditurus

eſt, qui talia ſcelera perpetrauerit, ſciat ſibi aliud agendum, quandò pœnitens accedit ad confeſſionem, ſecuto mortis, vel alicuius iſtorum effectu, aliud quando negotium eſt in fieri, puta quod venenum, vel quoduis aliud maleficium propinatum, nondum fecit ſuum effectum, ſed paucis poſt diebus operabitur: quia in primo caſu, impoſita pœnitentia, & facta debita reſtitutione, poterit illum abſoluere, quia iam factum eſt malum, & damnum eſt ſequutum: In ſecundo autem, nequaquam eſt abſoluendus, quouſque procuret quocunque modo licito, malo venturo obuiare, ex conſilio docti, ac prudentis Confeſſarij: qui cauebit ne maleficium alio maleficio redimendo, vel tale maleficium iniuſtè manifeſtando.

Sciat etiam illum, qui detinet furem ne fugiat, & interim venit Iudex, vel eius Miniſtri, & capiunt illum, & ſuſpenditur tandem, vel alij eius inimici venientes, interficiunt illum, ex hoc fieri irregularem; per tex. in cap. ſignificaſti, de homic. Sylu. ver. homic. 2. verſ. 16. & alij idem affirmant.

Sciat tertio, illum, qui aliquem iuſtè percuſſit, abſq; mutilatione, & morte, & poſtea ab alio, ſine eius culpa, occidatur, vel etiam ex Medici Chirurgici, ſeu alterius neglige̅tia, vel qualibet culpa, vel modo ſuperueniente, moriatur, non effici irregularem; quia iſte percuſſit, & mors inde ſecuta, non proceſſit ex cauſa illa licita, ſed alia: ſecus tamen eſſet, ſi percuſſio fuiſſet illicita; quia eſſet irregularis, quamuis percuſſio non fuiſſet lætalis; quia tamen fuit cauſa, vt ex illa percuſſione moriatur, vel hoc fiat Medici Chirurgici, vel alterius culpa, & negligentia: per Guil. Laur. Carteriũ, & alios, qui contra Caetan. 22. q. 64. art. 8. refert Couarr. infra §. 2.

Vbi nota, & benè Papam in cap. presbyterum, de homic. præcipere presbyterum, qui quendam puerum intuitu diſciplinæ percuſſit in capite, morte inde ſecuta, eſſet deponendum: ſic etiam eſſet dicendum de Matre, Mgiſtro, vel Domino filium, diſcipulum, vel famulum percutiente, ſi mors inde ſequatur, fieri irregulares; ſi non purè, ſed cum ira, odio, vel ebrietate fecerunt: Armilla irregularitas, nu. 46.

Hoc

Hoc idem dicendum eſt de illo, qui cum alio rixatur, aut certat, vel, vt vulgo dicitur, *Far queſtione con vn'altro*; & amici, vel affines eius ſuperuenientes, occidunt illum, aut mutilant, etiam abſque vllo illius conſenſu, ratihabitione, & ea quia eſt irregularis, quando. ſ. dediſſet cauſam rixæ, & non fuiſſet aggreſſus ab alio: Ita Nauarr. cap. 27. num. 227. & Couarr. in Clem. ſi furioſus, 2. p. num. 8.

De Homicidio caſuali, aut ex culpa.

DE Homicidio caſuali id repetendum erit, quod ſupra iam diximus, & communi omnium ſententia, peccatum non dici, niſi ſit voluntarium, vt ex ſancto Thoma 2. 2. q. 46. habetur. Simpliciter autem loquendo, dicimus caſualia non dici poſſe intenta, nec voluntaria; quare alia homicidij ſpecies erit, à voluntaria valdè diſtans: Nam qui talia nólens fecit, non eſt puniendus, vt homicidij voluntarij reus, fuit enim caſus fortuitus, qui inopinatæ rei euentus, qui præuideri non potuit, appellatur; per tex. in l. in rebus, ff. commodati, Abb. in cap. vnico, de commod. & omnes: vnde etiam pro homicidio caſuali non imponitur à Canone tanta pœnitentia, quanta in voluntario: pro voluntario enim ſeptem, & pro caſuali quinque annis debuit quis pęnitere.

Neque etiam per regulam generalem, irregularem dicere poterimus illum, qui abſque culpa alium caſu occidit, vel mutilauit: ſed etiam poterit promoueri ad Ordines, per tex. in cap. ſignificaſti, 1. & cap. dilectus, de homic. Nauar. cap. 27. num. 220. & per Sotum lib. 5. de iuſtitia, & iure, q. 1. & per omnes, qui idem affirmant.

De illo autem, qui cum aliqua culpa aliquem occidit, vel mutilauit, diſtinguendum erit hoc modo, ſcilicet vel ille dabat operam rei illicitæ, ſed adhibuit omnem diligentiã & operam; vel dabat operam rei licitæ, nulla, ſeu parua adhibita diligentia, & cautela ne homicidium, aut mutilatio ſequeretur: & hæc culpa fuit lata leuis, aut leuiſſima. Tũc ſi fuit culpa lata, vel leuis, fiet irregularis, vt ex cap. clerico iacente, cum alijs, 50. diſt. Culpa leuiſſima illa dicitur, quã-

do quis illud non cogitauit, & præuidit, quod acutiſſimus vir cogitare potuiſſet: ſi ſit in omittendo, excuſatur ab irregularitate, non autem ſi ſit in committendo lata; Sylu. ver. homicidio, 2. Nauarr. cap. 27. num. 177.

Vnde ſi quis ludendo, proijceret lapidem poſt aliquem, & ille volens declinare lapidis ictum, in alium lapidem fugiendo impingens, & moreretur, tunc qui proiecit lapidem erit irregularis, per Innoc. Hoſt. Abb. & alios, quos refert, & ſequitur, ſumma Confeſſorum lib. 2. tit. 1. q. 19. Quia quotieſcunq; in ludo noxio luditur, culpa imputatur ludenti; & proijcere lapidem, ludus eſt noxius, vt haſtiludium, & ſimiles ludi, qui non poſſunt culpa carere, per textum in l. nam ludus, ff. ad legem Aquiliam, cap. continebatur.

Idem erit dicendum de illo, qui luſerit, vt vulgo dicitur, *Al Calcè*, quia ſi tunc alium ſuffocauerit, vel mutilauerit, erit irregularis, propter immoderatum ludendi modum. Ita Archid. in cap. eum, qui, 50. diſt. Idem ſi quis lapidem in Petrum iecerit, & ipſe Petrus cauens ictum lapidis, alium lapis occidit, vel mutilauit, quia fit irregularis, per Hugonem in cap. ſæpè, 5. diſt. Tab. & alios. Idem dicendum erit de illo, qui volens occidere, vel percutere laicum, perarſit, vel occidit clericum, & eſt excommunicatus, per Hoſtienſ. Sylueſt. verbo excommun. 9. & alios, ſi verò ictus lapidis dirigeretur in auem, vel quadrupedem, & fortuito abſque vlla culpa, quia adhibuit diligentiam, cum eſſet in loco, per quem homines tranſire ſolent, & clamauit, *Guarda, guarda*; tunc enim ſi hominem occiderit, non erit irregularis, per gloſ. in d. cap. clerico iacente, 50. diſtin. ſed ſi erat in loco priuato, & ſolitario, per quem nemo tranſire conſueuit, non tenetur clamare, vt in l. ſi putator, ff. ad leg. Aquiliam; alias ſi locus eſſet publicus.

De opem, & auxilium ad Homicidium præſtantibus.

QVemadmodum dicunt de circunſtantijs peccatorum, circunſtātiam, per quos, aut quibus auxilijs eſſe confitendam: Ita nos dicimus, illum irregularem iudicari, cu-

Digitized by Google

ius ope, & auxilio, mutilatio, aut homicidium fuerit perpetratum, & hæc eſt communis opinio.

Sic qui armatus, aut inermis aſſociat aliquem ad mutilandum, aut occidendum alium, vt ſit illi auxilio, ac defendat, ſi opus eſſet, irregularis erit. homicidio ſequuto, etiam ſi qui aſſociat, nihil commiſerit, per tex. in cap. ſicut dignum, §. illi etiam, de homic.

Item, qui non aſſociauit, ſed tantum aſtitit homicidæ, paratus defendere, ſi opus eſſet, homicidio perpetrato, fit irregularis: quamuis etiam talis aſſiſtens diſſuaderit homicidium, quod ſecus eſſet, ſi talis aſſiſtens, aut defenſor, non vt fautor, nec vt defenſor, ſed tantum vt ſpectator aſtitiſſet, per textum in cap. fin. 23. q. 8. & ſic intelligendus eſt textus in cap. ſicut dignum, §. clerico, de homic.

Item, ſi talis aſsiſtens eſſet publica perſona, vt Dominus, vel Gubernator Ciuitatis, aut alicuius loci, qui homicidium in ſua præſentia factum, impedire potuit, & non impediuit; per ſolam illam præſentiam fiet irregularis: per textum in dicto cap. fin. 23. q. 3. & per Nauarr. cap. 27. nu. 231.

Vnde ſi prælatus (Pontifice ſummo excepto) habens vtrãque iuriſdictionem, aſsiſtit executioni homicidij, vel mutilationis factæ per ſuos Iudices ſeculares, quaſi auctoritatem præſtando, quamuis nec verbo, nec ſcripto tali conſentiat executioni, erit irregularis: per textum in cap. ex litteris, vbi Abbas de exceſsibus prælatorũ: & alij, quos refert ſumma Confeſſorum lib. 2. tit. 1. q. 53. Nauarr. cap. 25. nu. 111.

Clerici verò, qui abſque fauore, conſilio, aut auxilio aſsiſtunt hominibus decapitandis, ſuſpendendis, aut mutilandis, per ſolam illam aſsiſtentiam non ſunt irregulares, ſed peccant grauiter: facientes contra Canonem, & textum in cap. ſententiam ſanguinis, de exceſſ. prælat.

Qui autem iuſtam ob cauſam, puta cõfeſsionis, adhortationis, aut charitatis aſsiſtunt, & peccant, nec fiunt irregulares, ſed merentur multũ, adiuuando eos, q moriuntur.

Neque etiam peccant, neque incurrunt in irregularitatẽ, qui ex ſola curioſitate aſsiſtunt decapitandis, vt ſi quis adeſſet, vt videret pulchram mulierem decapitandum: per Innoc.

Innoc. in gloſ. cap. ſententiam, ne cler. vel monac. & per Nauarr. cap. 27. num. 214. vbi dicit communem textum, cap. qui malos, 23. q. 5. & S. Thom. 21. q. 60. art. 6.

Neque ſi quis ex ſola curioſitate, animo tantum videndi furem, aut cognoſcendi alium ſuſpendendum, vel decapitandum, aſsiſteret, eſſet irregularis, quamuis ex hoc curioſus diceretur.

Qui ſine vindicta, & malo animo, ſed tantum ob zelum fidei, portat ligna, aut aliquid ſubminiſtrat ad comburendũ Hæreticum: per Nicolaum de Ploue, eſt irregularis, ſed tũc eſt verum, quando adhuc comburendus eſt viuus. Quicũque enim, dum viuit, miniſtrat ignem, ſcalam, ligna, funẽ, clauum, gladium, velquid ſimile, ad mortem illius, erit irregularis; Ita tenet Spec. tit. de diſpenſ. §. iuxta, verſ. Quid de ijs, qui propter; & S. Anton. tertia parte, tit. 29. cap. 2. §. 4. & alij, quos refert ſumma Confeſſ. lib. 2. tit. 1. q. 14. & Nauarr. cap. 27. num. 217. Sed ſi eſſet mortuus, non homo mortuus, non eſt homo, vt ſupra diximus.

Caueant tamen Confratres, & qui vulgo dicuntur, *Gli Confortatori, ò Battuti*; ne ex ſuis luminaribus concedant ignem accendi, vnde damnatus comburatur, priuſquam mortuus videatur, ne fiant irregulares.

Qui ægrotantem, ſeu infirmum in articulo mortis verò, aut præſumpto gubernat, aut viſitat, aut aſsiſtit ad adiuuandum morientem, caueat, ne ſine conſilio, aut licentia medici, potum, aut cibum præbeat, aut aliquid, etiam ex charitate, concedat, vnde citius moriatur: nam id culpa notabili, aut dolo fiat, erit irregularis: quod ſecus eſſet, ſi verè, & realiter talia non fuerunt cauſa accelerandi mortem. Si verò medicorum iudicio infirmus hac de cauſa citius vita deceſſerit, irregularis proculdubio iudicabitur, ideò quicunque cauſæ agat circa hoc.

Qui deprehenſum inimicum noluit occidere, ſed alligatum ſtipiti, aut arbori reliquit, qui à Lupis, vel feris occiſus eſt, irregularis efficitur, etiam ſi id ioco, aut ludibrio, non animo occidendo feciſſet; per tex. in c. ſuſcepimus, de homic. Abb. in c. præterea, de cler. percuſſ.

Qui inter plures rixantes aliquem leniter vulnerauit, ſed poſtea vulnerum multiplicatione ſic vulneratus occiditur, omnes fiunt irregulares paritate delicti; per tex. in cap. fin. 23. q. 8. & per Innocẽ. in cap. ſignificaſti, de homic. Quod ſi in rixa vno tantum vulnere occidatur, & neſcitur à quo, tunc non omnes erunt irregulares, ſed ille tantùm, qui vulnerauit, & hoc relinquendum eſt conſcientiæ; Ita Spec. in d. cap. §. iuxta.

De mandante, conſulente, perſuadente, inſtigante, aut adhortante ad Homicidium faciendum.

QVi mandat homicidium, aut mutilationem fieri, fit irregularis, etiam ſi poſt aliquot annos effectus homicidij fuerit ſecutus per mandatarium: Ita Specul. tit. de diſpenſ. §. iuxta, verſ. Sed quęritur quando, Syln. ver. homic. 1. q. 8. ſicuti etiam fiet irregularis mandans, aut conſulens, ſi tempore mandati, vel conſilij, mandatarius noluit acceptare mandatum, ſed renuit; & poſtea mandans mutauit ſententiam, & abſq; vllo alio mandato, hoc mandatum fuit executum, & mors, vel mutilatio ſecuta eſt; quia primum crimen, quod mandando fecerat, perſeuerat adhuc, vt dicit Innoc. in cap. ad audientiam, de homic. Bald. in l. 1. C. de ſeru. fugit. col. 2. ad fin. Ita etiam fiet irregularis, qui non expreſsè, ſed tacitè mandauit homicidiũ fieri, vt olim fecit ille iniquus Henricus Rex Angliæ Secundum, contra S. Thomam Cantuarienſem Epiſcopum, aſſerens ſe in ſuo Regno, cum vno Sacerdote pacem habere non poſſe, & propter hæc verba miniſtri illius ſanctum Epiſcopum occiderunt: Nauarr. cap. 27. num. 231. & alij in cap. ex literis, de exceſsibus prælatorum: & Nauarr. dicit hanc eſſe communem opin. quod procedit etiam ſi talis mandans præceptum dediſſet de non occidẽdo, vel mutilando, & eſt caſus in cap. vltimo, de homic. lib. 6. Abb. & Innoc. & alij in cap. ad audiendum, de homic.

Qua-

Quare, qui mandauit fieri homicidium, niſi velit irregularis fieri, debet tacitè, vel expreſsè reuocare mandatum, & notificare mandatario, ne mandatum huiuſmodi exequatur: immo verò, ſecundum aliquos, debet occidendũ, cautè monere, illiq; denunciare, vt ſibi caueta, per Innoc. in c. ad audientiam, de homic. quæ denunciatio, ne peccatum ſecretum mandantis, detegatur, in genere facienda eſt: vt notat Bald. loco citato.

Mandans aliquem occidi, ſi è contra mandatarius (vt ſæpè accidit) ab occidendo occiditur, vtroq; caſu irregularis efficitur: per tex. in cap. vltim. de homic. lib. 6. Quia talis mandans cogitare potuit, & debuit homicidium hincinde poſſe contingere; vel poſtea in executione iuſtitiæ contra occiſorem.

Mandans, adhortans, conſulenſuè aliquem tantummodo percuti alapa, vel baculo; & mandatarius contra mandantis voluntatem exceſsit fines mandati, & illum occidit, vel mutilauit: ſi propter vindictam, iniuriam inferẽdam mandauit talem percuti, quocunque euentu, homicidio ſecuto, mandans fiet irregularis, ſicuti mandatarius; debuit enim cogitare hunc effectum facilè euentum.

Exploratores, delatores, ſuſurrones, detractores, & qui ſeminat diſcordias inter fratres, vnde rixæ, contentiones, inimicitiæ, & homicidia ſæpè contingunt, difficilè irregularitatis pœnam effugient: quare ex hac reſolutione, atque ex regulis, quæ ab Armilla ponuntur in verbo irregularitas, num. 25. poteris multa inferre, atque notare, & ex Franciſco Toleto.

De Homicidio ex omiſſione defenſionis.

Quia communis opinio eſt, omnes teneri ad defendendum proximum, illumq; diligendum, vel ex lege charitatis, vel ex lege iuſtitiæ; Ideò cum in vtroq; iſtorum poſsit eſſe culpa omiſsionis ex negligentia, videndum eſt, quando ex tali omiſsione, irregularis quis efficiatur: quoniam Doctores in hac materia variè

ſcri-

ſcripſerunt: vnde S. Antonin. lib. de cenſuris c. 97. & alij, quos refert ſumm. Confeſſ. lib. 2. tit. 1. quæſt. 32. dicunt illum, qui proximum non defendit, incurrere culpam homicidij, ſicut ipſe occidens: per text. in c. ſicut dignum. §. illi autem: vbi Nauar. c. 23. q. 3. cum alijs idem affirmat: Sed hi omnes intelligendi ſunt, quo ad culpam: De pœna autem irregularitatis, aliter eſt dicendum; pro quorum declaratione, opiniones DD. ſunt referendæ: nam D. Anton. & alij abſolutè dixerunt, quando quis non defendit proximum à morte, vel mutilatione, cum poſſit, peccat tantum peccato omiſſionis, ſed nullam incurrit irregularitatem, quæ opinio nimis larga videtur; & propterea ne aliquibus anſa tribuatur peccandi, declaranda ſic erit. Primò, qui talem culpam omiſſionis incidit, vt qui tacuit, vel vt Iudices, qui morti Chriſti non reſtiterunt: velut alius quilibet, qui ſine periculo ſuo poteſt, & non facit, peccat mortaliter, & eſt irregularis: Spec. tit. de diſpenſ. §. iuxta, verſ. Quid ſi potui: Angel. Syluest. & alij, quæ opinio è contrario eſt nimis rigoroſa.

Igitur cum diſtinctione eſt reſpondendum, & declaranda opinio.

Primò, quicunque lege iuſtitiæ, puta, quia eſt Dominus, Conſul, Iudex, Miniſter Iuſtitiæ, Italice, *Barigello*; Dux, aliique huiuſmodi, tenetur alium defendere, & ſi non defendit, ſequuta morte, vel mutilatione, erit irregularis, quia peccauit contra iuſtitiam: & hoc caſu procedit opinio ſecunda ſuperius dicta. Ita declarat, & tenet S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 6. & ſumma Confeſſ. lib. 2. tit. 1. q. 32. verſ. Quidam tamen. & Specul. & alij, & poſtremo Nauarr. in man. cap. 27. num. 231. & cap. 24. num. 16.

Secundò, quæcunque particularis perſona, quæ tantum charitatis lege tenetur alium defendere, ſi propter negligẽtiam, ſocordiam, ignauiam, aut quia non vult miſereri conſerui ſui, non defenderit proximũ patientem, & ſi mutilatio, vel mors ſequatur, non erit irregularis, ſed tantum mortaliter peccabit contra charitatem, ſecundum omnes: & in hoc caſu procedit, & eſt intelligenda prima opinio S. Antonini,

nini, & aliorum, quod procedit etiam, ſi ob bonum, vel malum finem, interius gauderet de tali morte, vel mutilatione; Ratio eſt, quia talis, nullo verbo, auxilio, facto, vel modo ad homicidium, vel mutilationem talem concurrit, ſicut neceſſe eſt, ad incurrendã irregularitatem: nam ſolo iure naturali, & diuino tenetur quis alium defendere; non tamen iure canonico, aut ciuili, vt ex communi ſententia probat Decius in l. culpa caret, ff. de reg. iur. Sed hæc ſecunda opin. vel concluſio fallit in duobus caſibus: Primò, ſi non defendens, & interius gaudens, tale gaudium ſignis oſtenderet exterioribus, ridendo, vel plaudendo manibus, & ſimilibus: tunc enim fieret irregularis, quia ex hoc homicida cognouiſſet ſibi fauorabilem eſſe præſentem, vnde audacius deliquiſſet. Secundò, fallit, quando doloſè noluiſſet auxiliari, vt occideretur: nam tali caſu videretur irregularis, ſicuti incurrit excommunicationem: in cap. quantæ, de ſent. excom. & talis dolus ſufficeret, ſi probaretur, ex coniecturis, vt docet Abbas in d. cap. quantæ, & refert Auctor Candelabri, de irregularitate num. 287. & num. 288. & ex his poteris decidere quomodo filius, vaſallus, ſeruus, & oẽs illi, qui iuramento aliquo, vel obligatione tenentur, fiant irregulares, omittendo defenſionem illis caſibus, quibus poſſunt, tenentur.

De Deponente querelam coram Iudice ſeculari, &c.

CLericus deponens querelam de malefactoribus coram Iudice ſeculari, tunc tantum euitabit irregularitatem, quando duo concurrent: Primum, quod agat ad emendam, & ſic ciuiliter de crimine, cum proteſtatione expreſſa, affirmet ſe non intendere ad pœnam ſanguinis vllo modo; quia tunc etiam ſi Iudex iuſtitia hoc exigente, mortem illis inferat, non erit irregularis, quod cautè faciet, ſi de proteſtatione huiuſmodi faciat confici publicam ſcripturam, text. & gloſ. in cap. 1. de homic. lib. 6. Secundum, quod proſequatur ſuam, vel ſuorum iniuriam, ſecundum communem Doctorum ſententiam in d. cap. 1. quo

caſu

caſu non ſolum poteſt querelam deponere, ſed etiam illam proſequi, præſentare teſtes, & omnia agere, quæ pertinent ad victoriam ſuper ſua quæſtione, & petitione, vel ſuorum, ſecundum communem omnium mentem: ſi quæſieris, quãdo quis dicatur ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequi: vide gloſ. in l. ſi fœmina, c. ad Turpill. cap. poſtremò, de appell. vbi gloſ. ſic ait. Ille ſuorum iniuriam proſequi dicitur, qui illorum iniuriam, qui ſunt vſque ad ſeptimum gradum proſequitur, vt ſobrini, & ex illis nati; præterea gloſ. in capit. ſtudeat, diſt. 50. dicit, quod appellatione ſui, venit filius, & vxor; ſed Bartholus in l. cum quidam, §. quod dicitur, el primo, de acquirenda hæred. inquit, appellatione ſuorum conſanguineorum veniunt coniuncti ex parte patris de propria ſignificatione, niſi ſecundum communem vſum loquendi, aliud appareat in loco: & idem tenet Innoc. adde etiam tex. in §. ſui, inſtit. de hæred. qualit. & differ. vbi ait, quod appellatione ſuorũ veniunt qui ſunt in poteſtate morientis.

Si verò clericus ageret criminaliter expreſsè, & ad pęnam ſanguinis, tunc nihil prodeſſet proteſtatio ad euitandam irregularitatem, quia eſſet contraria facto: Ita Francus in dicto cap. 1. num. 2.

Poſſet tamen clericus, facta proteſtatione, ſine metu irregularitatis delictum aliquod præcogitatum, & tractatum in graue Reipublicæ diſpendium, vel magnũ damnum proximi, cautè deferre, ac denunciare, in remediũ potius, quam ad punitionem, ideſt cum proteſtatione, vt impediatur ne fiat, non autem, vt aliqua pœna ſaltem deformante, reus puniatur: quia etiam ſi ex huius criminis inquiſitione, mors ſequatur, iure, & iuſtitia illata, non erit delator irregularis, modo aliter, quam per denunciationem, huic malo obuiare nequiuerit: nam ſi delator probabiliter crederet, fraternam correctionem profuturam, tunc illam præmittere debuiſſet: Ita Nauarr. cap. 18. num. 54. vſque ad 60. & capit. 24. num. 11. Requiritur præterea, vt id extra confeſſionem nouerit, Nauarr. cap. 27. num. 213.

Inſuper, ſi delictum ſit perniciosum ſoli auctori, poſſit illud probare ſaltem per vnũ teſtem, quia in hoc iudicio ſuffi-

erit vna cum dicto denunciantis, ſi autem probare non poteſt, non tenetur; Nauarr. qui ſupra cap. 18.

Ad euitandã præterea irregularitatem in deponendo huiuſmodi quærelã, requiritur, vt proteſtatio fiat ad reſarciendum damnum, & vt ſuam, vel ſuorum proſequatur iniuriã, ideſt, vt accuſator præponatur pro iniuria ſibi accuſanti illata, aut ſaltem ſuis, & propinquis, iuxta communem ſententiam: & tùm proteſtatio fieri debet, quãdo exponitur quærela; vel debet præcedere, non autem poſt depoſitam quærelam, cum interuallo temporis, quia tunc proteſtatio non valet, per gloſ. not. in l. in concubinatu. ff. de concub. Hinc ſequitur illum irregularem effici, qui cum proteſtatione accuſaret reum pro furto extraneo, per ſupradicta: cum non militet text. in cap. 2. de homic. lib. 6.

Rurſum hæc proteſtatio reddit accuſatorem immunem ab irregularitate, quamuis habeat animũ proteſtationi contrarium, quod verum eſſe dicimus in foro exteriori, non autem in foro cõſcientiæ, quia tunc eſſet irregularis occultus: Ita Ioan. Andr. & Francus in d. cap. 2. num. 2. in fine, quos ſequitur Nauarr. in cap. 27. num. 226.

Qui ſine proteſtatione, aliquem accuſaret non habens intentionem, vt reus occidatur, vel mutiletur, tũc ſecuta morte, vel mutilatione, erit irregularis, per gloſ. communiter recepta in d. cap. 2. quod eſt intelligendum, quando iuſtè à Iudice propter illam accuſationem occidatur, aut mutiletur: Quod ſecus eſſet, ſi clericus tale quid proponeret, ex quo non venit imponenda pœna mortis, vel mutilationis; quia tunc ſi Iudex contra iuſtitiam, talem pœnam imponeret, clericus non eſſet irregularis, per arg. tex. in l. ſi per imprudentiam, ff. de euict. & eſt communis opinio.

Clericus pro certo ſciens ſe non poſſe conſequi debitum ſuum ab aliquo ſine pœna ſanguinis, poterit cum proteſtatione, & ſalua conſcientia implorare officium Iudicis: per Ioan. Andr. in d. cap. poſtulaſti, & adducit rationem text. in d. cap. 2. de homic. lib. 6. quia nullus debet propter metum periculi, ſuum indiſcuſſum relinquere.

Clerico, qui cum proteſtatione reum accuſat, capit, detinet,

tinet, Iudici tradit ad puniendum, proderit proteſtatio quo ad euitandam irregularitatem: per Franciſcum in d. c. 2.

Aduocato autem, & teſtibus, non proderit proteſtatio ad euitandam irregularitatem, ſi agunt aduerſus reum in cauſa criminali: per Abb. in cap. de cætero, de teſtibus, vt docet Graſſius in ſuis deſciſſionibus p. 1. de homic. volunt. nu. 44.

De ratum habente homicidium.

QVia ratum habere aliquid mali, eſt illud approbare, & confirmare; propterea in hac materia, duo conſideranda veniunt, tanquam fundaměta, quorum primum eſt; Ratum haberi nihil aliud eſt, quàm approbare, & conſentire aliquid dici, fieriuè poſſe in damnum alterius, iuxta communem omnium ſententiam: ſecundum, nec illud, quod tuo nomine factum eſt, ratum eo tempore habere poteris, quo amplius fieri ipſum non poterat: eſt communis opinio: Quibus præmiſſis, quæritur, an qui mente tantum, ratum habet, ſiue approbat homicidium ſit irregularis: cui dubitationi, duabus contrarijs opinionibus reſpondetur. Nauarrus enim in c. 27. num. 233. & alij affirmant illum eſſe irregularem, & confirmatur, quia per ſolam ratihabitionem, tenetur quis ad reſtitutionem, vt idem Nauarr. cap. 17. nu. 133. affirmare videtur.

Item ſecundò. Quia ſi quis nomine tuo aliquem clericum percuſſerit, vel manus violentas in clericum iniecerit, & tu ratum habueris, eo ipſo excommunicatus exiſtis, ſicut is, qui percuſſit, per text. in cap. cum quis, de ſent. excom. lib. 6. ſed in hoc differt excommunicatio ab irregularitate, quia ad incurrendam irregularitatem, ſufficit actus cordis interior; ad incurrendam verò excommunicationem, requiritur ſignum aliquod exterius talis ratihabitionis: vt Armilla docet verbo ratihabitio 6. & Sylu. verbo irregularitas, §. 4. Item tertiò per cap. quinque, de ſent. excomm. lib. 6. vbi habetur, ſi quis tuo nomine grauamen intulerit rebus, vel negotio Iudicis eccleſiaſtici: ſi id tu ratum habueris, excommunicatus exiſtis. Item quartò ex text. in c. felicis, de

pœnis

pœnis lib. 6. vbi habes, ſi quis offenſiones factas in perſonas Cardinalium, ratum habuerit ipſe, & proles eius vſq; ad ſecundam generationem, excluditur ab ordinibus, beneficijs, ac dignitatibus: & omnes iſti irregulares exiſtunt. Item quintò per text. in Clem. 1. de pœnis, habes, ſi quis offenſionem Epiſcopo factam ratum habuerit, ipſe, & proles vſq; ad ſecundam generationem irregulares fiunt; ita vt promoueri, aut promoti exercere non poſſunt: quod Hoſtien. Tab. & Aſt. confirmant lib. 6. tit. 14. Quæ opinio tunc locum habet, & procedit, quando ex tali ratihabitione graue ſcandalum apud viros graues oriretur: quia ſcandalum ſolum, & ipſa infamia irregularitatem inducit, vt docet Spec. tit. de diſpenſ. §. iuxta, verſ. ſed quid agent: pro quo facit text. in arg. in c. ex litteris de homic. & c. tua de clerico ægrotante: & tunc ſcandaloſa, turpis, & omnibus odioſa ratihabitio haberetur, quando tu allato capite, membro, vel ſpolio occiſi, tua contemplatione illud ſuſcipias; longeq; ſcandaloſior erit, ſi laudaueris, ſi præmium dederis, offerenti tale quid, aut nuncium mortis: etiam ſi de homicidio nihil dixiſſes, vel de præmio: iuxta cap. 18. lib. 2. Regum.

His tamen non obſtantibus, quia hæc opinio ſuperior, & multis Doctoribus non placet, erit probabilius, & tutum in conſcientia, quod quamuis ratihabitio percuſſionis clerici, inducat excommunicationem, quia talis complacentia eſt ſacrilega, per cap. cum quis, de ſent. excom. lib. 6. & Nauar. cap. 27. nu. 78. non tamen irregularitatem inducet: ita tenet Hoſt. Archid. & alij: niſi quando mutilatio, vel homicidium factum fuerit nomine illius, qui poſtea ratum habuit, quia tunc præſumitur mandaſſe hoc fieri, omnibus, qui ſupra idem affirmantibus: Et quamuis in foro exteriori obligetur quis ad reſtitutionem, quia præſumitur mandaſſe malum fieri, vt ait Nauar. In foro tamen conſcientiæ, nihil reſtituere tenetur ex vi ratihabitionis, quia ratihabitio ſubſequuta nihil influxit in damnum prius illatum: & pro reſolutione dubij reſpondēdum erit, ad hoc vt irregularitas imputetur ratum habenti, duo concurrere opus eſt, primum, quod homicidium meo nomine ſit factum; ſecundum, quod

ab

ab illo ſit factum, cui antea præcipere poteram: Quæ ratihabitio, his duobus ſic concurrentibus, mandato comparatur: per text. in cap. ratihabitionem, iuncto cap. ratum de regul. iur. lib. 6. & cap. cum quis de ſent. excom. eodem lib. alias non, vt reſoluit Nauar. d. nu. 233. & eſt communis opinio.

Quæritur poſtremo: An occultās, receptās, vel defendens homicidam, incurrat irregularitatem ratihabitionis: cui dubio, cum diſtinctione reſpondetur: homicidas duobus modis conſiderandos eſſe: Primò, quidam ſunt homicidæ, qui in rixa, odio, vel alio caſu proximum occiderunt: hos, qui occultat, receptat, & defendit, vel ob conſanguinitatem, vel ob amicitiam, vel ob charitatem, ne ab alijs occidantur, aut à ſatellitibus capiantur, nullam irregularitatem incurrit: Qui verò ſicarios, aut aſſaſſinos occultant, quamuis neminem occiderint, quocunq; colore, aut cauſa occultauerint, vel etiam ex charitate defenderint, irregulares fiunt, vt ex text. in cap. pro humani, de homicid. lib. 6. Ratio eſt, quia aſſaſſini sūt diffidati; & propterea illis omnis pietas interdicitur, niſi extrema omninò neceſſitas, vel inculpata excuſet ignorantia, maximè ſi filius, ſi pater, ſi frater talis fuerit, nec vt mali foueantur, ſed vt homines.

De Simonia, & confidentia benefic.

VOx ſimoniæ à Simone Mago dicta eſt, qui Spiritus ſancti dona, pecunia poſſidere extimauit: vnde ſimoniaci dicti ſunt, qui emere, & vendere ſpiritualia voluerunt: & propterea à S. Thoma 2. 2. q. 100. ſimonia ſic deſcribitur: Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi pro precio temporali aliquid ſpirituale, vel quod ſit ſpirituali annexum.

Nomine emptionis, & venditionis, intellige omnem contractum non gratuitum. Nomine pretij temporalis, intellige pecuniam: illa enim inuenta eſt, ad ſtatuendum precia rebus; vel quicquid pecunia æſtimari poteſt, ſiue ſint poſſeſſiones, ſiue dignitates temporales, ſiue quæcunq; munera, ſiue à lingua, vt laudes, adulationes, preces, commendationes,

nes, & alia ſimilia: ſiue à manu, vt pecunia, & alia munera ad hunc finem donata: ſiue ab obſequio, vt ſeruitia temporalia, quia pro obſequio ſpirituali præſtito Eccleſiæ, aliquis cæteris paribus eſt præferendus.

Nomine rei ſpiritualis D. Caetanus in ſua ſummula dicit, triplicem eſſe rem ſpiritualem; Alia enim eſt merè ſpiritualis, quæ eſt duplex; Vna enim quo ad ſpiritum humanum, vt eſt doctrina, ſciētia, conſilia, quæ non immediatè diſponunt ad gratiam Spiritus ſancti, cum exerceantur etiam ab infidelibus, & de his non intelligimus hic, quia talia vendi poſſunt, & circa ea paciſci, vnde licet iuriſperito vēdere iuſtum conſilium; Aduocato iuſtum patrocinium, & Doctoribus, licet vendere, & locare ſuas operas, ad inſtituendam iuuentutem.

Altera eſt merè ſpiritualis, in ordine ad Spiritū ſanctum, & ad gratiam Spiritus ſancti, quæ eſt ipſa gratia Dei, dona gratuita, virtutes infuſæ, gratia gratis data, poteſtas ſpiritualis, tam ordinis, quam iuriſdictionis; ſacramentales effectus, ius viuendi ex altari, habendi ſacrificia, & officia ſpiritualia: vt docet Sylu.

Alia eſt compoſita ex ſpirituali, & temporali, ſed ſpirituale præeminet in ea: Alia eſt compoſita ex ſpirituale, & corporale, ſed corporale eſt principale in ea.

Res igitur compoſita ex ſpirituali, & temporali, in qua ſpirituale tanquam principale præeminet, ſunt omnia ſacramenta Eccleſiæ, in quibus ſunt aliqua corporalia, quæ ordinantur ad gratiam tanquam cauſæ inſtrumētales: Item conſecrationes, benedictiones nubentiū, ſepulturæ, Miſſæ, orationes vocales, eccleſiaſticus cultus, diuinæ laudes, prædicatio, Oleum ſanctum, Chriſma, & alia huiuſmodi, quæ ſunt ordinata, & diſpoſitiua ad gratiam Spiritus ſancti.

Res autem compoſitæ ex corporali, & ſpirituali, in quibus corporale eſt principale, ſunt vt caſtrū, cui annexum eſt iuſpatronatus: Calices aurei, vel argentei, Cruces, officia eccleſiaſtica, temporalia, vt officium campanarij, œconomi, & ſimilia: quibus ſuppoſitis, concludendum eſt Primò: Nullam rem, quæ ſit merè ſpiritualis in ordine ad Spiritum ſan-

ctum,

ctum, vel ad eius gratiam, nunquam licitè vendi, vel emi, vel pro corporali commutari poſſe.

Nullo enim terreno precio compenſari poteſt, vt de ſapientia dictum eſt; Prouerb. 3. Precioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur huic comparari nō poſſunt. Item id vendi non poteſt, cuius venditor nō eſt Dominus, ſed tantum miniſter, & diſpenſator, nec habet ad hoc ſpeciale mandatum, vt ſunt Prælati Eccleſiæ, qui non ſunt rerum ſpiritualium domini, ſed diſpenſatores; & habent ſpecialem prohibitionem vendendi, cum ipſis dictum ſit Matth. 10. Gratis accepiſtis, gratis date.

Secundò, res compoſitæ ex ſpirituali, & corporali, in quibus ſpirituale eſt principale, abſolutè non poſſunt emi, nec vendi: vt ſunt ſacramenta, prædicatio, ordinatio, & his ſimilia.

Tertiò, concludendum eſt, illum, qui aliquid temporale pro adminiſtratione ſpiritualium accipit, per modum precij, ſimoniacum eſſe. At verò, qui recipit ſponte oblata, iuxta approbatam Eccleſiæ conſuetudinem, per modū eleæmoſynæ, aut ſtipendij ſuſtentationis, & neceſſitatis, non eſt ſimoniacus: 1. q. 1. cap. qui pro pecunia quemquam conſecrauit, alienus ſit à ſacerdotio: & cap. quicquid eadem cauſa, & quæſtione. Nemo præterea militat ſuis ſtipendijs, & ſi habet alias vnde viuere poſſit, eſt per accidens. Si tamen hæc pacto interueniente, fiant, aut cum intentione emptionis, vel venditionis, aut ſi accipiatur aliquid vt precium, ſimonia eſt.

Quartò, dicendum eſt ex Gratiano, locare operas ad exercitia, quæ ſunt principaliter ſpiritualia, non licet, niſi fortè per accidens: Multi enim ſacerdotes locant operas ſuas ad officiandum in Eccleſijs per annum, vel per menſem, in quibus obligant ſe certis quibuſdam diebus celebrare, vbi non locant operam ſuam ad celebrandum Miſſam, quod non licet, ſed libertatem ſuam, & onera illa, quæ ſunt temporalia.

Quintò, res compoſita ex temporali, & ſpirituali, in qua temporale eſt principale, abſq; ſimonia vendi poteſt, niſi iure poſitiuo prohibeatur, vt puta caſtrum, cui annexum eſt

iuſpatronatus, quod ordinatur ad præſentandum clericos ad beneficia: ſimiliter Cruces argenteæ, & Calices non conſecrati, poſſunt vendi, niſi iure prohibeatur; nam quamuis res ſecundum ſe ſit venalis, ſi ius prohibeat, erit ſimonia, non ſecundum ſe, ſed quia prohibetur, & parendum eſt iuri.

Sextò, licet locare operas in exercitijs rerum compoſitarum; in quibus principale eſt temporale; vt patet de officio Vicarij, Sacriſtæ, Iudicis, Doctoris, &c. quibus dantur certa ſtipendia, & in iſtis interuenire poſſunt pacta, & conditiones, de qualitate, & quantitate ſtipendij, quia de temporali, & venali opere pactio fit, & non de ſpirituali.

Tres præterea ſunt ſpecies Simoniæ; videlicet mentalis, conuentionalis, & realis: Simonia mentalis eſt internum illud propoſitum, & intentio dandi, aut recipiendi ſpirituale pro temporale, & hæc duplex eſt. Altera, quæ nondum dedit, neque recipit, & hæc non ſubditur pœnis ipſius iuris, cum Eccleſia non iudicet de occultis, quamuis ſit peccatum mortale: exempli gratia: Mente cogito, ſi Epiſcopus mihi conferret beneficium eccleſiaſticum, aut dignitatem, darem ei centum aureos; Altera eſt, de qua Doctores loquuntur, dum quis actu munera offert, ea praua intẽtione; ſed tamen occulta, dum celat qua intentione id faciat, dum etiam Prælatus corrupta intentione occulta, confert aliquod ſpirituale beneficium, quod etiam peccatum mortale affirmandum eſt: Simoniaci tamen huius generis, non tenentur etiam in foro conſcientiæ ad reſtitutionem eorum, quæ ex intentione, & ſimoniaco affectu acquiſiuerunt, ſiue ſint ſpiritualia, ſiue temporalia, ſed ſola eis ſufficit pœnitentia: ex cap. fin. extra de ſimon. Abbas in cap. ex tuæ, Sotus lib. 9. de iuſtitia, & iure, q. 8. art. 1. Vnde ad hoc cognoſcendum, datur regula, vt illa dicatur ſimonia mentalis, cuius obiectum eſt ſimonia realis, hoc eſt dandi, vel recipiendi ſpirituale pro precio temporali; nullaq; eſſet ſimonia, ſi quis ex ſola liberalitate ad conciliandam ſibi Prælati amicitiam, ei aliquid daret, aut illi ſeruiret, & certus ſit, neq; ſe accepturum, neq; Epiſcopum largiturum pro re huiuſmodi, ſed ſperet quod factus amicus, fortè id gratis dabit, quo ipſe eſt dignus, quia obie-

obiectum ipſum huius, eſt dare ratione amicitiæ, & non alia de cauſa.

Simonia conuentionalis, de qua Abbas in cap. tua nos, & cap. conſulere de ſimonia, illa eſt, quando pactum interuenit: & iſta quoq; eſt duplex: vna eſt, quando antequam collatio fiat, hinc inde, aut ex vtraq; parte à præcedenti conuentione non deſiſtitur; Altera ex vna tantum parte executa: & vtraq; non tam mentalis dicenda eſt, quam realis, nondum perfecta; propter quam, licet graue peccatum committatur, nemo tamen pœnas iuris incurrit; ſed ſatis eſt pœnitentia delicti, & hoc obſeruat ſtylus Curiæ Romanæ: & ſic videtur intelligenda extrauagans ſecunda communis de ſimonia, quod ſcilicet pœnæ ibi contentæ cõprehendunt tantum ſimoniacos conuentionales, adimplentes promiſſa ex vtraq; parte, non autem ex vna tantum: ita tenet Nauar. in man. cap. 23. num. 103. Tutior tamen eſt opinio Soti de iuſt. & iure lib. 9. q. 8. ar. 1. aſſerentis, pœnas illas extendi etiam ad ſimoniacos conuentionales, quando ex parte dantis ſpirituale ſequutus eſt effectus, & nondum ex parte dantis temporale, quod probatur per text. in cap. cum ſuper de cõfeſſ. pari enim paſſu procedunt recipere precium de præſenti, vel habere fidem, ſeu conuentionem de precio. §. vendite, Inſtit. de rer. diuiſ.

Quando verò ex parte promittentis temporale, traditum eſſet inſtrumentum debiti, in quo cõfiteretur, ſe debere Epiſcopo, vel alteri centum, tunc incurrunt cenſuras: ita Nauar. cap. 23. num. 106. quod dicendum eſt, ſi mihi Epiſcopus, vel alius debebat centum ex alia cauſa, & feci illi Chirographum, de recepto hanc ob cauſam, vt habeam beneficiũ, cum paria ſint dare, & remittere: ita tenet gloſ. 1. in cap. veniens 1. de teſtibus. Quod intelligitur, quando ex tali promiſſione aliquid acquiritur illi, cui talis fit remiſſio, alias non: ita Abb. concludit in d. cap. veniens. Tenentes igitur communem opinionem, quod remittere in materia ſimoniæ eſt dare, inferri poteſt, quod ſicuti proxoneta repellitur à teſtimonio in crimine ſimoniæ, quando recipit ſalarium, ita etiam, quando fuit facta promiſſio remittendi aliquid, & ex pro-

miſſione ſecutus eſt effectus: ita text. in d. cap. veniens 1. de teſtibus, dum dicit teſtem illum eſſe ſocium criminis. Præſupponitur igitur quod fuerit facta promiſſio; alias enim nõ diceretur ſocius criminis: Itá etiam ſententiandum eſt de ſponſionibus factis cum Epiſcopo, quia ſi quis cum Epiſcopo fecerit ſponſionem in centum aureos, quod non conferat beneficium tali: & Epiſcopus, vt lucretur illos centum, confert illi, ambo in foueam cadunt, & incurrunt cenſuras: Nauar. c. 23. n. 105. ſimonia etiam conuentionalis illa eſt, quæ confidentia beneficialis dicitur, contra quam ſunt duæ extrauagantes: Pij Quarti: & Pij Quinti, quæ ideò dicitur confidentiæ, quia eſt certa ſpes de re aliqua, quod itá fuit, eſt, & erit.

Simonia verò realis, eſt illa, quæ fit pacto expreſſo, vel etiam tacito, nutibus tamen ſignificata ex vtraq; parte, completa ſaltem ex aliqua parte promiſſorum vtriuſque partis; & hæc non ſolum obligat ad mortale, ſed etiam reddit collationem nullam, & tales ſimoniaci tenentur ad reſtituendũ taliter accepta per cap. inquiſitionis in princ. de accuſat.

Hinc igitur, qui verbis, ſeu nutibus ſolis ſignificat, ſe velle dare aliquid pro ſpirituali, & Epiſcopus velle conferre pro temporali, ſi collatio, & precium fuerint in partem, aut in totum ſubſecuta, incidunt ambo in pœnam iuris, Nauar. cap. 23. nu. 105.

Regula itaque ad cognoſcendum ſimoniam erit, ſi hæc tria interceſſerint: Primum, vt intercedat res ſpiritualis: Secundum, vt intercedat res temporalis, tanquam precium, & munus, ſiue ſit obſequium vt ſeruitus indebitè impenſa: ſiue ſit munus à manu vt pecunia, ſiue munus à lingua, vt laus, fauor, &c. Tertium, vt res temporalis, intercedat per modum precij: His namque tribus concurrentibus, eſt ſimonia: & ſi vnum defuerit, non dicitur ſimonia.

Sacerdos itaque, nullos habens redditus Eccleſiaſticos, vnde poſſit commodè ſuſtentari, non tenetur ex officio, poteſt ex pacto toties in hebdomada, vel tali die, accipere ſtipendium, ſeu pecuniam pro Miſſa dicenda, ſicut ſacerdotes conducti faciunt, non quaſi precium Miſſæ, ſed quaſi ſtipendium

dium ſuſtentatiuum: Ita Abb. in cap. ſignificatum de præbend. nu. 8. Quinimmò etiam ſacerdos diues id poterit facere abſque vitio ſimoniæ, non pro precio, ſed ſtipendio ſuſtentatiuo, ità Sylu. verbo ſimonia. q. 3. abſtinere tamen debet talis ſacerdos ab hoc, cum habeat ſpeciem mali, aut auaritiæ, aut turpis lucri, Nauar. cap. 23. nu. 101.

Item licet ſacerdoti, qui certis diebus conducitur ad celebrandum, & ad officium perſoluendum, de ſtipendio conuenire per d. cap. ſignificatum, ſiue ſit pauper, ſiue diues: Ità Sot. de iuſt. & iure lib. 9. q. 6. art. 1.

Item ſacerdos, qui aliunde accerſitur ad audiendas Confeſſiones infirmorum, vel ad Miſſam dicendam, poterit pro labore itineris, & incommodo, precium exigere: Ita Abbas in cap. cum ſecundum nu. 3. de præben. quia hæ ſunt operæ antecedentes ſacramentum, ſecus eſſet ſi eſſent operæ ſubſequentes, quia locari non poſſent: Hinc pro Miſſæ celebratione, vel confeſſione, manifeſtum eſt nihil precij poſſe exigi: gloſ. in c. ad aures de ſimonia: quia recipere pro labore intrinſeco, & ſubſequente ſacramentum, non licet.

Item Concionatores, ſi poſt conciones petunt mercedem pro labore, & opera proferēdi verbum Dei; immo poſſunt paciſci ante conciones pro ſui honeſta ſuſtentatione, & pro victu, &c. ita tenet Caiet. 22. q. 100. art. 2. & Sotus lib. 9. de iuſt. & iure q. 6. ar. 1. Immo etiam ſacerdos ſiue proprius, ſiue alius, etiam ſi non deſint ſibi ſuſtentationes, poterit ſuas operas ſpirituales locare, cum eſt inuitatus ad exequias, vel alia ſpiritualia impendenda in compenſationem incommodi, quod ſuſtinet in exhibendo præſentiam, & moram in recitandis, cantandis, ſeu impendendis ſpiritualibus, ad quæ alioqui non tenebatur, vt notat Innoc. in cap. quoniam ne prælat. vices ſuas.

Poſſunt igitur primò dari obſequia, non redundantia in precium abſq; ſimonia, per modum ſuſtentationis miniſtri.

Secundò, poſſunt dari per modum eleæmoſynæ: cap. animæ defunctorum 13. q. 2.

Tertiò, poſſunt dari per modum oblationis: text. in cap. omnis de conſecr. diſt. 1.

Quar-

Quartò, poſſunt dari per modum ſpontaneę gratitudinis: cap. placuit 1. q. 2. & cap. dilectus de ſimonia.

Quintò, poſſunt dari, & percipi per modum laudabilis conſuetudinis: cap. ad apoſtolicam de ſimonia, vbi dicitur, laicos eſſe compellendos ad obſeruandum laudabilem conſuetudinem erga ſuam Eccleſiam, pia deuotione introductam, ex quo etiam textu colligitur nō eſſe ſimoniam, ſi Rector parochialis coegerit recipientem ſacramenta ad obſeruantiam laudabilis conſuetudinis, quæ habet, vt aliquid ſoluatur pro labore adminiſtrantis. Dummodo conſuetudo iſta ſit introductà ex ſpontanea oblatione fidelium, ob ſuſtentationem pauperis clerici; immo hoc poteſt in pactum expreſſum deduci, ad impediendas contentiones, quæ alioquin putantur futuræ, dummodo ſcandalum euitetur: Ita S. Tho. 2. 2. q. 100. ar. 3. & in 4. ſent. diſt. 25. q. 3. ar. 2. antequam adminiſtret ſacramentum, vel ſepeliat defunctum: vt v. g. det aliquid conſuetum, vel vt ſepelientes habeant feretrum, ſeu catalectum, vel pannos, &c.

Non debet tamen Rector propter hoc ſolum dimittere, ſeu negare adminiſtrationem ſacramentorum; ſed adminiſtrare, & poſtea agere ad obſeruantiam conſuetudinis: quæ omnia probantur in d. cap. ad apoſtolicam, ne videatur auarus, aut vitio ſimoniæ laborare. Conſuetudo autem vt ſit laudabilis, videndum eſt vnde habuerit originem; nam ſi conſuetudo percipiendi aliquid pro re ſpirituali, habuit initium vitioſum, puta quia exactio præcedens, dedit cauſam conſuetudini: vbi ſimoniacum eſt exigere precium pro ſacramentis, talis conſuetudo non eſt laudabilis, ſed potius execrabilis, & extirpanda: cap. mala conſuetudo: diſt. 8. Si verò conſuetudo hæc habuit initium laudabile, quia non incepit ab exactione, ſed fuit introducta ex mera liberalitate, & deuotione populi, tunc valida eſt, & obſeruanda; vt in c. ſi Epiſc. de off. ordin. lib. 6. & in c. quoniam lib. 6. Ita etiam eſſet valida conſuetudo contra clericos, quando eſſet introducta in fauorem piæ cauſæ, vt eſt (*la Ceriola*) quod eſt intelligendū in Eccleſijs parochialibus, aut Cathedralibus tātum.

Sextò, poteſt aliquid percipi abſque ſimoniæ labe, per modum

dum redimendæ iniuſtæ vexationis: cap. dilectus filius, ideſt de ſimonia: vbi eſt notandum, quod aut loquimur de temporali, aut de re ſpirituali, ſi de temporali, licitum eſt dare pecuniam pro temporalibus, tàm pro iure quæſito, quàm acquirẽdo; ſed qui recipit pecuniam indebitè, tenetur ad reſtitutionem, vt in l. 1. l. generaliter. ff. de calumn. Si verò de ſpirituali, non licet, niſi quando vexatus habet ius certum, & plenum in re; & qui vexat, nullum ius habet, & vexat de facto propter potentiam ſuper aliquo beneficio: Tunc .n. licet dare aliquid, licet recipiens teneatur ad reſtituendum danti: per d. cap. dilectus. ſi verò non haberet ius plenum, & certum, non poteſt redimere vexationem, & ſi redimit dando temporale, ſimoniam committit: Ita Abb. in cap. Matthæus: & cap. dilectus de ſimonia: Plenum dico, quia poteſt quis habere ius certum, ſed non plenum: vt v. g. Ego ſum conſecutus bullas à ſummo Pontifice, ſuper poſſeſſione alicuius beneficij, ſed non poſſum habere confirmationem, & poſſeſſionem beneficij, niſi ſoluam aliquid Epiſcopo, pro confirmatione, & poſſeſſione: Tunc nihil poſſum ſoluere, nec debeo, & ſi hoc modo redimo vexationem, dando aliquid temporale, ſimonia eſt: Ità Sotus de iuſtit. & iure lib. 9. q. 7. ar. 1. Quod etiam dicendum eſt de illo, qui iuſtè eſt excommunicatus, ſeu interdictus; & volo illum accuſare de irregularitate, quia in excommunicatione celebrauit, vel quia ante legitimam ætatem eſt ordinatus, aut ob aliam ſimilem cauſam: & ille volens redimere hanc vexationem, dat mihi aliquid, tunc ſimonia eſt: cap. nemo de ſimonia. ſecus autem ſi iniuſtè eſſet excommunicatus, vel interdictus, aut per vim, aut per fraudem impediretur à concurſu, & aſſecutione beneficij, &c. Quia D. Ant. de Butrio in d. cap. dilectus: licitum eſſe dicit hanc vexationem precio redimere.

Septimò, per modum amicabilis compoſitionis, licet dare aliquid, vel recipere temporale pro ſpirituali, præſertim pro bono pacis: v. g. ſunt duo litigantes beneficium: & ne lis vlterius protrahatur, amicabiliter vnus dicit alteri, remitto tibi ius meum, quod ſuper hoc beneficium habere inten-

tendo; ſed ſi vis aliquid dare pro concordia, & bono pacis gratis, & amore, & non pro ceſſione iuris, & precio rei ſpiritualis, libenter accipiam: Tunc dans, & recipiens, non committunt ſimoniam; Ita docet Abbas in cap. ſuper eo, de tranſact. ſecus autem ſi hæc ceſſio fieret per modum tranſactionis, quæ fit cum receditur à lite, aliquo dato, vel retento, vel promiſſo: Compoſitio verò fit gratis, & amicabiliter, eſt communis opinio: in d. cap. ſuper eo. Ita etiam non cõmitteret ſimoniam, qui venderet vaſa ſacra in neceſſitate Eccleſiæ, ad ſubueniendum pauperibus, ne fame, vel frigore pereant, & ad redẽptionem captiuorum cap. de ſacroſanctis Eccleſ. cap. omnino: cap. aurum: cap. gloria Epiſcopi 12. q. 2. Epiſcopus denique ratione collationis ordinum, non poteſt aliquid recipere ſine macula ſimoniæ cap. 1. de ſimon. ſed poſt collationem à ſponte dantibus, poteſt Epiſcopus aliquid accipere, cap. dilectus, el ſecondo. cap. ſicut Epiſcopum 1. q. 2.

Item Notarius nihil poteſt recipere pro ſigillo impoſito litteris teſtimonialibus, ſeu dimiſſorijs: ex Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. Quia quando principale debet gratis dari; ita etiam acceſſorium quodcunque, tamen ex conſuetudine gratis aliquid datur.

De pluralitate Beneficiorum.

Ad maiorem eorum, quæ dicenda ſunt declarationem; diſtinguendum eſt.

Primò, de beneficio: quod tribus modis accipitur: Primò, vt eſt nomen generale: per cap olim de verborum ſignif. vbi Ioannes Andr. dicit, beneficium, eſt beneuola actio, gaudium tribuens capienti, & hoc modo accipitur in cap. 1. §. beneficium.

Secundò, propriè, & ſtrictè beneficium dicitur gratia conceſſa à Principe præter ius: gloſ. in cap. olim, in verbo reſtringendo: ſed de his nihil modo agendum eſt.

Tertiò, beneficium eccleſiaſticum eſt, pro quo declarando videndum erit quid ſit: & quæ concurrere debeant ad

hoc

Digitized by Google

hoc vt ſit beneficium eccleſiaſticũ, vt notat Petrus de Anch. in reg. 1. in prima columna de regulis iuris lib. 6.

Beneficium eccleſiaſticum duplex eſt: aliud ſimplex, aliud curatum: ſimplex dicitur illud, quod non habet curam animarum: curatum verò tunc dicitur, ſecundum gloſ. in Clem. dudum de ſepult. quando propriè habet curam animarum: vt quando Epiſcopus, & Parochus, aſtringuntur ad ſacramenta adminiſtranda, & alij tenentur ad illos recurrere: dicitur enim cura, quia cor vnit, ne pereant animæ ſibi commiſſæ, ſed vt ſaluentur. Cognoſcitur etiam aliquibus ſignis, quod ſit beneficium eccleſiaſticum: Primò, ex qualitate perſonæ prouidentis, quia ſcilicet de beneficio eccleſiaſtico, non prouidet, niſi perſona eccleſiaſtica.

Secundò, ex qualitate eius cui aſſignatur, non enim alij, quàm clerico aſſignatur. Tertiò, ex qualitate beneficij, quia habet aliquid ſpiritualitatis annexum: & quia eſt perpetuum: diſt. 85. præcepta: diſt. 70. ſanctorum.

Cura verò duplex eſt; vna quæ exercetur in foro contentioſo, quæ conſiſtit in poteſtate eijciendi, & recipiendi in Eccleſiam: corrigendi, & puniendi exceſſus: 21. diſt. §. 1. Item excommunicandi, interdicendi, viſitandi, & alia faciendi, quæ pertinent ad correctionem morum: de elect. cap. dudum Eccleſia Romana. Inn. in cap. cum ſatis nu. 2. de off. Archid. & hanc poſſunt habere Archid. Diaconi, & inferiores Prælati.

Altera eſt, quæ exercetur in foro animæ; quarum prima eſt adminiſtratione ſuperior: Hinc eſt quod Archidiaconus propter curam, & ſollicitudinem, quam exercet in foro contentioſo, eſt ſuperior, & dignior Archipresbytero, qui curam gerit animarum de off. Archipresbyteri cap. officium: ſic & Diaconus quandoque ratione officij, præponitur presbytero 93. diſt. Præcipimus: & Diaconus Cardinalis, maior eſt, quàm Epiſcopus 97. diſt. nobiliſſimus.

Secunda verò, quia eſt ars artium, de ætate, & qualitate: cap. cum ſit; Dignior eſt, ſicuti anima eſt dignior corpore, 12. q. 1. præcipimus extra de pœnit. cap. cum infirmitas: quanquam perioculoſior ſit, & grauior.

dignitate, quæ habet adminiſtrationem cum iuriſdictione, vt Camerarius Papæ.

Præbẽda verò eſt ſpirituale ius percipiẽdi certos prouentus in Eccleſia competentes, ex diuino officio, cui præbendatus deſeruit gloſ. in cap. cum in de conſt. Et propriè dicitur præbenda, quando bona Eccleſiæ ſunt diuiſa, de conceſſ. præb. ex parte: Sed quando ſunt indiuiſa magis propriè dicitur portio, vt not. Innoc. de præbend. cap. dilectus, & dicitur præbenda à precio, quod recipit quis pro labore, quæ eſt duplex: Altera eſt temporalis: Altera ſpiritualis: Temporalis præbenda eſt, quæ datur etiam pro aliquo labore temporali de rebus eccleſiaſticis, alicui tanquam benemerito, puta Aduocato, vel ſimili, & hæc nihil habet ſpirituale, quæ alio modo appellatur penſio, quam quis habet ſine titulo, quæ etiam laicis concedi poteſt: 16. q. 1. cap. poſſeſſiones.

Præbenda verò ſpiritualis eſt, quæ licet conſiſtat in rebus temporalibus, tamen permutari non poteſt, niſi cum iure ſpirituali, de rerum permutatione: cap. ad quæſtiones: & hæc duplex eſt: quædam ſacerdotalis, quæ à ſacris ordinibus illi annexis nuncupatur; & nonniſi ijs, qui eiſdem ordinibus initiati ſunt, vel initiari poſſunt confertur: quædam verò nõ ſacerdotalis eſt, quæ ſacrum presbyteratus ordinem non requirit: & dicitur ſpiritualis, quamuis in bonis temporalibus conſiſtat, quia eſt connexa cum canonicatu, vnde à digniori totum illud ius denominatur: vbi collata præbenda, ſolita conferri cum canonicatu, videtur collatus canonicatus gloſ. in cap. propoſuit, de cler. excom. min. eſt communis, vt tradunt moderni in cap. cum acceſſiſſent de conſt. quamuis præbenda ſit acceſſorium, & canonicatus ſit principale, quia quando acceſſorium eſt inſeparabile ab ipſo principali, conceſſo acceſſorio videtur conceſſum principale: Ita docet Bartol. per illum textum in l. quiſquis cap. de agric. & cenſib. lib. 11. Comprehenduntur etiam appellatione beneficij eccleſiaſtici, præſtimonia, & penſiones: ſunt enim præſtimonia, ſtipendia quædam, quæ ſine Eccleſia dantur Canonico, vel alteri clerico, præſertim ſi literis, ſtu-

dijsq; operam nauant: Dantur etiam militibus contra infideles, vel turcas pugnantibus: & dicitur præſtimonium, idest præſtans munium, vt docet Hoſt. in cap. poſtulaſtis de reſcriptis.

Quæ præſtimonia, dupliciter cõſiderari poſſunt: quoniam aliquando in ſola temporalitate conſiſtunt, & nullum officium habent annexum in Eccleſia; & tunc hæc appellatione beneficij eccleſiaſtici, non veniunt Io. Andr. in cap. vnico de rerum permut.

Aliquando verò præſtimonium datur in titulum perpetuum, & habet annexum aliquod obſequium ſpirituale, ità vt titulatus arctetur ad aliquod ſeruitium eccleſiaſticum, & tunc dicitur beneficium: Ita Gemin. in d. cap. fin. de conceſſ. præb. lib 6.

Penſio, quæ datur alicui vt clerico, eſt pars fructuum beneficij; & differt à beneficio; quia in beneficio duo inſunt, videlicet titulus, ideſt dignitas eccleſiaſtica; vt Archiepiſcopatus, Archipresbyteratus, &c. Secundò, ius percipiendi fructus eccleſiaſticos, quod ius dicitur penſio à pendendo, quia dependet à beneficio, vt vſus fructus, pendet à proprietate: Differt ſecundò, quia per penſionem, clericus non tenetur ad reſidentiam, ſicuti tenetur in beneficio: Differt tertiò, quia obtinentes beneficia, tenentur recitare horas canonicas, cum obligatione peccati mortalis, & reſtitutione fructuum, iuxta Pij Quinti conſtitutionem, niſi recitauerint: Qui verò penſionem, horas tantum Beatæ Mariæ: Quæ tamen penſio de iure communi, non debet excedere tertiam partem fructuum, vt docet Abb. in cap. cõquerente, de cleric. non reſid. & Concil. Trid. in cap. quoniam pleriq; ſeſſ. 24. & ita ſeruat ſtylus Romanæ Curiæ: & tunc dicitur, iuſta penſio, quando ea exacta per penſionarium, tantum remanet beneficiato, quantum ſufficiat ei, vt commodè viuat, iura Epiſcopalia ſoluat, & onera beneficij ſuſtineat: cap. de monachis: cap. cum cauſam, cap. vacante, de præb. cap. 1. de cenſibus: & in tribus caſibus venit probata. Primò, propter bonum pacis, cap. niſi: de præb. Secundò, ne reſignans, iuniùm patiatur diſpendium, & propterea eidem deſigna-

ſignatur penſio: cap. ſuper hoc de renunciat. Tertiò, in permutatione, ratione inæqualitatis redditũum beneficiorum, tunc imponitur penſio ſuper altero maiore: cap. ad quæſtiones, de rerum permut. Hanc penſionem poteſt ſolus Romanus Pontifex, vel alius ex eius conſenſu imponere, niſi ſit iuſpatronatus ante fundationem, benè poteſt imponere; ſecus verò poſt fundatum ius; & ita intelligitur textus in cap. præterea, el ſecondo de iure patronatus. Et quamuis Romanus Pontifex poſſit ſuper hoc imponere penſionem in dictis tamen beneficijs, quæ ſunt de iure patronatus, requiritur patronorum conſenſus. Abb. in cap. penult. de iurepatron.

Præterea ſtylus Curiæ, & vſus habet, vt nullus extinguat penſionem impoſitam, ſine Pontificis Romani auctoritate, quamuis gratis abſq; authoritate, redimi poſſit, & ita habet ſtylus Curiæ, qui facit ius: cap. quam graui, de crim. falſi, cap. ex litteris, de conſtit. Qui autem contrafecerit, illam extinguendo, peccat quidem, ſed non incurrit cenſuram aliquam, niſi ſimoniacè ſe geſſerit; & facta extinctione, non tenetur amplius penſionarius recitare Offic. B. Mariæ.

Sunt etiam portiones, & ipſa beneficia, quæ dicuntur beneficia ſine titulo, vt ſunt aſſiſij penſionarij, præſtimonarij, habentes altaria, vel capellas, cap. pen. de cleric. non reſid. cap. ſignificatum, de præb. quæ iuriſdictione, & adminiſtratione carent, & ſunt veluti cibaria, quæ diaria Vulpianus appellat; in l. antepen. ff. de alim. & cib. leg. quas qui obtinent portionarij, ex eo dicti, quod ſemper in Eccleſia maneant; qui & aſſiſij à ſummis Pontificibus ſolent appellari, eo quod in Eccleſia ſemper aſſideant cap. pen. de cleric. non reſident. hi collegium, aut capitulum, non conſtituunt; & hæ ſunt beneficia ſecularia.

Rurſum beneficia regularia ſunt, quæ in duo genera diuiduntur, aut enim ſunt ſimplicia, aut duplicia; & rurſum ſimpliciũ, quædam ſunt ſine iuriſdictione, ſed cum adminiſtratione; quædam verò, & ſine iuriſdictione, & ſine adminiſtratione: ſub priori membro, cenſetur certus aliquis prior ſimplex, cui quædam reuerentia tantum præſtatur, ac rerum

mona-

monaſterij adminiſtratio tribuitur, nullam tamen in religioſos iuriſdictionem habet: ſub ſecundò, numerantur monachi, & canonici regulares, qui beneficia obtinent, iuriſdictione, atq; adminiſtratione carentia; cap. quod Dei timorem, cap. fin. de ſtatu Monachi: Clem. in agro, §. cæterum eodem tit.

Duplicia verò beneficia ſunt, quæ iuriſdictionem, & adminiſtrationem habent: cap. obtinent Abbates, quod nomen eſt hebraicum, græcis, ac latinis patrem ſignificans: vnde Abbas hodie vocatur duplicato nomine pater Abbas: & hæc ſunt beneficia regularia.

Beneficia Incompatibilia.

TErtiò, notandum eſt, quædam eſſe beneficia, quæ dicuntur incompatibilia; quorum incompatibilitas dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo, illa dicuntur incompatibilia, quæ ſimul licitè abſque peccato, ſine diſpenſatione obtineri non poſſunt; & hoc modo plura beneficia ſimplicia in titulum, dicuntur incompatibilia, cum huiuſmodi retentio, ipſo iure ſit prohibita, ideò dicit gloſ. in cap. dudum, de elect. verbo retinere, quòd qui habet plura beneficia, quorum vnum per ſe ſufficeret, non poteſt abſque peccato mortali aliud retinere ſine diſpenſatione, quæ facit licitum, quod erat illicitum: & ſi abſque diſpenſatione retinuerit, poterit legitimè altero priuari: hoc patet per textum in cap. conquerentes de clericis non reſid. ſecundum Abbatem ibi in 3. notab. vbi dicit eſſe caſum ſolemnem priuandi aliquem beneficio ſuo, licet velit in eo reſidere. Altero modo dicitur incompatibilitas, per quorum vnius aſſecutionem, aliud ipſo iure vacat: cap. de multa de præb. & habetur in Concilio Trid. ſeſſ. 7. cap. 4. gloſa in Clement. gratia, de reſcript. ponit triplicem modum incompatibilitatis: Primus, eſt planus per cap. de multa de præb. Secundus, procedit in beneficijs conformibus in eadem Eccleſia, per cap. literas, vbi per adeptionem præbendæ, perdit quis aliam præbendam, quam habet in eadem Eccleſia. Tertius,

tius modus eſt, quando beneficium requirit præciſam, ſeu aſſiduam reſidentiam, quia tunc plura retineri non poſſunt: omnia enim beneficia curata requirunt hanc reſidentiam, de qua ſupra dictum eſt lib. 3.

Quartò, notandum eſt, quædam eſſe beneficia, quæ dantur in titulum, & quædam in commendam: Beneficia in titulum ſiue ſint curata, vel dignitate perſonatus, aut alia incompatibilia, plura clericus retinere non poteſt: cap. quia nonnulli: de cler. non reſid. cap. ſanctorum, diſt. 70. cap. dudum de elect. & ratio eſt, quia omnia talia, quæ aſſignantur in titulum de iure communi requirunt reſidentiam; etiam ſi eſſent 20. ſolidorum, vt eſt caſus de præb. cap. conquerente diſt. 54. ſecus eſt in penſionibus, vel ſtipendijs aſſignatis aliquibus, tanquam benemeritis, ideſt aſſignatis in titulum.

Quibus præmiſſis concludendum eſt, in quolibet beneficio aſſignato in titulum, prohibitam eſſe pluralitatem, quia vix vni poteſt quis inſeruire. cap. 1. de conſecr. lib. 6.

Sunt tamen aliqui caſus, in quibus licet plura beneficia habere: Primus eſt, cum beneficia ſunt vnita: cap. de multa, cap. dudum de ætate, & qualit. el ſecondo. Secundus, ſi vnum pendet ab alio cap. eam te: cap. extirpandæ de præben. cap. dudum. §. inſuper nec in his caſibus neceſſaria eſt diſpenſatio. Tertius, ſi vnam Eccleſiam habeat quis in titulum, alteram in cõmendam, ſecundum gloſ. ordinariam 21. q. 1. in ſumma, & in cap. dudum de elect. 21. q. 1. qui plures.

Quartus, propter hominum raritatem 21. q. 1. cap. 1. & de elect. cap. dudum.

Quintus, ſi Eccleſiæ ſint tenues, quæ ſingulæ per ſe rectorem non inuenirent, cap. de multa de præb. dicuntur autem tenues, quando ad ſuſtentationem rectoris non ſufficiunt; quod eſt arbitrarium, & conſuetudo inſpicitur: in hoc tamen caſu, neceſſaria eſt diſpenſatio Domini Papæ: notat gloſ. in cap. eam te, de ætate, & qualitate.

Sextus caſus, cum Papæ diſpenſatio interuenit: quia tunc plura beneficia obtineri poſſent, cap. de multa: quia in beneficialibus Papa habet pleniſſimam poteſtatem, cap. 2. de

præb.

præb, lib. 6. quæ diſpenſatio eſt iuris rigoroſi relaxatio 1. q. 7. & debet fieri cum cauſa, alias non eſſet tutus quoad Deum Papa, qui ſine cauſa diſpenſat: Papa enim ad ædificationem poſitus eſt, non deſtructionem: facit text. in cap. ſunt quidam 25. q. 1.

Iuſtæ autẽ cauſæ diſpenſandi videntur iſtæ, quæ ſequuntur.

Prima eſt prærogatina meritorium perſonæ, vt ſcientia, & nobilitas, cap. de multa de præb. gloſ. in extrau. Ioannis vnica de præben. Eccleſia enim noſtris temporibus videtur indigere viris literatis, quorum ſcientia mundus illuminatur, & ipſorum ſcientia eſt circa ſpiritualium adminiſtrationem, potiſſimum neceſſaria: & illi, qui eccleſiaſticis vtilitatibus deſudarunt, dignis etiam ſunt prouiſionibus conſolandi 12. q. 2. eccleſiaſticis, & ſecundum labores ſuos, ad meliores gradus, & dignitates prouehendi: Scientia autem debet eſſe ſufficiens, vt poſſit regere beneficium, cui præficitur: cap. cum in cunctis, de elect. de qua ſcientia, ſupra in officio examinatoris dictum eſt.

Secunda cauſa, eſt vtilitas Eccleſiæ, vt diſpenſetur cum eo, qui eam tueri poſſit.

Tertia, neceſſitas eiuſdem Eccleſiæ, c. & ſi illa 1. q. 7. gloſ. in d. extrauag. Ioann. vnica: ſi enim Eccleſiæ ſit vtile, vel neceſſe habere Doctorem, qui eam tueatur, & inſtruat, tunc licita erit diſpenſatio, cap. de multa: cap. cum nobis olim: in fin. de elect. & cap. innotuit. Effectus autem huius diſpenſationis eſt, vt diſpenſatus habeatur idoneus, habilis, & legitimus de iure ad obtinenda plura beneficia curata: quia ſine diſpenſatione obtinens ſecundum beneficium curatum, dignitatem, vel perſonatum, peccat mortaliter, ſi poſt adeptam poſſeſſionem ſecundi, non renuntiat primo, quod ipſo iure perdit, & vacat, iuxta dicta in cap. de multa, immo ſi ſit pertinax, retinens vtrunque, fit incapax ad quodlibet aliud, ac etiam ad ordines: Nauarr. cap. 25. nu. 116. immo per adeptionem dignitatis, perſonatus, & per conſecrationem, confirmationem, & acceptionem epiſcopatus, quia ipſo iure vacant beneficia, quæ Epiſcopus habebat ante conſecrationem, cap. cum in cunctis. §. cum verò de elect. ſed

tamen

tamen per adeptionem beneficij curati, non vacat epiſcopatus: text. ad hoc ſingularis eſt in cap. cum in noſtris de conceſſ. præb. quia ſine Papæ voluntate, dimitti non poteſt, cap. quanto de tranſlat. Epiſc. cap. niſi de renunc. de tranſlat. c. 1. & 2. & nullo modo poterit conſuetudine induci, vt vnus duas retineat Eccleſias curatas, quia hoc eſt delinquere, & in delictis conſuetudo non excuſat: de conſuet. cap. fin. Dom. Ant. in cap. 3. de clericis non reſid. nu. 9.

Poterit tamen clericus, plura beneficia ſimplicia non requirentia perſonalem reſidentiam, ſine diſpenſatione retinere, quando vnum non ſufficit, ſecus autem ſi vnum ſufficeret, quia peccaret mortaliter, & requireretur diſpenſatio, etiam ſi iuſtam cauſam retinendi haberet, ita habes in Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 17. & Nauar. cap. 25. nu. 127.

Et conſuetudo generalis eſt, quam Papa tolerat, vt quis habeat plura beneficia ſimplicia, vel vnum curatum, & alterum ſimplex, cap. 1. de conſuetud. lib. 6. dummodo cauſa auaritiæ, vel cauſa illicita non interueniat: Sed huic conſuetudini antiquæ, derogatum eſt, per Concil. Trid. vbi decernit, vt in poſterum, vnum tantum beneficium eccleſiaſticum curatum ſingulis conferatur, quod ſi ad vitam honeſte ſuſtentandam non ſufficeret, liceat aliud ſimplex retinere, dummodo non requirat vtrunque perſonalem reſidentiam: quare confeſſarij non debent abſoluere, habentes plura beneficia, quorum vnum ſufficit, niſi occurrat aliqua iuſta circunſtantia, & cauſa, cum diſpenſatione; Nauarr. capit. 25. num. 127. vſque ad 130.

Nota præterea multa requiri ad hoc, vt beneficium canonicè poſſideatur: Primum, vt impetrans beneficium, ſaltem narret ex ſtylo Curiæ, ſe eſſe clericum, vnde ſi dixit ſe eſſe clericum, cum non ſit, non valet impetratio: de tranſlat. ex literis, vbi de hoc, quia non reputatur habilis ad eccleſiaſticum beneficium, nec poteſt in clericorum numero computari; & licet ſit clericus, ſi non narrat in impetratione beneficij ſe eſſe clericum, non valet impetratio, non facta mentione clericatus: Ita notatur in cap. cum adeo, de reſcript. quod intelligendum eſt, quando alias eſſet beneficiatus.

Secundum, debet narrare vitium, ſi aliquod adeſt, ſuæ illegitimæ natiuitatis, vt ſi eſt ſimpliciter filius naturalis, vel ſpurius, vel inceſtuoſus; quia illegitimè nati ad ſacros ordines promoueri non poſſunt; Vide Bullam Sixti Quinti.

Tertium, requiritur ætas, quæ in obtinente beneficium curatum, eſt annorum vigintiquinque, quos ſufficit attigiſſe; Quo verò ad beneficia non curata, niſi ſint dignitatis, aut perſonatus, vigintiduorum annorum, quo ad ſimplicia quatuordecim, & qui ante illos beneficia percipiunt, peccāt, vt habetur in concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. & ſeſſ. 23. cap. 6. quamuis aliter eſſet de iure antiquo. Diſpenſare verò circa ætatem, nullus poteſt, niſi ſummus Pontifex; quia conſtitutio conciliaris eſt; cap. cum in cunctis, de elect. cōtra quam Epiſcopi non diſpenſant.

Quartum, narrare debet crimen, in quo ſe reperit inuolutum, quando crimen huiuſmodi reddit illum indignum beneficio: Ita Felynus in cap. poſtulaſti, col. 4. verſ. Declara etiam, de reſcript.

Quintum, narrare debet alias diſpenſationes, ſi pluries fuerit diſpenſatus, ratione aliorum defectuum, ita reſpondet Decius conſ. 95. num. 12.

Sextum, narrare debet aliud beneficiū, ſi quod obtinet, cap. ad audientiam, el 2. cap. in noſtra, de reſcrip. quod extenditur etiam, ſi tenue eſſet, vt probat text. in cap. ſi motu, de præben. lib. 6. Et non obſtat, quod ſi Papa ſciuiſſet nihilhominus literas conceſſiſſet, ex quo modicum erat: quia hodie eſt deciſum, quod non tenet, d. cap. ſi motu proprio; nā taciturnitas beneficij, quamuis modici vitiat gratiam, ſuper diſpenſationem beneficiorum conceſſam, non ſolum quo ad tacita, ſed etiam quo ad expreſſa, & ſic vitiatur in totum, vt patet per text. in cap. non poteſt, ver. prodeſſe, de præben. lib. 6. Immò tenetur etiam exprimere valorem beneficij; & ita eſt de ſtylo Curiæ, et habetur per Rotam deciſ. 19. at redditus; Item an ſit curatum, vel non, non autem diſtributiones quotidianas, quæ impropriè dicuntur manualia beneficia, ſicuti neque id, quod pro anniuerſarijs datum eſt.

Clericus igitur, qui non exprimit beneficium, eiuſq; valorem,

Digitized by Google

lorem, ac redditus, dicitur ſubreptitie impetraſſe, niſi eſſet ei collatum motu proprio, de quo debet fieri mentio in litteris: cap. ſi motu proprio, de præben. lib. 6. eſt autem motus proprius cum Princeps ad aliquid concedendum, ſponte mouetur; Ita Bald. in cap. niſi ſpiritualis, nu. 4. de offic. leg. qui etiam dixit, illud motū proprium dici, cum ad impetrãtis ſupplicationē eſt conceſſum, quia licet ita petitum ſit: tamen motus proprius dicitur, quia ita venit in mentem Pontificis concedendi, vt petitum eſt: effectus autem huius expreſſionis beneficij non operatur diſpenſationem, ſed tantum, quod non ſit ſubreptitium, & ipſo iure nullum, c. non poteſt, de præb. lib. 6. An autē debeat fieri mentio non ſolum de beneficio, ſed etiam de patrimonio, quod clericus habet, vide gloſ. in cap. poſtulaſti, de reſcriptis, ex qua poteſt inferri reſponſio ad duas quæſtiones, videlicet, An habens ſufficiens patrimonium, poſſit cum bona conſcientia petere, ſeu tenere beneficium eccleſiaſticum? Secundò, an in litteris ad beneficium obtinendum, ſit facienda mentio de patrimonio. Ad primam affirmatiuè reſpondetur; Illum poſſe petere, & tenere, dummodo hoc faciat, vt honeſtè viuat, quia non tenetur proprijs ſtipēdijs militare, cap. ex officijs, de præſcript. Ad ſecundum, communis eſt opinio, quod in litteris iuſtitiæ facienda eſt mentio de patrimonio, vnde per tales litteras non tenetur Epiſcopus prouidere, habenti ſufficiens patrimonium, pro hoc cap. tuis, de præbē. ſed in litteris gratiæ non eſt neceſſe facere huiuſmodi mentionem, Abb. in cap. cum ordinem, & cap. poſtulaſti, de reſcript. & huius diuerſitatis ratio eſt, quia per litteras iuſtitiæ, prouidetur ſolum pauperibus, ſed non dicitur pauper, qui habet patrimonium, cap. tuis, cap. Epiſcopus, cap. non licet, de præbend.

Sed litteræ gratiæ ſunt alterius cōditionis, non enim ſunt fundatæ in iuſtitia: de materia clauſulæ motus proprij, & ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis: vide latè per Cæſarem Vitellium Capuanum.

Septimum, debet exprimere ſi primum beneficium re ipſa non eſſet conſecutus; ſed ſolum habeat litteras ſuper im-

petratione; ita docet Cardinalis in Clem. 2. q. 12. de offic. ordin. Item, debet exprimere ſi primo beneficio eſſet ſpoliatus, nam impetrans ſecundum, debet illud exprimere, quia non perdit titulum per ſpoliationem, ſed ſolum poſſeſſionem, & propterea de titulo illo mentionem facere debet: Ita Abb. & Felyn. in cap. in noſtra, de reſcript. Item, debet exprimere ſi aliquod beneficium de facto teneret, vt ſi violenter occupauerit, quia ſi Pontifex intellexiſſet temeritatem occupantis, forte aliud non concederet, legis ſiquidem auxilio priuandus eſt, qui contra legem commiſit. Item, facienda eſt mentio in impetratione ſecundi beneficij, ſi primum, quod obtinet, eſſet manuale, ideſt ad nutum ſuperioris amouibile. Item, debet exprimere, ſi primo beneficio renunciaſſet, modo renunciatio à ſuperiore admiſſa non fuiſſet: ex cap. qui plures 21. q. 1. c. dudum el ſecondo, de elect. colligitur plura beneficia eccleſiaſtica eſſe incompatibilia: & ex cap. extirpandæ, §. qui verò de præben. & dignitatibus in 3. & c. eam te, de ætate, & qualit. c. expoſuiſti de præben. & c. ſuper eod. tit. lib. 6. Et ſi dixeris contra hæc omnia, pluralitatem beneficiorum licere, quando vnum pendet ab alio, ſicut videtur, quando duo beneficia vniuntur, cap. vnico 10. q. 3. Item ſi diximus, meſſem eſſe multam, & paucos operarios, vel ſi adduxeris conſuetudinem vniuerſi orbis Chriſtiani immemorabilem, vbi videmus permultos pluribus beneficijs eſſe permixtos: vel ſi addideris, liberum eſſe Papæ ſic velle, vt ſit pro ratione voluntas. Reſpondendum cenſemus, ratio, cur non liceat vni plures habere Eccleſias, eſt, quia vnus plures regere non poteſt: vel quia præſumitur propter auaritiam, vel ambitionem eas obtinuiſſe; ſi dixeris, qui benè præſunt, duplici honore digni ſunt, 1. ad Timoth. c. 5. & iuxta labores, & virtutes præmia ſunt largienda: & vnus pluribus eget, quàm alius, vel propter debilitatem, vel nobilitatem, gradum, vel animi virtutem, ob quam plures ad eum confugiunt, &c. Multa tamen ex aduerſo, hanc beneficiorum pluralitatem diſſuadent. Primum, quia quodlibet beneficium, iure communi, requirit reſidentiam perſonalem: per cap. conquærente, & c. fra. de cleric. non reſid. benefi-

cium

cium enim datur propter officium: & nemo in duobus locis, vno, & eodem tempore eſſe poteſt, vt patet experientia: & ſi dixeris, ſeruiat vni per ſe, & alteri per alium: dicendum erit, vbi eſt electa induſtria perſonæ, non ſufficit facere per alium: l. inter artifices, ff. de ſolution. c. 15. cui de off. deleg. lib. 6. & in promouendis ad beneficia, eligetur induſtria perſonæ, cui præcipitur ſeruitium perſonale: notatur præiudicium Eccleſiæ, & animarum, c. cum in cunctis de elect.

Secundum, diſſuadet ſeptima ſynodus: in cap. 1. 21. quæſt. 1. clericus ab inſtanti tempore, in duabus Eccleſijs nõ commoretur; concordat Calcedonenſe, & Agatenſe; c. clericum, & c. vnum 21. q. 1. & Lateranenſe in c. quia in tantũ de præben. Et ſi dixeris cum Lutero, errores eſſe Canoniſtarum, dicemus & nos hanc reſponſionem eſſe temerariam, & dignam Lutero: Papa enim, & Chriſti Vicarius, poteſt dubia declarare, & condere leges, & ſtatuta, & conſtitutiones facere.

Tertium, diſſuadent rationes fundatæ in iure diuino, & naturali, quibus Concilia, & Romani Pontifices prædicta ſtatuerunt; dicit enim Euangelium, Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, Matth. 6. & ratio naturalis dicit, pluribus intentus, minor fit ad ſingula ſenſus; dictatq; eadem ratio, ſingula ſingulis officia eſſe committenda perſonis; & quod nulli quamuis exercitatæ perſonæ, vno tempore duorum officia ſint committenda. Deinde D. Paulus dicit, Eccleſiam eſſe corpus myſticum, in quo vnum membrum non fungitur officio alterius: Adde, quod voluntas fundantium beneficia fruſtraretur, quia vnum vni, & non plura relinquerunt. Ex quibus omnibus colligitur, diuina, & naturali ratione, vetitam eſſe hanc beneficiorum pluralitatem, & ſtatuta Conciliorum, & Pontificum in hac re, magis eſſe iuris naturalis, & diuini declaratoria, quam noui promulgatoria.

Quartum, qui in dubio eligit partem minus tutam, peccat, per cap. ad audientiam de homicid. Et qui amat periculum, peribit in illo, Eccl. c. 3. ſed quis neget prædicta facere, rem ſaltem dubiam, & tutius eſſe à pluralitate abſtinere?

Quintum, monent poſtremò octo illa inconueniẽtia, quæ conſequuntur ex illa pluralitate, quæ colliguntur ab extrauagan-

uagante execrabilis Io. 22. de præbendis. Primum, quod interdum vnus, qui vnicum quamuis modicum, vix implere officium ſufficit, ſtipendia ſibi vendicet plurimorum, quæ multis litteratis viris, vitæ probitate inſignibus, qui mendicant, poſſint abundè ſufficere æqua diſtributione collata. Secundum, paratur vagandi materia. Tertium, cultus diuinus minuitur. Quartum, hoſpitalitas in ipſis beneficijs debita non ſeruatur. Quintum, dum non ſunt præſentes Rectores Eccleſiarum, carent illæ defenſoribus. Sextum, in honore, commodo, & iuribus ſuis, & libertatibus multipliciter collabuntur. Septimum, animarum cura negligitur. Octauum, vitijs fomenta præbentur.

Sed ſalua matris Eccleſiæ ſententia, quid propius verò videatur referam. Primò, hæc pluralitas, non eſt iure diuino expreſsè prohibita, cum in ſacra Scriptura non fiat mentio de illa, ſecundum S. Thom. quodlib. 8. ar. 15. Secundò, ſecluſo iure poſitiuo, attèto naturali, pluralitas beneficiorum de ſe mala eſt, cum ex illa tot inconuenientia oriantur. Præterea non video, quare etiam attenta ſacra Scriptura, pluralitas non ſit mala, cum etiam ex illa eliceatur huiuſmodi malitia, ac ſubinde non ſapiat differentiam, quam S. Tho. & ſequaces ibidem circa hoc faciunt inter ius naturale, & diuinum. Tertiò, hæc pluralitas non eſt de genere illorum malorum, quæ nulla circunſtantia honeſtari poſſunt: qualis eſt fornicatio, adulterium, &c. ſed de genere illorum malorum, quæ abſolutè quidem deformitatem præſeferūt, & mala ſunt abſolutè, 45. diſt. per totum: ſed ex aliqua circunſtantia redduntur bona, vt ſi fiat ad defenſionem, ſiue ad caſtigationem legitimam: è cōtra verò quædam ſunt ex genere ſuo quidem bona, ſed ex circunſtantia fiunt mala: vt dare eleæmoſynam, bonū, & pium eſt ex ſe, ſed ſi fiat malo fine, vel ſi des ex alieno, ſit impium: ex quibus infertur, primo illos errare, qui dicunt habere plura beneficia, eſſe quid indifferens, nec ſuapte natura eſſe bonum, vel malum, ſicuti etiam habere plura poma, ſecluſio iure poſitiuo: quem errorem damnat D. Thomas vbi ſupra.

Infertur ſecundò, quod ſecluſo iure poſitiuo, ſi aliqua circun-

cunſtantia interueniat, quæ pluralitatem iſtam beneficiorum honeſtam reddat, licebit ſine aliqua diſpenſatione, vt affirmat S. Thomas in d. art. 15. & probatur in arg. 3. pro prima parte, & in arg. fin.

Infertur tertiò, quod pluralitas beneficiorum, vt quis ſit ditior, vt lautius viuat, vt facilius perueniat ad Epiſcopatum, peſſima eſt, probatur, quia ſi bonum genere ſuo ex circunſtantia mala, fit malum, ſequitur, quod ex genere ſuo malum videtur, ex circunſtantia mala fieri peſſimum.

Infertur quartò, hanc pluralitatem honeſtari, ex inſufficientia vnius beneficij: arg. c. poſtulaſti: & c. cum adeo, de reſcript. & c. 15. cui de præb. lib. 6. & in hac ſufficientia, attenditur qualitas perſonæ, nam vir nobilis, litteratus, virtute magna præditus, delicatus, pluribus eget, vt probant adducta in arg. pro prima parte, fortè etiam, quia parentes, & nepotes iure naturæ ſuæ prouiſioni relictos habet; pluribus eget, quàm alius, cæteris paribus ex mente Caietani 22. q. 100. art. 4. pro quo facit textus in c. ſtudeat 50. diſt. & gloſ. in d. cap. cum adeò, verbo debet: Debet enim ſufficientia eſſe talis, vt ſufficiat ſibi, & ſuis, ideſt quos neceſſariò ſecum habere debet; illos autem neceſſariò intelliges, quibus iure naturæ tenetur prouidere, vel ad ſuam decentiam oportet habere.

Infertur quintò, hanc pluralitatem, honeſtari neceſſitate; ſiue quod non reperiuntur alij idonei: ſiue quod Eccleſiæ egent eius induſtria, vel protectione, ſeu reparatione, & ædificijs; & niſi illud ſuſciperet, qui aliunde viuere poſſet, non poſſet eas reficere; capere enim hac intentione ſecundum beneficium, & poſtea fructus conuertere in talem reparationem, ſanctum putauerim: arg. cap. de his, de Eccl. ædif.

Sextò, hanc pluralitatem, honeſtare videtur miſericordia erga clericum pauperem, qui cum habet titulum canonicum, propter potentiam tamen aduerſarij, non poteſt ius ſuum, ad portum ſubducere: Mouet ad hoc, practica Curiæ Romanæ à Cardinalibus; & ferè omnibus curialibus, Papa ſciente, tolerata, modo non fiat ſimoniace.

Innoc. præterea in cap. cum iam dudum de præben. &

Car-

Cardin. in Clem. gratia, de reſcriptis, noluerunt, quod liceat tenere plura beneficia pura mente, non propter auaritiam, vt theſaurizet, nec propter ambitionem, vt maiorem habeat familiam, vel honorem, nec propter gulam, vt lautius viuat; ſed vt diſtribuat ſuperflua in opera pia, vel in pauperum ſuſtentationem. Sed communis opinio contraria eſt, vt per gloſ. fin. in cap. dudum de elect. per Abbatem, in cap. extirpandæ, §. qui verò, col. 17. de præben. quia vt dicit Cardinalis, totus mundus damnatur per hanc opinionem. Non audeo tamen damnare primam, quoniam illam, etiam credo veram, duobus interuenientibus: Primò, quòd occurratur inconuenientibus, ex hac pluralitate naſcentibus: Secundò, vt principalis intentio capientis, ſit opus pium, alimenta ſcilicet pauperum, reparatio Eccleſiarum, Collegium Scholariū, & id genus alia, & hanc intentionem ſequatur opus. Nam hæc intentio cum opere ſequenti, eſt bona circunſtantia, & videtur ſufficere ad honeſtandam pluralitatem de ſe malam, honeſtabilem tamen vt dictum eſt.

Nulla denique Epiſcopi diſpenſatio, vel etiam Papæ in conſcientia prodeſt circa pluralitatem huiuſmodi, niſi adſit aliqua circunſtantia honeſtans eam: quia per ſupradicta, illa eſt iure naturæ, & diuino ſaltem implicitè prohibita: quare diſpenſatio ſine cauſa, prodeſſe nō poteſt, coram Deo, ſicuti neque circunſtantia ſola prodeſt, ſine diſpenſatione, in illis beneficijs, quæ vltra ius naturale, per ius poſitiuum non derogatum conſuetudine prohibitum eſt tenere ſine diſpenſatione, ex mente communi, & Cardinalis, vbi ſupra. Hæc ex Nauarro de incompatibilitate beneficiorum.

De Confidentia.

Confidentia à verbo confido deducitur, & nota in fide poſita eſt: & ſic definiri poteſt, confidentia eſt certa ſpes de re aliqua, quod ita fuit, eſt, vel erit: vt docet Nauarrus in manuali cap. 23. nu. 109. & ſic continet tempus præſens, præteritum, & futurum: & teſte Nauarro, quandoque ſonat in bonam partem, quando

do ſcilicet ſperatur quod licitum eſt, & honeſtum, ſecundum ius, & conſuetudinem: vt colligitur ex Archidiacono in c. poteſt, de pœnit. diſt. 3. iuxtà illud, In Domino confido, & hæc eſt bona, licita, & permiſſa, & dicitur propriè induci. Quandoque accipitur in malam partem, quoties quis inordinatè ſperat, quod eſt illicitum, prohibitum, aut inhoneſtum, & indecorum, vt adnotatur in cap. cum ad noſtram, de elect. cap. per laicos 16. q. 7. ex hoc colligimus, confidentiam beneficialem, duplicem eſſe, licitam, & illicitam: licita erit, quando quis ordinatè confidit, conferendum ſibi beneficium, aut fratri, aut alio conſanguineo, vel alteri, dignis tamen; ita Nauarrus loco citato: ideo dignus, iuſtè poteſt ſperare ſe conſecuturum beneficium, iuxtà illud, qui epiſcopatum deſiderat, & c. 1. ad Timot. Illicita eſt, quando quis inordinatè confidit, quod collator, aut alius conferat, aut renunciet beneficium ſibi, aut alteri indigno; & contra modum, & formam: in cap. cum in cunctis de elect.

Rurſus confidentia beneficialis illicita, duplex eſt, vt Nauar. loco citato. Quædam enim eſt illicita, non ſimoniaca, quoties quis confidit inordinatè, quod collator conferat beneficium ob parentelam, aut amicitiam, aut ſeruitia, indigno, ſine tamen pretij, pacti, modi, vel conditionis interuentu, Nauar. c. 23. n. 109. & quamuis Epiſcopus habeat facultatem conferendi ſuis, & alijs, intelligendum tamen eſt ſecundum commun. opin. nam hoc eſt principale requiſitum in conferendis beneficijs: quia digni poſſunt ordinari, & ſeruire Eccleſijs principaliter vt Deo ſeruiant; & ſecundario vt dignitatem, & beneficia conſequantur, pauci enim ſunt, qui virtuti ſtudeant, ſine vlla ſpe conſequendi aliquid, iuxta illud Iuuenalis, Quis virtutem amplectitur vllam, præmia ſi tollas? & ideò non peccat, qui mutuat pecuniam, vt iuuet conſanguineum, amicum, & proximũ, quamuis minus principaliter, & ſecundario ab eis ſperet aliquid ex hoc: gloſ. in cap. conſuluit de vſuris; & eſt communis opinio, teſte Nauar. in man. cap. 17. nu. 209. S. Tho. 2. 2. q. 78. ar. 2. ad tertium: quare quamuis talis confidentia ſit illicita, non tamen eſt ſimoniaca; quia in ea non adeſt pactum, modus, ſiue

conditio, ſeu venditio ſimoniaca: ita Theologi omnes in 4. diſt. 25. D. Tho. 2. 2. q. 100. ar. 1. & propterea de hac non loquemur hic, cum conſtitutiones Pij Quarti, & Pij Quinti de hac non loquantur.

Quædam verò eſt confidentia beneficialis illicita ſimoniaca, quæ hodie eſt prohibita, & punibilis, & de hac loquimur hic, & hæc eſt ſpecies ſimoniæ, quæ à Nauarro in cap. 23. nu. 109. ſic diffinitur; confidentia ſimoniaca eſt illa, qua quis confidit, quòd collator conferet beneficium mediante precio, pacto, modo, vel conditio expreſſa, vel tacita indigno: ſed quia hæc definito loquitur tantum de conferente cum confidentia, & non de reſignante, & ideo cum non conuertatur cum ſuo definito, neq; comprehēdat omnes ſpecies, erit defectiua; ff. de reg. iuris. eo magis cum non habeat genus: propterea aliam definitionem Maſcardi de probat. Conclu. 1306. nu. 2. adducemus. Confidentia inquit eſt ea, qua quis confidit, quod aliter acceptans beneficium, ſibi poſtea, vel alteri conferat: nam ipſe confidit in amico, familiari, ſeu conſanguineo, vel ex pacto, vel alia quauis cauſa, & occaſione, quæ etiam definitio non mihi probatur tanquam defectiua, & non comprehendens omnes caſus, loquitur enim ſolum de acceptante beneficium, ea intentione, vt renunciet poſtea alteri: & tamen committitur, confidentia etiam per illum, qui habet beneficium, illudq; renunciat ea mente, vel conditione: ideò eſt defectiua.

Terciò modo diffinitur in curia, per quoſdam iuris peritiſſimos, ſic confidentia eſt conuentio tacita, vel expreſſa de renunciando beneficium ad fauorem alterius, ſed & hæc eodem morbo laborat, quia non comprehendit omnes caſus.

Ego autem cum Reuerendiſs. Pariſio, ita deſcriberem, confidentia eſt ſpes quædam, quòd collator conferat; patronus præſentet, eligens eligat, aut quis accipiat, vel renunciet beneficium, pacto, modo, vel conditione expreſſa, vel tacita, ſibi, aut alteri: quæ cum habeat genus, differentias: contineat qualitatem rei definitæ, ac omnes caſus, & conuertatur cum ſuo definito, erit tenenda bona definitio.

2. In hac definitione, ponitur ſpes loco generis, quia bo-

na definitio, debet habere genus; & hoc verbum ſpes eſſe generale, negabit nemo; cum ſit rerum futurarum expectatio.

2. Dicitur, quòd collator, vt ſub hac definitione comprehendatur ea confidentia, quæ inter conferentem, & eum, cui fuit collatum beneficium, committitur; vt colligitur ex conſtit. Pij Quinti: ſicuti enim committitur ſimonia, quoties aliquid datur, vel promittitur collatori, pro collatione beneficij: ita beneficia debent dari ſimpliciter, & gratis, & abſque conditione, & modo.

3. Dicitur patronus: vt comprehendatur confidentia, quæ committitur inter patronum, & præſentatum, de qua etiam loquitur conſtitutio Pij Quinti.

4. Dicitur eligens: vt includat ſimoniam, quæ ſolet committi inter eligentem, & electum.

5. Dicitur aut quis accipiat: vt comprehendatur confidentia, quæ poteſt committi in receptione beneficiorum, cum pacto ceſſionis, vel retroceſſionis, aut alias.

6. Dicitur vel renunciet: vt comprehendatur confidentia, quæ committitur inter reſignantem, & reſignatarium, quæ eſt frequentior: nam reſignatio debet purè, liberè, & ſimpliciter fieri.

7. Dicitur pacto, modo, & conditione, quia ad hæc tria poteſt reduci omnis confidentia: pactum enim prohibetur in beneficialibus: & fit quoties quis accipit beneficium per reſignationem, collationem, aut alio modo, & promittit illud retrocedere, vel reſignare certis temporibus conuentis: vt habes in conſtit. Pij Quinti, §. quare nos volentes. Vel promittat fructus, aut penſionem: vt in eadem conſtit. §. itidem dicitur. Ita quoque modus prohibetur, in collatione, reſignatione, electione, & præſentatione beneficij, cap. cum quidem, de pact. gloſ. & Do. in cap. cum vniuerſorum, de rerum permutatione: item poteſt intelligi de conuentione facta, de qua loquitur Pius Quintus in dicta conſtit. §. itidem, nam eadem eſt ratio, facti, & expreſſ.

8. Dicitur ſibi, aut alteri; quia hæc parificantur, quod promiſſio fiat collatori, reſignanti, eligenti, patrono, vel alijs. Quoniam beneficia debent dari abſolutè, vt cui dan-

tur, competat omne ius, & omnimoda adminiſtratio, quæ ei requiritur: ex collatione cap. 1. de reg. iur. lib. 6. Ideò pactio ſuper diſpoſitione illius iuris, ac adminiſtrationis, & fructuum redolet ſimoniam, & confidentiam prohibitam: ita docent Doctores omnes. Super hoc, videndum eſt cap. per tuas el terzo, in titulo de ſimonia. Vbi Innoc. III. cap. 87. multa dicit.

Differentia inter Confidentiam, & Simoniam.

COmmunis eſt opinio, ſimoniam, & confidentiam valde inter ſe differre, quod vt clarè pateat, ſciendum eſt, ſimoniam à Doctoribus ſic definiri, vt habes etiam ſupra.

Simoniam eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi ſpirituale, vel ſpirituali annexum: nam vendentes, & ementes, Dominus eiecit de templo.

Hæc ſimonia committitur per dationem, & promiſſionem pro conſequendis ſpiritualibus, vel illis annexis; quoties aliquid datur pro ordinibus recipiendis, pro Baptiſmo, pro ſacramento Pœnitentiæ, pro ſacra Communione, pro Chriſmate, & pro cæteris ſacramentis, pro dedicandis Baſilicis, & conſecratione Eccleſiarum, vel altarium, pro Eccleſijs conſequendis, pro beneficijs habendis, & pro alijs honoribus Eccleſiaſticis, & pro conſecratione ipſorum, & pro exercendo quocunque miniſterio eccleſiaſtico, pro decimis, pro oleo ſancto, pro qualicunque re ſacra, pro ingreſſu monaſterij, pro ſepeliendis mortuis, & exequijs ipſorum, pro homagio, & fidelitate præſtanda, pro benedictionibus nubentium, pro abſolutione excommunicati, pro Vicariatu, & alia adminiſtratione, pro benedictione Abbatum, & admiſſione clericorum, pro reconciliatione non pœnitentis, & tegendo peccatorem, & pro alijs annexis ſpiritualibus conſequendis; & hæc huiuſmodi ſimonia, vel eſt realis, vel conuentionalis: dicitur realis ab actu, ſcilicet à rei traditione, quia, in dando reum, & recipiendo conſiſtit. Conuentionalis à conuentione, quia promittitur; realis dicitur vt ſi

ſpiritualium acceptio, vel collatio non gratuita; ſed quia in ſuperiori definitione non fit mentio de annexis ſpiritualibus, in quibus committitur ſimonia: idcircò Card. & Abb. in cap. nemo de ſimon. alio modo definiunt, dicunt enim ſimonia eſt crimen, propter quodcunque geſtum, vel commiſſum circa ſpiritualia, vel illis annexa, quo aliquod temporale emolumentum, pro ſpirituali non gratuitè acceptatur, vel communicatur: vel melius, & clarius dicas cum Nauar. cap. 23. marc. 1. 105.

Realem ſimoniam eſſe conuentam, expreſsè, vel tacitè ex vtraq; parte completam; ſaltem quoad aliquam partem promiſſorum vtriuſque partis, cuius definitionis verba declarat Nauarrus ibi.

Conuentionalem verò definit Archid. in cap. quicunque 1. q. 1. vt ſit ſpiritualium, vel annexorum præcedente pacto promiſſionis, conditionis, modi, ſeruitij, precij, aut cuiuslibet temporalitatis receptione; aut donatione: de qua ſimonia conuentionali loquuntur cap. cum pridem, c. pactiones de pact. cap. ſuper eo, de tranſact. cap. cum eſſent: de ſimon. & eſt duplex: quædam ex neutra parte executa, & hæc propriè dicitur conuentionalis, cum ſtetur in terminis nudæ promiſſionis, & conuentionis, & nulla ſequuta ſit traditio rei, & temporalis dationis: quædam ex vna tantum parte exequuta: quæ tranſit in realem ſecundum aliquos, ſi compleatur ex parte illius, qui promiſit ſpirituale; nam tunc id ſufficit ad conſtituendum ſimoniam realem: ſecus autem eſt in implemento promittentis temporale, nam non efficit, vt ſimonia deſinat eſſe conuentionalis, & fiat realis ſecundum Caiet. 22. q. 100. ar. 6. ad 6. ſed ſecundum receptionem, quam ſtylus obtinuit, nunquam efficitur realis, niſi ab vtraq; parte exequatur, quod promiſſum eſt, & compleatur, vt Nauar. cap. ſup. & nu. 103.

Item differūt, quia realis ſimonia habet annexam excommunicationem, & priuationem ipſo iure, per extrauag. Pauli 2. Cum deteſtabile: Item realis ſimoniacus, triennalis defendi non poteſt, vt fuit reſolutum in Rota 1514.

Vterque tamen & realis, & conuentionalis eſt inhabilis ad

Dd obi-

Digitized by Google

obtinendum de cætero beneficia, vt fuit reſolutum in Rota 1551. ſed ſimonia conuentionalis frequentior eſt reali, cum promiſſiones facilius fiant, quam donationes, vt experientia docet: quibus præmiſſis, ſi quæratur, an confidentia differat à ſimonia reali; Reſpondendum eſt, magnam inter eas eſſe differentiam: cum ſimonia realis committatur actualiter per dationem, & receptionem rei, vt docet Archid. in cap. quicunque 1. q. 1. Confidentia verò per promiſſionem, & interpoſitionem fidei, cum tota in fide ſit poſita, & ideò confidentia, de qua hic loquimur, non comprehenditur in definitione ſimoniæ realis, ergo differunt inter ſe: quod etiam oſtendit deriuatio vocabulorum, nam realis dicitur ab actu, confidentia à fide, quamuis quo ad pœnam paria ſint: nam ſicuti ſimoniacus realis, ipſo iure excommunicatur, & priuatur, ita & confidentiarius iure nouiſſimo ex conſtitutionibus Pij Quarti, & Pij Quinti; & ſicut ipſo iure eſt nulla collatio, & reſignatio, vbi interuenit ſimonia realis, ita eſt nulla collatio, electio, præſentatio, reſignatio, intercedente hoc vitio confidentiæ, vt expreſsè dicitur in ipſis conſtitutionibus; & vterq; fit inhabilis ad alia obtinenda, vt fuit reſolutum in Rota 1551.

Si autem quæratur, an confidentia differat à ſimonia conuentionali; reſpondetur, hoc crimen confidentiæ, eſſe ſpeciem ſimoniæ conuentionalis, & propterea in multis æquiparantur: nam ſicuti collatio, reſignatio, præſentatio, electio per ſimoniam conuentionalem, eſt nulla: ita & intercedente confidentia: & ſicut ſimoniacus conuentionalis eſt inhabilis ad obtinendum in poſterum beneficia, iuxta Rotæ reſolutionem, prior tamen eſt hæc conuētionalis ſimonia confidentiæ beneficialis, alia conuentionali beneficiali, qua palam emitur, vel venditur beneficium, quia per illam non annullantur acta ipſo iure, nec incurritur aliqua excommunicatio, antequam ab vtraq; parte impleatur, per hanc autem confidentiam ſic, quia eo ipſo, quod quis accipit beneficium, antequam impleat, quod promiſit, ipſo iure eſt excommunicatus, & ipſo iure collatio ei facta eſt nulla, & tenetur ad reſtit. fructuum omnium, quos percepit: ratio cur maior pœ-

Digitized by Google

ſæ imponitur eſt, quia plurium frequentabatur confidentia, ante Pium Quartum, & ratione frequentiæ delictum reputatur maius.

De ſimonia autem mentali, non eſt neceſſe differere, cum ea ſit communis omnibus prædictis, nam conſiſtit in animo, & intentione praua in beneficialibus, & eis annexis: & cum in mente ſit poſita, ſoli Deo eſt cognita.

Origo, & cauſa Confidentiæ beneficialis vnde.

Confidentia illicita, de qua loquimur, inuenta eſt, à volentibus Canones defraudare, vt colligitur ex conſt. 87. Pij Quinti, in §. multi: ſicuti etiam origo fideicommiſſorum, quæ habuit originem à volentibus legem circumuenire, & ita appellatur, quia tota in fide illius, qui recipiebat beneficium, vel illud habebat, poſita erat, vt Nauar. man. cap. 23. num. 109. moti ex illo vulgari dicto, quod fides etiam hoſtibus eſt ſeruanda; dummodo ex fidei obſeruantia, non reſultet illicitum: nam tunc fides eſt potius reſcindenda, quam ſeruanda; & regulariter, vbi fides non eſt ſolemnis, & obligatoria, quis non poteſt conſtringi ad illam ſeruandam: & ideo, qui recipiebat, aut tenebat beneficium in confidentiam à principio, non poterat conſtringi ad fidem ſeruandam: poſtea praua conſuetudine, patienter cœpit tolerari, & ius reddi pro fide ſeruanda in ſupremis tribunalibus.

Hæc confidentia ſimoniaca eſt prohibita iure humano, non autem diuino, cum Papa ſuper eam diſpenſare poſſit, nam ſi eſſet prohibita iure diuino, Papa non poſſet ſuper eam diſpenſare, quia ius diuinum eſt immutabile: & ſolus conditor legis poteſt ſuper ius ſuum diſpenſare, & tollere: quod facere non poteſt Papa, cum ſit Dei Vicarius in terris, & illi inferior: quam legem diuinam tenetur Papa vſq; ad ſanguinem defendere: per cap. ſunt quidam 25. q. & contrarium facienti, non erit parendum.

Immo prohibetur iure communi, vt docet Nauar. in man. cap. 23. num. 109. & eſt deciſio Rotæ Romanæ deciſ. 90.

quæ incipit, Fuit concluſum, lib. 1. in manuſcript.

Et tolerabatur olim, vt creditur propter vtilitatem, quæ reſultabat pluribus curialibus, quorum fauore id fuit prauia conſuetudine toleratum. Sed Pius Quartus primus omnium prohibuit confidentias, anno quinto ſui Pontificatus, in odium duorum Cardinalium, tenentium beneficia in confidentiam, vt notum eſt his, qui in Curia eo tempore erant: & ideò in prohœmio eius, etiam Cardinales nominat, & dicit eos admonuiſſe, & monitioni ſuæ non paruiſſe, ex immoderata erga ſuos indulgentia; & propterea decreuit omnia beneficia taliter recepta, vacare cum omnibus collationibus, & promiſſionibus ſequutis, prohibens id ſub cenſuris fieri; ſed quia, vt experientia docuit, ob difficultatem probandi huiuſmodi confidentias, beneficia ante hanc conſtitutionem recepta retinebant, & alia accipiebant, contempta prohibitione, & Iudices remiſsè agebant, ita vt tale delictum impunitum remaneret: Pius Quintus fel. rec. aliam conſtitutionem edidit contra Confidentiarios, quæ incipit, Intolerabilis bulla 87. anno 4. ſui Pontificatus, in qua innouat, ampliat, & interpretatur conſtitutionem Pij Quarti, vt Nauar. conſil. 36. num. 2.

Immo idem Pius Quintus reſeruauit ſibi, & omnibus ſucceſſoribus ſuis omnes cauſas confidentiales; & propterea aliam edidit cõſtitutionem ſecundo anno: & habetur in Bullario in ordine 52. Quæ confidentia habet locum in omnibus beneficijs, & dignitatibus, ac Monaſterijs, & Eccleſijs, etiam in Conſiſtorialibus, & Eccleſijs Cathedralibus, & Metropolitanis, etiam in monialibus, & comprehendit omnes, & ſingulas perſonas eccleſiaſticas, & laicas, etiam patronatus habentes, etiam conſtitutos in dignitate, etiam Abbates, Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, Cardinales, &c. & confidentia habet locum, ſiue collatio fiat a Papa, ſiue ab Ordinario, tam in vacatione beneficij, quæ fit per obitũ, quam in illa, quæ fit per reſignationem: vt optimè docet Pariſius in d. confidentijs benef. q. 7. nu. 7. vſq; ad finem.

Quæ confidentia fuit prohibita à Pio Quarto, & Quinto, duplici ratione.

Primò, quia eſt crimen ſimoniæ conuentionalis, quæ prohibita eſt.

Secundò, quia inter ea, quæ de ſacrorum beneficiorum adminiſtratione, & diſtributione ſancita ſunt, ſacris Concilijs, & Canonibus, tria potiſſimum apud antiquos Patres, præ oculis habuiſſe compertum eſt. Primum, vt beneficia eccleſiaſtica, perſonis idoneis ætate, vita, & doctrina conferãtur, per cap. cum in cunctis: & concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 5. nam idoneus dicitur, qui præditus eſt maturitate ætatis, morum grauitate, & litterarum ſcientia.

Secundum, vt hæreditaria ſucceſſio procul à beneficijs arceatur.

Tertium, ne plura beneficia vni perſonæ regenda committantur, cap. quia in tantum, cap. ad hæc, cap. cum non ignores, cap. referente, &c. & plerunq; tali via, laicus poſſidebat beneficia contra omnes canones, cap. cum adeo.

Ideò ad tollendum hunc abuſum, Pius Quartus hanc edidit conſtitutionem; & quantum in ſe fuit, prohibuit confidentias, quam Pius Quintus eius immediatè ſucceſſor confirmat, & alteram edidit ampliorem.

Vnde ſciendum eſt, multis rationibus confidentiam poſſe committi.

Primò, quando clerici non poſſunt iure retinere beneficia: nam tunc libenter illa dimittunt, conuentione præmiſſa percipiendi fructus, penſionem, vel diſponendi ad libitum de ipſis beneficijs: quia ipſo iure arcentur à beneficijs, & non poſſunt illa retinere, & ideò prædicti non poſſunt reſignare in fauorem alicuius: Anton. de Butr. conſ. 43.

Secundò, qui vult contrahere matrimoniũ: nam per contractum matrimonij vacat beneficium, eſt cõmunis opinio.

Tertiò, qui eſt intenſus, is enim iure beneficia retinere non poteſt, Innoc. & Abb. in cap. niſi cum pridem de renunc. & eſt communis opinio, ſicuti pluries fuit reſolutum.

Quartò, qui non habet primam tonſuram requiſitam ad beneficia, communis eſt.

Quintò, qui ſubreptitie expedierunt Bullas beneficiorũ, cum multa debeant in ſupplicationibus narrari, & exprimi, alias literæ nullæ ſunt.

Sextò, qui non publicant ſuas reſignationes, vt diſponit conſtitutio Gregorij Decimitertij.

His enim caſibus, & ſimilibus, cum videat beneficiarius non poſſe iure retinere beneficiũ, & teneri in foro conſcientiæ illud dimittere: cogitat diſponere de eo, deponendo illud, vt fructus conſequatur, vel vt recipiens, ad nutum illius dimittat.

Secunda cauſa eſt, ne cogantur beneficiarij ſacros ordines recipere, quædã enim ſunt beneficia, ad quæ obtinenda non ſufficit prima tonſura, vt de omnibus regulariter ſcribunt omnes Doctores: & habetur ex concil. Tridẽ. ſeſſ. 23. cap. 6. de reform. ſed requirũtur ordines ſacri, vel vt ſint in ea ætate, in qua infra annum ad illos promoueri poſſint, vt de beneficijs curatis dicitur in cap. licet, canon. de elect. lib. 6. De dignitatibus eccleſiaſticis habetur in cap. 12. ſeſſ. 24. de reform. in cap. cum in cunctis, de elect. de alijs in capit. 12. concil. §. neminem, &c.

Quãdo enim aliquis habuit beneficium aliquid ex prædictis, & illud tenuit per ſex, vel octo menſes, quo tempore tenetur dictos ordines ſacros ſuſcipere, eoſq; ex aliqua cauſa non vult ſuſcipere, cogitat de diſponendo de ſuo beneficio, aut alias alteri confidendo circa fructus, penſionem, & titulum.

Tertia cauſa committendi confidentiam eſt, ne beneficiarij cogantur ad reſidentiam: quæ quamuis ſit valdè vtilis, & neceſſaria ad reſtituendam collapſam Eccleſiæ diſciplinam, & ad corrigendos deprauatos populi mores, vt ſacrum conc. Trident. docuit, ſeſſ. 6. cap. primo, de reform: plures tamen ſunt, qui illam ſubterfugere nituntur, & varijs de cauſis, & prætextibus quærunt in Vrbe commorari, vel alibi: & propterea graues pœnæ imponuntur contra non reſidentes: Ne igitur quis cogatur abire, & non ad ſuam reſidentiam accedere, cogitat quomodo poſſet illud deponere in aliquẽ, cauſa percipiendi fructus, vel diſponendi de titulo: & hac ratione poſſet quis induci ad committendum hoc ſcelus, confidendo de amico, vel conſanguineo, quæ concluſio poteſt dici de omnibus beneficijs, præter ſimplicia, quæ de neceſſitate non requirunt reſidentiam. Quar-

Quarta cauſa eſt, ne beneficiarius cogatur ad incedendum in habitu, & tonſura clericali; quia omnes in ſacris conſtituti, vel beneficia qualiacunq; obtinẽtes, tenentur deferre habitum clericalem, vt habetur in concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 6. de reform. multi enim varijs de cauſis egrè ferunt huiuſmodi habitũ deferre; vel quia paruipendunt religionem, vel propriam dignitatem, vel vt ſint expeditiores ad vanitates, aut ob tenuitatem beneficij, vel vt deferant veſtes laicorum, pedes in diuerſis ponentes vnum in diuinis, alterum in carnalibus, vt optimè conſiderat concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 6. Ideò cogitant de renunciando beneficio amico, vel alij, ne cogantur deferre habitum, & fructus percipere poſſint: vel vt ſint ſecuri ex eadẽ pactione poſſe idem beneficium habere, quando voluerint, &c.

Quinta cauſa, vt beneficiarij poſſint ad bellum proficiſci, vel hinc inde vagari: habens enim beneficium, miles effici non poteſt. Cum autem quis in minoribus conſtitutus, habens beneficium, velit ad bellum proficiſci, ne illud amittat, cogitat de amico circa fructus, vel titulum ipſius beneficij: quo caſu eſſet commiſſa confidentia, & quod clericus nullo modo poſſit intereſſe, & interuenire in bello, ſcribit poſt alios Abb. in c. ſententiam nu. 16. ne cler. vel monachi.

Sexta cauſa eſt, vt beneficiarij poſſint inimicos occidere, quia cum iure diuino, ciuili, & pontificio ſit prohibitum homicidium, vt habetur in tit. ff. ad leg. Corn. de ſicar. & extra de homicid. multò magis clericis, qui vltra pœnam ordinariam impoſitam à legibus, & canonibus, fuiſſent etiam irregulares: ita vt non poſſint promoueri, neq; promoti miniſtrare, neq; vt poſſint habere beneficia, nec habita retinere: vt colligitur ex c. 22. Exod. & 28. Paralipom. & c. 7. 2. Regum, & ſeſſ. 21. concil. Trid. c. 7. de reform. Idcircò ne ex eo delicto amittant beneficium, recurrunt ad fraudem, vt illud deponant, confidendo de aliquo ad hoc, vt poſſint de fructibus, vel de titulo diſponere, quãdo voluerint: quæ eſt confidentia.

Septima cauſa eſt, vt beneficiarij conſtituti in ſacris, alieno nomine lites agant, & defendant, non enim poſſunt tales

eſſe ſollicitatores, procuratores, & aduocati in iudicijs, quia clerici ſe negotijs ſecularibus immiſcere non debent: clerici namq; debent verſari circa vitam contemplatiuam, nec curam habere de rebus temporalibus, niſi quatenus ſunt neceſſaria ad vitam corporis ſuſtentandam, cap. ſi quis obiecerit, 1. q. 1. Ideò cum non poſſint talia exercere, recurrunt ad fraudem, reſignando beneficium amico, vel conſanguineo, pactione præmiſſa percipiendi fructus, vel diſponendi, quando, & quomodo libuerit de titulo, quæ eſt confidentia.

Octaua cauſa eſt, cum beneficiarij propter crimina ab eis commiſſa fiunt incapaces ad obtinenda beneficia, & priuantur obtentis: vtputa, quia commiſerunt homicidium, vel alia crimina: hi enim cum amittant beneficia, ne ea poſſint à quocunque impetrari, recurrunt ad fraudem, reſignando beneficia, ad effectum percipiendi fructus, vel diſponendi de illis quomodocunque, quæ eſt confidentia: idq; poteſt euenire in delictis, quæ priuant ipſo iure, ſi ea crimina ſint occulta: in alijs verò, in quibus criminoſi veniunt priuandi, & declarandi priuati indiſtinctè, cum hi poſſint reſignare, &c.

Nona cauſa præcedenti connectitur, & eſt, quando beneficiarij propter crimina perpetrata, non poſſunt iuſtè beneficia retinere; vel cogitant de perpetrandis criminibus, reſignant, vt purgato delicto, habitaq; abſolutione, illa beneficia repetant, quod ſi conſtet, nulla dubitatio eſt cõmiſſam eſſe confidentiam, quæque ſi non conſtat, lex etiam præſumit eam.

Decima cauſa, quando beneficiarij reſignant beneficia, vt habeãt fructus ipſorum, vel vt ipſi fructus dentur, cui ipſi voluerint, quod multoties laicis fit, & inhabilibus: hæc.n. eſt confidentia; & hoc etiam poteſt dici de illis, qui habent beneficia, & nolunt recitare Officium, vt tenentur: & ideò illa reſignant, præmiſſa conuentione percipiendi fructus, vt habeant commodum ſine onere, quod eſt iniuſtum: Item de illis, qui nolunt habitum clericalem deferre, vel nolunt reſidere, aut ordines ſacros ſuſcipere, nam hæc eſt confidentia.

Vndecima cauſa eſt ſenectus, & mala valetudo: Nam multi beneficiarij cum ſenuerint, vel mala valetudine afficiantur;

tur;

tur: Cogitãtes de morte, & propterea beneficia per eos obtenta vacatura, recurrunt ad fraudem, reſignando illa in fauorem amici, vel conſanguinei, præmiſſa conuentione, vt vel de fructibus ipſorum beneficiorum alant propriam familiam, vel illa aſſeruent infantibus natis, aut naſcituris, quibus cum fuerint habiles, ipſa reſignent illis: hæc eſt confidentia.

Duodecima cauſa eſt, cum quis vult reſeruare penſionem in ſuo beneficio pro Titio: & cum non poſſet abſque cauſa reſeruari dicta penſio, ei reſignat id beneficium, vt ſibi retrocedat, reſeruata ex cauſa reſignationis dicta penſione; hæc enim eſt confidentia, cum reſignatio non fuerit vera, ſed palliata, & ſimulata ad hunc effectum; vt fuit reſolutum in vna Reaſin. penſionis anno Domini 1588. 11. Martij.

Decimatertia cauſa, quoties quis vult reſeruare Titio fructus, aut regreſſum, vel acceſſum, & propterea reſignat in ſui fauorẽ, vt ipſe Titius retrocedat, reſeruatis dictis fructibus, aut regreſſu, vel acceſſu; nam hæc eſt confidentia.

Decimaquarta cauſa committendi confidentiam, quoties incapaces beneficiorum, vt quia ſunt criminoſi: aut onuſti beneficijs, quia habent multitudinem beneficiorum, & præſertim incompatibiliũ procurant beneficia conferenda alijs, cum ipſi aut propter incompatibilitatẽ, aut incapacitatem, aut defectum ordinis retinere non poſſint.

Hi enim in hoc, duobus modis poſſunt committere confidentiam, videlicet, vel quia paciſcantur de percipiendis fructibus ipſorum, vel de ipſis beneficijs diſponendis ad libitum ipſorum; hæc enim eſt confidentia. Quod poteſt procedere in eo, quod nunc conſultiſſimè ſeruauit Clemens Octauus Pontifex Maximus: qui non vult concedere alia beneficia obtinenti quattuor titulos, vel quinque. Videns enim aliquis non poſſe impetrare pro ſe, impetrat pro amico, familiari, vel conſanguineo, ad effectum, vt poſſit fructus illius percipere, vel poſtea in aliud tempus illud habere pro ſe, vel pro alio: nam hæc eſſet confidentia.

Decimaquinta eſt, quando Ordinarij, & alij Collectores habentes facultatem conferendi; aut patroni: nolunt bene-

ficia,

ficia, quæ vacant, & ſpectant ad eorum diſpoſitionem, collationem, ſeu præſentationem verè conferre, & liberè præſentare, vt tenentur: ſed curant illa deponenda, vel ea conferunt, vel præſentant, hac ratione, ac conditione, vt fructus, ſeu penſiones capiant, eorundem, ipſi Ordinarij, Collatores, & patroni, vel alijs faciant miniſtrari: nam hæc eſt confidentia. Hæ igitur ſunt cauſæ, ex quibus poteſt, & ſolet cõmitti confidentia. Ideò quilibet in hac materia debet cautè procedere, ne in errorẽ labatur, & ſemper inſpicere cauſam facti; nam finis quamuis ſit poſtremus, in propoſito tamen, ac inſtitutione eſt primus.

An Confidentia ſit vbiq; prohibita.

COmmunis eſt opinio affirmatiua, vt ſit vbique prohibita non ſolum in Curia, ſed extra, tàm in Italia, quàm vltra montes: quia prohibitio confidentiæ, emanauit per conſtitutiones Pij Quarti, & Pij Quinti, & conſtitutio eſt lex generalis, vt habetur in rubr. de cõſtit. in princ. Ideò vbiq; & omnes ligabit, locutio enim generalis nihil relinquit intactum: & ſola publicatio facta Romæ, ſufficit ad hoc, vt liget extra curiam, de regul. iur. in 6. & ligat per totum orbem; & ideò non requiritur alia publicatio facienda in alijs locis: quia Roma eſt patria communis: Ita etiam regulæ cancellariæ, quamuis tantũmodo publicentur Romæ in cancellaria, ligant tamen omnes, etiam extra curiam, vt tenuit Rota in pluribus cauſis: & ita ſtylus communis ſic habet, vt publicatio fiat Romæ ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranẽſis, & Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, & in Acie Campi Floræ, vt tota die, & paſſim fieri videmus: Verũ ſi publicatio fiat etiam alibi ad cautelam, maior certitudo habebitur.

Et ligat omnes eccleſiaſticos, etiam in maxima dignitate conſtitutos, etiam omnes ſeculares, quia proprium eſt conſtitutionis ligare omnes, cap. canonum ſtatuta, vbi omnes Doctores hoc notant.

Notandum tamen eſt has conſtitutiones editas ſuper cõfiden-

fidentias, non ligare, vbi vſu non fuerunt receptæ, & executioni demandata, vt euenit in Regno Galliæ; & ratio eſt, quia lex, & conſtitutio Principis non recepta, nec moribus vtentiũ approbata, non ligat, ſi non fuerit obſeruata, ſciente, & tolerante Principe, per gloſ. ſingul. in cap. 1. in verbo frangere, de tregua, & pace, & abſque metu incurſus pœnæ poteſt ei contrauenire; & etiam abſque incurſu peccati mortalis: & ſufficit ſimpliciter vſus contrarius, quia ſuperior videtur tacitè eam tolerare; ex quo ſcit contrarium obſeruari, & patitur: diſt. 20. Vbi Eccleſia orientalis non recipit canones de continentia clericorum, & propter hoc non incidit in hæreſim, nec peccauit mortaliter. Et lex noua non acquirit vires, quoties ſucceſſiuè fiunt plures actus contra eam, ſciente conditore, aut ſucceſſore, & non contradicente: ſed poſt publicationem dictarum conſtitutionũ in Gallia, infinitæ propemodum fuerunt commiſſæ confidentiæ, & prædictæ conſtitutiones nunquam fuerunt acceptatæ, & vſu receptæ, ergo, &c. Immò infinitæ fuerunt latæ ſententiæ, quibus cogebantur confidentiarij reſtituere beneficia, accepta ſub fide ea reſtituendi, etiã in ſupremis iudicijs, etiam ab ipſo Rege Henrico 1558.

Quod nimis præiudiciale, & ſcandaloſum eſſe, conſiderãs Sixtus Quintus per ſuam conſtitutionem 66. incipientem; Paſtoralis officij: Datam Romæ anno 1587. ſtatuit conſtitutiones Pij Quarti, & Quinti circa cõfidentias editas, etiam in Regno Galliæ eſſe exequendas: mandans quibuſcunque ordinarijs, ſub interminatione diuini Iudicij, vt aduerſus tales animaduertant. Moderat tamen pęnas, quia iuxta conſtitutiones Pij Quarti, & Quinti beneficia vacãtia ob confidentiam, ſunt reſeruata Sedi Apoſtolicæ: ſed Sixtus voluit in Regno Galliæ, poſſe conferri ab ordinarijs Collatoribus, perinde, ac ſi non eſſent reſeruata: quod ſi neglexerint cõferre, collatio, & prouiſio referatur ad proximos ſuperiores.

Secundò, conſtitutiones Pij Quarti, & Quinti ordinant fructus perceptos ob confidentiã ſpectare ad Cameram Apoſtolicam; Sixtus verò concedit fructus malè perceptos poſſe applicari ab ordinarijs in vſum, & reparationem Eccleſiarum,

rum, in quibus confidentia fuit commiſſa: & hoc forſan ex eo, quod Galli non recipiunt conſtitutiones, vt dicunt burſales Papæ.

Tertiò, in dictis conſtitutionibus piorum abſolutio à cẽſuris, pœnis, & irregularitatibus, propter crimen confidentiæ, ſpectat ad Sedem Apoſtolicam: ſed Sixtus concedit, & dat facultatem Nuncio ibi exiſtenti, & Legato Auinionenſi: ſed nec etiam huiuſmodi conſtitutio fuit in dicto Regno debitæ executioni mandata ob temporum iniuriam: nam paulopoſt ſecuta ſunt bella ciuilia, & magna, & Henricus Tertius Rex, Cardinalem Lotaringium, Card. Borbonium, & Lugdun. Archiepiſcopum in carcerem conijci, quem etiam interfici iuſſit, ob quod fuit à fęlic. record. Sixti Quinti citatus ad dicendum, quare non deberet declarari excommunicatus. Poſtremo die termini ſibi ſtatuti, cum magna & Gallorum, & totius orbis admiratione, in proprijs Caſtris inter armatos, & ſatellites ab inermi, ac ignoto quodam Fratre Iacobo Clemente nuncupato, nondũ agente vigintiquinque annos, patria Senonen. Ordinis Prædicatorum, nihil tale cogitans, paruo gladio ad id dedita opera, pauloante elaborato, ſubter vmbilicũ vulneratus, ac miſerrimè interfectus eſt, Calendis Auguſti 1589.

Pœnæ impoſitæ per conſtitutiones Pij Quarti, & Quinti contra confidentiarios, habeat locum in confidentia cõmiſſa in permutationibus beneficiorum: vt quia fuit facta permutatio duorum, vel plurium beneficiorum inter duos iuridicè, & alter recepta poſſeſſione beneficij ꝑ permutationem quæſiti, accepit etiam fructus beneficij antiqui collati compermutanti, quæritur an ſit locus Bullis Pij Quarti, & Quinti de confidentijs?

Negatiuam opinionem tenuit Nauar. non eſſe locum dictis Bullis, qui ita reſpondit in facti contingentia conſil. 26. tit. de ſimon. ſed ibi loquitur de reſignationibus beneficiorum, quæ fiunt in fauorem aliquorum, non autem per permutationes iuridicas; & cum non ſit eadem ratio in vtroq; caſu, non erit etiam eadem iuris diſpoſitio. Secundò, quia prædictæ conſtitutiones ſunt pœnales, & propterea ſunt reſtrin-

ſtringendæ. Tertiò, quia dictæ conſtitut. afficiunt tantum confidentias illicitas, & ſimoniacas.

His tamen non obſtantibus, contrariam opinionem affirmatiuam veriorem exiſtimant Reuerendiſſimus Pariſius, has conſtitutiones habere locum contra cõfidentiarios, non ſolum in reſignatione ſimplici, ſed etiam in permutatione: & mouetur primò ex verbis dictarum Bullarum: ait enim Pius Quartus in prohœmio; Sanè licet dudum cum certam ſimoniacam prauitatis ſpeciem, quam beneficiorum confidentiam vocant, &c. ſubdit præterea in titulum, cõmendam, vel adminiſtrationẽ, aut aliter in huiuſmodi confidentiam, ac quaſcunque collationes, prouiſiones; quia prædicta verba ſunt ſatis prægnantia, & generalia, & apta comprehendere reſignationem factam per permutationem: Ideò abſque dubio debent illam comprehendere.

Secundò, quia rationes fraudis in his conſtitutionibus conſideratæ, propter quas tollendas emanarunt, militant in permutatione, vt eſt illa, vt de illo beneficio diſponat ad libitum reſignantis; & alia, vt fructus, poſtea percipiat; ac altera, vt aſſeruetur pro incapacibus: vnde cum eędem rationes vigeant, eadem quoque diſpoſitio debet vigere.

Tertiò, quia eſto, quod conſtitutiones loquantur tantum de reſignatione, nihilominùs comprehendunt reſignantes ex cauſa permutationis: quia permutatio vera, pura, & ſimplex, reſignatio dicitur: & ſicut in reſignatione duæ perſonæ interueniunt, reſignans, & reſignatarius, ita & in permutatione.

Quartò, id teneri debent ob publicam vtilitatem, vt obijcietur inquantum fieri poteſt, fraudibus, & per conſequens dictæ Bullæ comprehendent confidentiam commiſſam in permutatione.

Caſus autem, ſuper quo conſuluit Nauarrus, forſan non erat punibilis dicta pœna, quia alter compermutans, exegit fructus beneficij renunciati, & collati compermutanti, antequam compermutans caperet poſſeſſionem, quod conſiderat Pius Quintus in dicta conſtit. 87. §. ſi quis poſt ceſſam ab ſe Eccleſiam, & publicatam reſignationem, aut ceſſionem,

captamq; à ſucceſſore poſſeſſionem ſeſe,&c.

Nauarr. in Manuali cap. 23. num. 100. dicit, ſimoniacam eſſe renunciationem, ſi renuncians beneficium minoris valoris reddit pecuniam, vel conſtituit penſionem annuam alteri permutanti, adæquando valorem illius, ſed hoc limitatur, niſi id faciat auctoritate ſuperioris.

Si vis plura ſcire, vide librum Reuerendiſsimi Pariſij de confidentijs.

De Infamia.

CVm plures ſint infamiæ caſus, qui non ſunt in vſu; quia tamen ſæpius viſum eſt, prælatos ad ordines ſacros, multos promouiſſe, ſiue ſcienter; ſiue ignoranter, qui infames erant, propterea ne impoſterum illos errare cõtingat, aliqua hic de infamia, & de infamibus, vt ex corpore iuris colligitur, adducenda curauimus. Generalis enim, & veriſſima concluſio eſt, omnes infames, tàm de iure, quàm de facto repellendos eſſe à promotione; quia porta dignitatum, vel ordinum infamibus, & ſuſpectis perſonis patere non debet, vt habetur tex. in cap. dictum, diſt. 81. cap. quærelam, de iure iurando, cap. inter, de excell. prælat. cap. qui in aliquo, diſt. 51. (51. diſt. cum alijs.

Ille dicitur infamis de iure, quem ius dicit eſſe infamem, vt qui infamatus eſt de furto, aut alijs ſimilibus, de qua eſt tex. in cap. qui alieno.

Infamis autem de facto ille eſt, de quo apud bonos, & graues viros mala opinio grauatur ſuper caſu aliquo, vel crimine; De hac infamia facti eſt tex. in cap. omnipotens, de accuſat. & cap. hinc colligitur, 2. q. 3.

Vnde colligitur illum, qui in iudicio ex aliquo delicto per ſententiam fuit notatus, nõn eſſe ordinandum, quia infamis eſt: nec ordinato, adminiſtrare permittitur, etiam peracta pœnitentia: vt ex tex. in cap. ſi quis hæreticæ, §. ecce, 1. q. 1. & §. hinc colligitur, 2. q. 3.

Colligitur etiam, infames ab ordinibus ſic eſſe arcendos, vt nec ij ſint ordinandi, qui ex ipſo ſeculari foro infames ef-

ſecti ſunt, quia eadē eos infamia in foro eccleſiaſtico ſequitur, quo ad ordines, & eccleſiaſticas dignitates, vt habetur in cap. omnes verò, 6. q. 1. proceditq; tàm in infamia iuris, quàm facti.

Ad hæc, generaliſſima concluſio eſt, omnis, & quæcunque ignominioſæ artis profeſſio; & quæcunque perſonæ vilitas, etiam ex quacunque arte infami, infamiam parere: ita gloſ. in c. nihil, verbo ſuſpendatur, de elect.

Primò igitur, Hiſtriones, Mimi, Scenici, Ioculatores, Præſtigiatores, & ſimiles, ab ordinibus pęnitus excluduntur, ob vilitatem, & ignominioſum viuendi genus.

Secundò, Aurigæ, Gladiatores, Stadij, Curſores, Saltatores, Caupones, Lyricines, ſeu Lyriſtæ, & Cythariſtæ, *Canta in banco, Sonatori di lira, ò di citara*, & his ſimiles, quamuis non tanta ſint infamia notati, vt priores: pęnitus tamen ab ordinibus ſunt repellendi; quoniā publicis, immo nefandis quęſtibus incumbunt.

Tertiò, duplici ratione, Bigamiæ ſcilicet, & ignominiæ his adnumerantur, qui Meretrices ducunt vxores: Vilem enim, & ignominioſam vxorem ducens, & vilis, & ignominioſus efficitur, per tex. in cap. ſi quis viduam, & eiectam, vbi gloſ. 34. diſt. Illos, & alios etiam irregulares, & infames facit.

Quartò, his comparantur omnes infames, quos text. cum gloſ. in Clem. 1. de vita, & honeſt. cleric. recenſet, videlicet Carnifices, vulgo, *Il Boia*, qui propter ſanguinis effuſionem, & officij vilitatē, & infamiſſimæ artis ignominiā, ſunt irregulares, his ſimiles ſunt Lictores, vulgo, *Gli Sbirri*, & Curſores, vulgo, *Li Piazzani*, Macellarij, Tabernarij, Balnearij, Cleocas emundantes, pelles expurgantes, vulgo, *I Pelacani*, Fullones, & his conſimiles, de quibus Diaz in ſua praxi cap. 61. qui adeo infames reputantur, & quamuis ſemel tantum hoc genus artis exercuerint, tamen ab ordinibus repellūtur.

Quintò, Aleatores quoq; Eccleſia ita repellit, vt eos à quocunque beneficio obtinendo excludat, per tex. cap. inter dilectos, de exceſ. prælat. & tex. in cap. clerici, ver. ad aleas, de vita, & honeſt. cleric. Sylueſt. verbo ludus, 4. Nauar. in manual. cap. 25. nu. 111.

Sunt præterea alij multi infames, per textum in d. capit. infames, 6. q. 1. quos ex multis collectos, huc retulimus, & præſertim ex Simone Maiolo lib. 3. cap. 1. num. 9.

Apoſtatæ à Fide Chriſtiana.

Fures ſacrilegi, capitali crimine irretiti.

Sepulchrorum violatores.

Sumentes arma contra Eccleſiæ partes.

Inceſtuoſi, Homicidæ, Periuri, Raptores, Malefici, Venefici, Adulteri, Belli deſertores.

Poſtulantes dignitates per ambitionem, quibus ſunt indigni.

Auferentes iniuſtè Eccleſiaſticas facultates, Calumniatores, Accuſatores, deficientes in probatione.

Prouocantes Principes ad odium contra innocentes.

Omnes excommunicati, & expulſi ab Eccleſia pro crimine, qui omnes ipſo iure ſunt infames, vt Speculator in ſuo aureo Repertorio docet, titulo de pœnis, §. ante omnia, & habetur conſtitutio Euſebij Papæ, qui eos infames eſſe dicit.

Præterea in cap. conſtituimus, 3. q. 5. præter ſupradictos, declarantur etiam infames infraſcripti, videlicet; Domeſtici criminoſorum, ſuſpecti de crimine.

Conſilium quærentes à Sortilegijs, aut Diuinatoribus.

Et ex decreto Caliſti Papæ in cap. conſanguineorum, 3. q. 4. infames ipſo iure declarantur, non ſolum inceſtuoſi, verum etiam conſentientes, approbantes, defendentes, & patrocinium præſtantes, vt gloſ. expreſsè ibidem dicit.

Præter iſtos, alios enumerat Durandus, videlicet; Quiſquis in iudicio criminali mulctatur pro crimine, in quo infamia irrogatur.

Qui de crimine paciſcitur cum accuſatore, l. Athletas, in fine, ff. de ijs, qui notantur infamia.

Compellentes aliquem ad periurandum, aut iniquum iuramentum faciendum, cap. inter cætera, 22. q. 4.

Nati ex inceſtuoſis, omnes ſunt infames, 3. q. 4. cap. cõſanguineorum, & 35. q. 3. cap. coniunctiones.

Matrimonium contrahens ſine dote, & ſine benedictione ſacerdotali, fit de facto infamis, 3. q. 4. capit. conſanguineorum.

Duas

Duas vxores ſimul habens, vel ſponſas: de bigamis. cap. nuper.

Famoſum Libellum dictans, & inueniens, ſi illum inuentum, non ſtatim corrnperit. Item, qui quouis modo conſenſerit facienti, infames ſunt: 4. q. 3. cap. 2. §. ob carmen. & 5. q. 1. cap. 1. 2. & vltimo.

Hæretici, eorumq; fautores, receptatores, & defenſores; de hæretic. capit. ſi aduerſus, & capit. excommunicamus, §. credentes.

Sciſmatici, Iudæi, Pagani, & omnes infideles ſunt infames, cap. alieni, 2. q. 7. & 4. q. 1. cap. definimus.

Crimina illa committentes, quibus lex pœnam capitalem imponit, ſunt infames, Lenones, ff. de ijs, qui notantur infamia, l. prima. & l. 3. §. 2.

Pecuniam dantes, ne actione famoſa conueniantur, ff. de ijs, qui notantur infamia, l. 1. vbi pactus eſt.

Corruptores bonorum morum, & detractores contra pias perſonas, ſunt infames ex decreto Anacleti Papæ, vt habetur 6. q. 2. cap. deteriores.

Monacus, vel Monialis impudici, & filios procreantes, 27. q. 1. cap. impudicas.

Conſpirantes contra proprium Prælatum, & ipſis conſentientes, cap. conſpirationum, 11. q. prima.

Inſidias ſtruentes proprio Epiſcopo, infames ſunt, capit. ſtatuimus, 11. q. prima.

Balneatores, vel qui in balneis vtuntur miniſterio mulierum, l. Athletus, ff. de infami. gloſ. cap. non oportet.

Confitentes contra ſe aliquod crimen, aut delictum, quod non commiſerunt, tex. cum gloſ. in verbo erroris, 15. q. 6.

Exiſtens vſuram Vſurarium.

Senator contrahens matrimonium cum muliere Scenica, cap. de Nauar. lib. 6. ... gloſ. & tex. in cap. ſi quis viduam, 34. diſtin.

Aleatores publici, & pro ludo mutuantes, c. inter dilectos.

Duellantes, tam de iure, quàm de facto, ſunt infames, ex concil. Trid. ſeſſ. 17. cap. 29. ſicuti raptores mulierum, côc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6.

Nota-

Notarij rogantes quoquo modo Inſtrumenta vſuraria, ſimoniaca, vel aliter contra ius, ſunt infames, quia fuerũt periuri, c. quicunque, 6. q. prima. Et nec poſt pœnitentiam purgatur hæc infamia, vt docet Syluest. in verbo Tabellio, q. 7. & qui ſemel eſt infamis, ſemper, & in illis miniſtrauerit, non propter hoc efficiatur irregularis, ſecundum Archid. in cap. Apoſtolica, diſt. 36. ad Epiſcopos tamen, ſeu eorum Vicarios ſpectabit cauſam cognoſcere, & prudenter examinare, & quos iudicauerit admittendos, admittere, & alios repellere, talesq; temerè promotos, caſtigare, & ſuſpendere. Et hæc de hac materia ſufficiant.

De Irregularitatibus ratione delicti.

MVltæ ſunt irregularitates, quæ propter aliquod peccatum, & delictum incurri ſolent; hæ autem conuenienter in tria genera diuidi poſſunt; quædam ſunt, quæ incurri ſolent ante ordinationem, quædam quæ in ipſa ordinatione, vel ordinis ſuſceptione, quædam poſt.

Primum igitur de his, quæ ante incurri ſolent, tractemus; dicuntur autẽ incurri ante, non quia à ſacerdotibus non incurrantur, ſed quod etiam à laicis incurri poſſunt ante ordinis ſuſceptionem; Hæ autem præcipuè ſunt ſex.

Prima eſt, quæ contrahitur ex apoſtaſia à Fide; cum enim quis vel ad Iudaiſmum, l. paganiſmum, poſt baptiſmum eſt conuerſus, licèt iterum reuertatur ad Religionem Chriſtianam, manet irregularis, ſi laicus erat, vt ordines non poſſit ſuſcipere, cap. presbyteros, diſt. 50. ſi ordinatus erat, quo ad vſum, eſt irregularis, 11. q. 3. cap. Iulianus, idem de Her.

Secunda eſt, ſi quis ſcienter bis baptizatus eſt, vel bis aliquem baptizauit, fit irregularis, de conſecratione, diſt. 4. canon. coſ. quos, & can. qui bis, aliqui Summiſtæ volunt eãdem irregularitatem incurrere; qui iterant ſacramentum, imprimens caracterem, vt ordinem, & confirmationem, ſed communis opinio tenet oppoſitum, & ita eſt, nam ſolum exprimitur in Canone, Baptiſmus; non ſunt autẽ pęnæ extendendæ. Ter-

Tertia eſt, cum aliquis religioſus deſerit Religionem, cauſa audiendi ius ciuile, aut medicinam. Iſte niſi intra duos menſes reuerſus fuerit, eſt irregularis à Papa diſpenſabilis, cap. ſuper ſpeculan. ne clerici, l. monaci.

Quarta eſt, ſi vtitur ordine, quem non habet, & vtitur ſerio, & eo modo, quo laicus, vel non ſit ordinatus vti non poteſt, eſt irregularis, cap. 1. de cler. non ordin. miniſt. quod in ſolis maioribus ordinibus intelligunt communiter DD. ſi autem eſt ordinatus, diſpenſat Epiſcopus ad vſum illius ordinis: ad vlteriorem verò ordinem, vel ſi non eſt ordinatus, ad ordines ſuſcipiendos, ſolus Papa, vt habet Panormitanus prædicto capite.

Quinta eſt ex graui aliquo peccato notorio: dicimus enim genere, quia non quodcunque inducit irregularitatem, niſi notabile ſit, vt adulterium continuum, concubinatus, ſtuprum, & ſuperiora peccata, furtũ etiam. Dicimus notorium, quia alias nullum inducit irregularitatem, nec in laico, nec in clerico, omiſſo homicidio, de quo iam diximus. Notorium autem eſt, quod ex ſententia Iudicis conſtat, vel ex propria confeſſione in iudicio, vel eſt ita publicum, vt alia publica eſſe ſolent, aut maiori parti Parochiæ, in qua eſt, patet, vt ſuperius declarauimus. In hac irregularitate, ſi adulterium eſt inferius peccatum, Epiſcopus diſpenſat: in maioribus verò peccatis, Papa: adnumera Hiſtriones publicos, & qui ſimilia officia infamia habent.

Sexta eſt, quæ contrahitur ex homicidio, vel ventilatione i licita: nam quæ ex homicidio licito cõtrahitur, ad ſpeciem ſecundam pertinet, quæ ratione ſacramenti eſt; poſſunt ergo iſtæ ſex ſpecies his verſiculis duobus facilius retineri. Duplex Baptiſmus, fidei deſertor, & ordo: In futuris mutilans, p oſitens, cui iura placebunt.

De Irregularitatibus in ipſa ordinatione, & poſt.

TRipliciter incurri ſolet irregularitas in ipſa ordinatione. Primò, ſi exiſtens excommunicatus maiori excommunicatione, ſuſcipiat ordines maiores, propter peccatum enim

enim iſtud, irregularitas contrahitur cap. 1. de eo, qui furtinè ordines ſuſcepit, & cap. cum illorum de ſententia excommunicationis in 6.

Secundò, ſi ſuſcepit ordines ab Epiſcopo, qui renunciauit loco, & dignitati, ſecus ſi tantum loco, renunciauit talis efficitur irregularis, cap. 1. de ordinato ab Epiſcopo, poteſt quidam à tali Epiſcopo recipere minores de licentia proprij Epiſcopi, maiores autem nec etiam cum licentia.

Tertiò, ſi ordines ſuſcepit ab Epiſcopo nominatim excommunicato, iuxtà concil. conſtant, vel publico clerici percuſſore 1. q. 1. can. gratia, & can. ſtatuimus: & 1. q. 7. can. Daibertum, idem etiam eſt ſi ordinetur vt Epiſcopo hæretico, ſciſmatico.

Quartò, ſi duos ordines ſuſcepit in vno die, aut minores, & ſubdiaconatum: aut duos maiores, in primò caſu ſolum minoribus poteſt vti: in ſecundo in nullis, cap. 2. de eo, qui furtim ordines ſuſcepit, poteſt Epiſcopus diſpenſare, niſi præmonitus fuerit, ne eos ſuſciperet ſub excommunicatione, tunc Papa debet abſoluere.

Poſt ſuſceptos ordines, tres incurri ſolent irregularitates: Prima, ſi excommunicatus maiori, celebrauit ſolemniter, & exercuit maiores ordines: Secunda, ſi ſuſpenſus ab ordine, etiam exercuit ordinem maiorem: Tertia, ſi interdictus perſonaliter etiam ſolemniter maiorem ordinem exercuit, vel etiam in loco interdicto. illud tùm notãdum eſt, quod qui irregularis eſt, ſi celebret, vel exerceat vſum ordinis, non ob id aliam contrahit irregularitatem, ſed grauiter peccat; hæ ſunt irregularitates, quæ præcipuè ſunt conſiderandæ, ſi aliquæ ſuperſunt, raræ ſunt, & nõ ſic occurrunt, qualis illa eſt, quæ contrahitur, ex eo quod aliquis differt baptiſmum vſq; ad tempus infirmitatis d. 57. can. ſi quis, quia talis præſumitur, quod non voluntate, ſed neceſſitate, ſit Chriſtianus: niſi poſtea fides eius probabilis fuerit, vel neceſſitas exegerit.

Similiter irregularis eſt Epiſcopus, Sacerdos, Diaconus, qui prætextu iniuſtæ excommunicationis recurrit ad Imperatorem 23. q. vlt. can. ſi quis, & ſolus Papa diſpenſat. Similiter curialis .i. obligatus alicui officio ſeculari, vt ſit Miles,

les, vel Aduocatus, vel Iudex, vel quid aliud pro tali tempore, quo in officio miniſtrare tenetur: ſimiliter eſt irregularis obligatus ad ratiocinia prȩſertim publica, à quo tenetur obligatus reddere rationem de redditibus Ciuitatū, vel alicuius Communitatis quouſque reddat: immò qui etiam tenetur obligatus particularia ratiocinia, vt tutores, curatores, cum accuſati ſunt de dolo, & fraude, durante enim lite non poſſunt ordinari d. 81. can. tantis, finita poſſunt.

Illud in vniuerſum confeſſario obſeruandum eſt, quod ad abſolutionem à peccato non eſt neceſſaria abſolutio irregularitatis; poteſt enim pœnitens manere irregularis, & abſolutus à peccato; non enim in hoc eſt eadem ratio, ac erat de excommunicatione; ob id non eſt opus eos eſſe ſollicitos nimis, quis poteſt irregularitatem tollere, niſi vt cōſulant pœnitentibus, ad quos conferre debent. Obſeruandum eſt etiam, cum literis apoſtolicis, & Iubilæis concedere facultas abſoluendi à peccatis, & cenſuris, nomine cenſuræ non eſt irregularitas intelligenda: niſi nomine ſuo exprimatur, ſed hæc pœna quæ impediunt, quominus à peccatis poſſit abſolui, qualis eſt excommunicatio, vel ſuſpenſio à ſacrorum ſuſceptione. Irregularitas autem non eſt huiuſmodi, ſed poteſt quis optimè abſolui, abſque alio priuilegio, ac ſi non eſſet irregularis.

Circa eum verò, qui poteſt ab irregularitate liberare, notandum eſt, tres eſſe modos generales, quibus aufertur irregularitas. Primus eſt per baptiſmum, cum enim aliquis baptizatur, aufertur communis irregularitas, prȩter duas nempe bigamiam, & eam, quæ eſt ex defectu (aufertur tamen illegitimas, & defectus partium non neceſſarium) nec quæ inducunt deformitatem, has enim non aufert baptiſmus. Secundus eſt per religionis ingreſſum: Soto. d. 25. q. 1. ar. 3. ſiue enim ex conſuetudine, ſiue ex iure communi, ſiue ex priuilegio non eſt, vt per ingreſſum religionis, omnis auferatur irregularitas propter bigamiam, & propter homicidium voluntarium; aufertur præter autem quantum ad ordinis ſuſceptionem, non quantum ad prælationem, vt diximus ſupra. Tertius modus eſt per diſpenſationem papalem,

poteſt enim Papa omnem irregularitatem auferre, cum ſint canonica inpedimenta, non autem de iure diuino. Poteſt etiam Epiſcopus, ſed non niſi in caſibus, quos ſpecialiter tetegimus; in alijs oportet recurrere ad Papam, qui etiam poteſt ſuam poteſtatem alijs, vt voluerit delegare. Forma abſoluendi eſt, Diſpēſo tecum ſuper irregularitate, vel irregularitatibus, quam, vel quas contraxiſti propter hoc, & hoc, & ſi res eſt dubia, dicitur, ſi contraxiſti.

De Iuriſdictione.

ALiud impedimentū, quod ſolet ſacerdotem à ſuo retrahere officio, eſt defectus iuriſdictionis. eſt enim neceſſaria poteſtas iuriſdictionis ad ſacrorum adminiſtrationem, tamen notare oportet, quod dupliciter poteſt impedire adminiſtratio ſacramētorum. Vno modo, quo ad rectum vſum. Altero, quo ad vſum; tunc impeditur quo ad rectum vſum, cum ſi ſacramentum adminiſtretur in peccato mortali, tenet, & ſequitur effectus ſacramenti in recipiendo, tamen peccat qui exhibet; tunc verò impeditur quo ad vſum, cum irrita eſt ipſa ſacramenti adminiſtratio, quia verè non ſequitur effectus ſacramenti; iuxta hoc dico primò, in ſacramento pœnitentiæ, eſt iuriſdictio, quo ad vſum, ideſt ſi quis non habens iuriſdictionem, ideſt non exiſtens Epiſcopus, Parochus, vel habens curam animarum, tenet abſoluere, abſolutio eſt nulla, quia non eſt in eo iuriſdictio; vnde ſacerdos ſimplex non poteſt abſoluere à peccatis: exceptis tamen in tribus caſibus, ſcilicet.

Primò, in tempore mortis, aut periculo mortis.

Secundò, cum peccata ſunt venialia, aut mortalia, ſed iterum confeſſa, & abſoluta.

Tertiò, cum in eam transfertur authoritas vel per licentiam Epiſcopi, vel per diplomam, vel priuilegium Papæ, in quo conceditur facultas eligendi confeſſorem. Dico ſecundò in aliorum ſacramentorum adminiſtratione, eſt neceſſario iuriſdictio, quo ad rectum vſum, non tamen quo ad vſum, explico nullus poteſt conferre Euchariſtiam, vel Extremam

vn-

vnctionem,vel Ordines, vel Baptiſmum ſolemniter, niſi habens iuriſdictionem in eum cui confert, vel ex commiſſione habentis, ſitùm conferat, peccant, ſed tenet ſacramentum. In Euchariſtia verò, & Extrema vnctione neceſſitatis tempore, non peccaret. In Matrimonio autem non eſt neceſſaria, niſi præſentia Parochi, vel alterius ſacerdotis de eius licentia, quia non vt conferens concurrit ſacerdos, ſed ipſimet contrahentes. Dico tertiò ad Baptiſmum conferendum, non ſolemniter eo modo,quo laicus poteſt conferre, non eſt neceſſaria iuriſdictio, nec quo ad vſum, nec quo ad rectum vſum, cum etiam mulier poſſit in neceſſitate baptizare.

De Peccato Mortali.

PEccatum mortale, non quidem vſum ordinum,nec ſacramentorum adminiſtrationem impediens eſt, vt falſo Hæretici fingunt, ſed ſolum rectum vſum: ſacramenta enim collata ab illis,qui ſunt in peccato mortali,ſuum in ſuſcipere conſequuntur effectum; niſi ſuſcipiens ponat obicem peccati mortalis, qui eum ſic miniſtrant, in cuius gratiam: Notãdum eſt, peccatores hos miniſtros, poſſe eſſe in triplici differentia, vel re ſunt præſciti ab Eccleſia, aut tolerati, & hi vel publici, l. priuati, ſeu occulti; Præſciti dicuntur, qui ſunt ſeparati ab Eccleſia, per peccatum,vel per cenſuram ab officio excluſi, vt apoſtatæ, hæretici, ſciſmatæ, degradati, depoſiti, ſuſpenſi, excommunicati, interdicti, irregulares. Tolerati ſunt, qui in alijs ſunt peccatis, propter quæ ab Eccleſia non arcentur ab officio. Publici autem ſunt, cum eorum peccata alijs ſunt nota, cum verò ſecreta dicuntur occulti. Illi primi generis peccãt mortale, adminiſtrantes ſacramenta, & celebrantes, tum ſacramenta tenent, præter confeſſionem, vt dicunt multi hoc Notuer, quod irregularitas, ſolum arcet ab vſu ordinis, non iuriſdictionis, cum non eſt ex peccato: nec de his modo eſt præcipuè ſermo. Illi verò ſecundi generis, ſi adminiſtrant ſacramenta, tenẽt quidem, ſed ipſi peccant mortalem, in cuiuſq; adminiſtratione præter baptiſmum cum confertur ſine ſolemnitate, in quo

caſu, etiam præciſus poteſt abſq; peccato baptizare, nec excuſantur in alijs ſacramentis inuiuet neceſſitas adminiſtrandi, & ipſi miniſtri non poſſunt prius cõfiteri de peccato ſuo, nam tunc tenentur ſaltem conferri vt poſſunt, & idem peccatum committunt Diaconus, & Subdiaconus, qui ſolemniter ſuos exercent ordines in mortale peccato, idemq́; dicẽdum de inferioribus ordinibus, ſi eadem ſolemnitate celebrent, ſi miniſtri publici peccatores ſint, idemq́; dicendum de prædicante cum publicus ſit peccator, ij enim graue generant ſcandalum. Illi verò tertij generis etiam mortale peccant, licet non ita grauiter, præter duos, vel qui in minoribus ſunt ordinati, nam hi, qui non ita propinqui ſunt ſacramento Altaris à mortali excuſantur, niſi adſit contemptus. Similiter præter prædicantem, quia non eſt actus ex ſe ordini deputatus, non enim mortaliter peccat, ſi reuerenter accedat, & contemptus non adſit; Eodem modo excuſarentur à mortali, quamuis publici eſſent, ſi non eſſet tanta notificatio, vt graue fieret ſcandalum; ſed alij non excuſantur, quia ſunt proximi ſacramento puriſſimo, quod ſi tibi arduum videtur, quod conferens in mortali ſacramenta, peccant mortale. Audi rationem huius, & ceſſabit admiratio. Tria conueniunt maximè in miniſtro ſacramentorum, quæ ipſum obligant, vt abſq; conſcium peccati mortalis ſacramenta miniſtret.

Primum eſt ipſa ſpiritualis conſecratio, per quam poteſtas ei data eſt, nam per ſacramentum gratiæ conſtitutus eſt, & ordinatus miniſter Domini, vnde tenetur ſe in officio ſuo talem exhibere, qualis per ordinationem effectus eſt.

Secundum eſt ipſa gratia ad hoc peculiariter collata: nam ſacramentum Ordinis imprimit eam gratiam, videlicet characterem, quo homo valet exercere, ea quæ ſunt ordinis: non enim conſtituit Dominus aliquem in officio, l. dignitates aliqua, quin ei conferat quantum ex ſe, quæ neceſſaria ſunt, vt exercent ea, quæ talis ſunt muneris, vnde peccat, qui abſq; tali dignitate accedit ad ea exercenda, quæ ſunt ordinis, & ex genere ſuo peccatum eſt mortale, & accedente grauitate materiæ, vt fit in caſibus prædictis, eſt mortale.

Tertium eſt, quia in talibus actibus ſe exhibet miniſtrum

Religionis Chriſtianæ, & cultus ſpiritualis, & diuini, oportet ergo eſſe in charitate, ſeu abſq; conſcientia mortalis peccati, qui ſe miniſtrum tanti cultus exhibet.

Quandò licet à malis miniſtris accipere ſacramentum.

TAnta eſt humana nequitia, vt ſæpè contingat, quòd miniſtri conſcientias proprias negligentes, ſacramenta adminiſtrare non formident, vnde oportet fidelem eſſe præparatum, & ſcire à quibus, & quomodo poſſit talia recipere ſacramenta, & vt iuxta diſtinctionem in capite præcedenti poſitam procedatur. Dico ante omnia, quod huiuſmodi miniſtri poſſunt ſe dupliciter habere. Primo modo, quod ipſi ſunt expoſiti ſacramenta adminiſtrantes, vel celebrantes, vt qui ſedet in loco ſuo audiens confeſſiones, l. q. in Eccleſia eſt adhibens ſacramenta, ſi non ſunt ſic expoſiti, ſed ſunt parati, vt ſi aliquis ab ipſis peteret, ipſi ſtatim conferrent.

Rurſus iſti, aut ſunt, quibus ex officio incumbit adminiſtrare ſacramenta, vt Parochus, Curatus, Epiſcopus, vel ſimiles; aut ſunt, quibus non ex officio incũbit, ſed ex aliqua facultate, vel alia de cauſa; iuxta hoc dico: Primò, à non toleratis ab Eccleſia, ſiue parati, ſiue non parati, ſeu expoſiti ſint, ſiue ex officio incumbat eis, ſiue non, non licet vllum ſacramentum recipere, etiam in neceſſitatis tempore, præter baptiſmum, 24. q. 1. c. ſi quem fortè. Explico, ſi eſſet aliquis Parochus hæreticus, aut ſciſmaticus, aut nominatim excommunicatus, non licet eum, quamuis celebrantem audire, etiam in die Dominico, nec ab ipſo communionem accipere, quamuis validè eſſet ſacramentum, nec aliud recipere ſacramentum, quamuis ipſe eſſet expoſitus, & velit miniſtrare, baptiſmus licet, quia eſt ſacramentum neceſſitatis, & hic poteſt etiam à quouis miniſtrari, tunc talis conferendo non peccat, quod ſi eſſet laicus, melius eſſet ab hoc ſumere.

Aliqui viri docti tenent in articulo mortis poſſe confeſſionem ſuſcepi ab his, & poteſt abſque ſcrupulo id ſuſtineri; ſed communis Theologorum ſententia eſt in contrarium: vnde

vnde veriſimilibus putarem, vt ab hæretico, & ſciſmatico, & apoſtata (ſi aliter fieri non poſſet, niſi in extrema neceſſitate, & ille quod facit Eccleſia ritè obſeruaret) non liceret ab alijs præciſis liceret.

Dico ſecundò, à malis miniſtris ſecundi, & tertij generis, ſi ſint expoſiti, ſiue ex officio incumbat, ſiue non, dummodo non ſequatur aliquod graue ſcãdalum, poſſumus ſacramenta recipere. Nam Eccleſia ipſos tolerat, & ipſi talia adminiſtrantes ſacramenta, ſibi ſolis nocent, 11. q. 8. can. ſciſcitantibus: dicit Nico. Pa. quod iſti ſunt ſicut fax accenſa, quæ alios illuminat, ſe ipſam conſumens, & vnde alijs commodum exhibetur, ſibi diſpendium præbent.

Dico tertiò, ab his, quibus ex officio incumbit, ſiue in neceſſitate, ſiue non, quia ille ex officio tenetur quandocunq; petiero miniſtrare, nec ego ius meũ amitto ex illius malitia.

Dico quartò, ab eo, cui non incumbit ex officio, quando non eſt tempus neceſſitatis, non licet petere à non expoſito, ſacramentũ, quia tunc eſt verè inducere eum ad peccandum, non enim habeo ius exigendi ab eo; imminente quidem neceſſitate mortis id fieri poteſt, quia tunc quilibet ſacerdos ex officio tenetur adminiſtrare, & non ſufficit alia neceſſitas; nam quando eſt neceſsitas præcepti Eccleſiæ, puta confiteri, & ſumere Euchariſtiam tempore Paſchatis, tunc ſi non eſſet is, cui ex officio incumbit, non licet petere à non parato, nec expoſito, quamuis ſit priuilegium, vt à quouis poſſit pœnitens accipere ſacramenta.

Dico quintò, quod cum toleratis ab Eccleſia oportet adnumerare excommunicatos, qui non ſunt nominati, & publici, nec publici percuſſores clericorum, eſt enim hoc poſt bullam concil. Conſtan. quamuis iſti peccant adminiſtrando, vt probabilius eſt: Item de ſuſpenſis, & interdictis, quia illæ cenſuræ ſunt, & par earum habetur ratio in bulla illius concilij.

De Ludo, præſertim Alearum.

QVoniam natura cuiusq; noſtrum, ex animo, & corpore conſtat: propterea vtriuſq; ratio habẽda eſt; corporis, quia eſt inſtrumentum neceſſarium animæ ad intelligendum, valetudo, & firmitas diligenter curanda eſt; Hæc autem moderato cibo, ac potu, ſomno, & exercitatione conſeruatur, & augetur. Quapropter exercitatio corporis, triplici nomine neceſſaria, nedum vtilis eſt, primò, vt mens fatigata, ſtudendo, ſeu contemplando recreetur; nam quod caret alterna requie, durabile non eſt, vt ait Ouidius. Deinde confert exercitatio corporis, ad decoquendum cibum, cæteraſq; functiones vitæ peragendas. Poſtremò conducit ad arcendos morbos, humores ſuperfluos pellendos, qui niſi magna cura depellatur, valetudinem, ac firmitatem corporis labefactant. Exercitationes corporis, hæ præſcribuntur, & in primis ab antiquis laudantur: Deambulatio citra ſudorem, & cum delectatione coniuncta: Luſus pilæ: Currendi, aut ſaltandi exercitatio, modo ſit moderata: ſemper enim illud tantopere celebratum ſeruari debet (ne quid nimis) obeſt item plurimum valetudini multo tempore continente, ac perpetua animi contentione, vel ſtudendo, vel contemplãdo laborare; & propterea cum aliquis circa animæ operationes, ſeu vires vltra modum tendit, fatigatur, & eam ob rem, remiſſione, & recreatione aliqua eget, quæ fiat per verba, vel facta ridicula, vel ad delectationem, & riſum prouocantia, quam D. Tho. vocat Iocunditatem, requiſitam contra fatigationem animalem, intermiſſa animi intentione à ſtudio rationis, &ærioſæ operationis; nam ſapientem decet interdum aciem mentis rebus agendis intentam remittere, vt docet Cato: Interpone tuis interdum gaudia curis, & ad hoc muſica, ſeu inſtrumenta muſicalia, inuenta ſunt. At cum Dæmon aſſiduè homini inſidietur, vt eum decipiat; pro iocunditate perſuadet ſcurrilitatem, & pro ludo alioqui licito, illi perſuadere conatur, ludos ad peccandum, quibus ſeipſum priuet gratia, & proximum bonis ſuis

ſpo-

ſpoliare conetur: & ea, quæ licita ſunt, vt aliqua circunſtantia, & fine malo illicita fiant, & propter hoc inuenit alearum ludos pro ocioſis, fraudes pro auaris, conuitia pro ſuperbis, amiſſionem temporis pro accidioſis; verba turpia, inhoneſta, & ebrietas pro luxurioſis; ſcandala pro negligentibus, quibus etſi ludus alioqui ſit licitus, fine tamen malo, & circunſtantijs ſæpè adeo fit illicitus, vt à lege Canonica, non ſolum clericis ludere, ſed neq; etiam ludentes aſpicere prohibeatur; & hoc ſaltem propter ſcandalum, quod laicis præberent: Et quamuis ludus ex ſui natura non ſit illicitus, propter finem tamen, & circunſtantias, vt dictum eſt, loci, temporis, perſonæ, &c. fit illicitus: Qui enim fine malo, & mala intentione ſpoliandi proximum ſuis bonis ludit, vitiat ludum: Qui tempore ieiunij, quadrageſimæ, paſſionis, & deuotionis ludit, vitiat ludum: Ludens in loco ſacro, vitiat ludum, & ex aliquorum Epiſcoporum conſtitutionibus eſt excommunicandus. Perſona ſacra, & Dei dedicata, & conſecrata ſeruitio, ludens coram laicis, ludo ei prohibito, vitiat ludum propter ſcandalum, & malum exemplum; inquit enim Apoſtolus, Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt, prima ad Corinth. 6. Ludens cum minoribus, furioſis, filijsfamilias, & cum religioſis, vitiat ludum: Multa certè quidem mala, & vitia cauſat ludus: nam homo propter ludum repletur iniquitate, proijcit virtutes, perturbat mentem, cogitat malum, conuertitur ad rapinas, ad furta, ad ſacrilegia, & ſæpè etiam ad homicidia: per ludum homo interior manifeſtatur quis ſit, ebrius autem animus, cupiditate ludendi aperit vitia, quæ latebat in mente: ibi enim fuerunt auaritia, ibi excitantur rixæ, lites, contentiones, iniuriæ, blaſphemiæ, & minæ; adeoq; inebriatur hoc vitio, vt cum non habeat quo ludere poſſit, profert in ludo proprias carnes, vxorem ſi habet; & peius eſt, inuocat Diaboli patrocinium, dat ei animam ad interitum: ſed cum ludus moderatus ſit neceſſarius ad conſeruationem vitæ humanæ, & ad omnia, quæ conducunt ad hoc, deputari poſſint aliqua officia licita, vt ſunt Comediæ, Tragędiæ, & ſi id genus alia, hinc fit, vt Mimi, atq; Hiſtrionis officium moderatum, ſine laſciuijs,

ſijs, & inhoneſtis actionibus permittatur: quapropter in ludo etiam licito, tria ſunt fugienda.

Primum, vt huiuſmodi delectatio, non quæratur in turpibus verbis, aut geſtibus ad laſciuiam prouocantibus, quia tales ludi dicuntur teatrales, & diabolici; quos D. Chriſoſtomus propter periculum diſtrictè prohibuit, non ſolum exercere, ſed etiam inſpicere: Item cauendum eſt, ne huiuſmodi delectatio, quæratur in nociuis famæ, honoris, perſonæ, vel alterius boni tàm ſpiritualis, quàm temporalis, quia tunc ex ſuo genere eſſet peccatum mortale.

Secundum, ne totaliter grauitas animæ diſſoluatur, quod fit, quando nimium tempus conſumitur, vel exceſſiuo affectu tenditur in ludicra, & ludos.

Tertium eſt, vt ſit conueniens perſonæ, tempori, & loco; præterea in ludicris, ſiue ludis dupliciter peccare contingit, vel per exceſſum, vel per defectum; per defectū quidem peccant illi, qui nec dicunt, nec faciunt aliquod, quod moueat riſum, aut ſibi, aut alijs conferat delectationem, ſed alijs potius moleſti ſunt, tanquam rudes: Per exceſſum verò, quando non obſeruantur hæc tria, vnde ludi tales dici poſſunt, potius inepta lætitia, quæ eſt filia gulæ; vnde, qui in turpibus illicitis, & nociuis famæ, vel dignitatis perſonæ, aut bonis alterius vſurpandis lætatur, vitium ex ſuo genere mortale committit; ſi illa præſertim, de quibus lætatur ſint mortalia, & veniale ſi ſunt venialia. Et quia modica delectatio, ſiue modicus ludus ſufficit ad refocillationem, ſeu animi recreationem; propterea, qui nimis excedit, peccare dicitur, quod peccatum diſſolutio vocatur, quæ ex ſuo genere eſt veniale, ſecluſo ſcandalo, & non prætermiſſis præceptis neceſſarijs ad ſalutem: Preterea cum ludus, & iocus ſit actus principaliter factus ad recreandum animum, per delectationem, aut voluptatem, iuxta Ariſt. 4. Ethic. & S.Tho. 2. 2. q.168. ar.2. Ludus, qui magis fit ob lucrum, aut alium finem, quam ad animi recreationem, non eſt propriè ludus, nec iocus, ſed actus alterius virtutis, aut vitij; qui ſi fiat factis, appellatur ludus; ſi verbis, iocus; & duplex eſſe poteſt, bonus, vel malus; bonus eſt, ſi fiat ad honeſtam animi recreationem, ſine

vlla mala circunſtantia, ex cuius frequentatione fit habitus honeſtè ludendi, aut iocandi,& eſt virtus quædam moralis, quam Ariſt. in Ethicis vocat Eutrapeliā; quæ eſt virtus quædam moderatiua ludi, non tamen fortunæ, ſed recreationis, quæ conſiſtit in verbis, vel factis facetis, & iocoſis, quæ poſita eſt inter extrema inordinatè ludendi, & inordinatè abſtinendi: Ludus verò non iocus malus eſt, qui lege vetatur, vel qui circunſtantia aliqua mala veſtitur, qui vt plurimum eſt peccatum veniale, & aliquando mortale. Vbi notandum erit, ludum non fieri mortalem ex ſola circunſtantia animi principaliter lucrandi aliquid, etiam notabile ab eo, qui donare poteſt, vt probat Reuerendiſs. Caietanus 2.2.q.168. art. 3. & in Summa verbo ludus: neq; etiam ex nimio,& ardenti ludendi appetitu, niſi cum extenditur ad violationem alicuius legis, quæ obligat ad mortale: qualis eſt eorum, qui noctes in dies, & dies in noctes vertentes, Miſſam, quæ eſt de præcepto omittunt; aut ſubeunt periculum amiſſionis bonorum, ſine quibus vxorem, & familiam ſibi ſuſtentandam de præcepto, ſuſtentare non poſſunt: aut debita ſtatuto tempore ſoluere: aut putantur inepti ad munera bellica, & ciuilia Reipublicæ, eis ad illa notabiliter egentis, & timentis ne pecuniam illis datam ludo perdant; ſimul, & deplorantis, eorum vicem, quod cum ſint rebus agendis apti, ob hanc vnam cauſam ad id reputantur inepti; neq; etiam ex circunſtantia loci ſacri, cum id nullo iure cautum ſit: niſi cum ſpecialiter in eo loco ludus prohibetur, qualis eſt recitatio Comędiæ, rerum profanarum, per cap. cum decorem, de vita, & honeſt. cler. Aut niſi fiat cum notabili ſcandalo, vel irreuerentia Dei, vel Eccleſiæ id præcipientis, per cap. decet, §. ceſſent, de immunit. Eccleſ. lib. 6. Neque ex circunſtantia temporis, quia quamuis peccatum ſit, totum diem feſtum in ludis, præſertim operoſis conſumere, quales ſunt ludus pilæ,& ſimiles; mortale tamen non eſt, niſi Miſſa, aut aliud diuinum Officium de præcepto, vel votum omittantur. Peccat præterea mortaliter contra octauum præceptum, Non ſis falſus teſtis, qui ludit cum notabili Dei irreuerentia, vel dictis, vel factis in ſe mortalibus, vel mortali circunſtantia

 veſti-

veſtitis, per concil. Trid. ſeſſ. 4. §. fin. quod grauiſſimè ferè in hæc verba prohibuit: Mandat ſancta Synodus,& pręcipit, ne de cętero quiſq; vllis ſacrę Scripturæ locis,vtatur ad ſcurrilia, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, ſortes, libellos etiam famoſos, per arg. cap. nec ſolo 33. q. 5. & tradit S. Tho. 2.2. q. 154. ar. 4. Peccat item mortaliter, quicunq; ludit rem notabilem ludo prohibito, lege obligante ad mortale, vel ludo licito cum eo, qui donare non poteſt: vel ēt ab eo, qui donare poteſt, ſed ad id trahitur metu coactus, vel per dolum,& fraudem decepto: Trahi aūt quis dicitur inuitus, non ſolum is, cui metus, aut fraus infertur, ſed etiam, qui in probis verbis, aut precibus euſque inſtigatur, vt niſi luderet, pudore ſuffunderetur,& tanquam inurbanus, rudis, & ignobilis haberetur Caiet. 22. q. 32. ar. 7. verſ. circa acquiſita: vel etiam, qui blanditijs, aut ſuaſionibus duceretur, vel metu; ſufficit enim non ſolum iuſtus metus, ſed etiam grandis reuerentialis: Sylu. verbo reſtitutio 4. q. verbis 4. Nauar. cap. 20. nu. 5. Qui fraude, & dolo, vel mendacio etiam ante ludum vincit, fingens neſcire ludere cum ſciat, tenetur reſtituere illi, ex quo vicit, quamuis perdens ſit dominus rei amittendæ: Sylu. verbo ludus, q. 11. vnde Seneca, Quanto in arte melior, tanto eſt nequior. Item, qui aſſerit ſe plura puncta habere, quam habeat, vel non admonens colluſorem, qui per errorem dicit ſe pauciora habere, vel ſurripiens manum quam dicunt, cum notabili damno, peccat mort. & eſt obnoxius reſtitutioni, Nauarr. cap. 19. num. 17.

Notandum item, quod clericis quibuſcunque, ſed maximè beneficiarijs, vel in ſacris ordinibus conſtitutis, etiam Monachis lege obligante ad mortale, interdicitur ludus alearum, ſiue fortunæ illicitus, per cap. Epiſcopus 35. diſt. per verbum illud damnetur: vbi ſignificatur prohiberi omnis ludus principalius nitens, tam ſorte, aut fortuna, quam induſtria, & arte, ex mente omnium: tum quia prædictam iuſtam legem canonicam, tranſgrediuntur: tum quia præfatum cap. 1. 35. diſt. & cap. inter dilectos, de exceſſibus Præ-

poteſt enim Papa omnem irregularitatem auferre, cum ſint canonica inpedimenta, non autem de iure diuino. Poteſt etiam Epiſcopus, ſed non niſi in caſibus, quos ſpecialiter tetegimus; in alijs oportet recurrere ad Papam, qui etiam poteſt ſuam poteſtatem alijs, vt voluerit delegare. Forma abſoluendi eſt, Diſpẽſo tecum ſuper irregularitate, vel irregularitatibus, quam, vel quas contraxiſti propter hoc, & hoc, & ſi res eſt dubia, dicitur, ſi contraxiſti.

De Iuriſdictione.

ALiud impedimentũ, quod ſolet ſacerdotem à ſuo retrahere officio, eſt defectus iuriſdictionis. eſt enim neceſſaria poteſtas iuriſdictionis ad ſacrorum adminiſtrationem, tamen notare oportet, quod dupliciter poteſt impedire adminiſtratio ſacramẽtorum. Vno modo, quo ad rectum vſum. Altero, quo ad vſum; tunc impeditur quo ad rectum vſum, cum ſi ſacramentum adminiſtretur in peccato mortali, tenet, & ſequitur effectus ſacramenti in recipiendo, tamen peccat qui exhibet; tunc verò impeditur quo ad vſum, cum irrita eſt ipſa ſacramenti adminiſtratio, quia verè non ſequitur effectus ſacramenti; iuxta hoc dico primò, in ſacramento pœnitentiæ, eſt iuriſdictio, quo ad vſum, ideſt ſi quis non habens iuriſdictionem, ideſt non exiſtens Epiſcopus, Parochus, vel habens curam animarum, tenet abſoluere, abſolutio eſt nulla, quia non eſt in eo iuriſdictio; vnde ſacerdos ſimplex non poteſt abſoluere à peccatis: exceptis tamen in tribus caſibus, ſcilicet.

Primò, in tempore mortis, aut periculo mortis.

Secundò, cum peccata ſunt venialia, aut mortalia, ſed iterum confeſſa, & abſoluta.

Tertiò, cum in eam transfertur authoritas vel per licentiam Epiſcopi, vel per diplomam, vel priuilegium Papæ, in quo conceditur facultas eligendi confeſſorem. Dico ſecundò in aliorum ſacramentorum adminiſtratione, eſt neceſſario iuriſdictio, quo ad rectum vſum, non tamen quo ad vſum, explico nullus poteſt, conferre Euchariſtiam, vel Extremam vn-

vnctionem,vel Ordines, vel Baptiſmum ſolemniter, niſi habens iuriſdictionem in eum cui confert, vel ex commiſſione habentis, ſitùm conferat, peccant, ſed tenet ſacramentum. In Euchariſtia verò, & Extrema vnctione neceſſitatis tempore, non peccaret. In Matrimonio autem non eſt neceſſaria, niſi præſentia Parochi, vel alterius ſacerdotis de eius licentia, quia non vt conferens concurrit ſacerdos, ſed ipſimet contrahentes. Dico tertiò ad Baptiſmum conferendum, non ſolemniter eo modo,quo laicus poteſt conferre, non eſt neceſſaria iuriſdictio, nec quo ad vſum, nec quo ad rectum vſum, cum etiam mulier poſſit in neceſſitate baptizare.

De Peccato Mortali.

Peccatum mortale, non quidem vſum ordinum,nec ſacramentorum adminiſtrationem impediens eſt, vt falſo Hæretici fingunt, ſed ſolum rectum vſum: ſacramenta enim collata ab illis,qui ſunt in peccato mortali,ſuum in ſuſcipere conſequuntur effectum; niſi ſuſcipiens ponat obicem peccati mortalis, qui eum ſic miniſtrant, in cuius gratiam: Notãdum eſt, peccatores hos miniſtros, poſſe eſſe in triplici differentia, vel re ſunt præſciti ab Eccleſia, aut tolerati, & hi vel publici, l. priuati, ſeu occulti; Præſciti dicuntur, qui ſunt ſeparati ab Eccleſia, per peccatum,vel per cenſuram ab officio excluſi, vt apoſtatæ, hæretici, ſciſmatæ, degradati, depoſiti, ſuſpenſi, excommunicati, interdicti, irregulares. Tolerati ſunt, qui in alijs ſunt peccatis, propter quæ ab Eccleſia non arcentur ab officio. Publici autem ſunt, cum eorum peccata alijs ſunt nota, cum verò ſecreta dicuntur occulti. Illi primi generis peccãt mortale, adminiſtrantes ſacramenta, & celebrantes, tum ſacramenta tenent, præter confeſſionem, vt dicunt multi hoc Notuer, quod irregularitas, ſolum arcet ab vſu ordinis, non iuriſdictionis, cum non eſt ex peccato: nec de his modo eſt præcipuè ſermo. Illi verò ſecundi generis, ſi adminiſtrant ſacramenta, tenẽt quidem, ſed ipſi peccant mortalem, in cuiusq; adminiſtratione præter baptiſmum cum confertur ſine ſolemnitate, in quo

caſu, etiam præciſſus poteſt abſq; peccato baptizare, nec excuſantur in alijs ſacramentis inuiuet neceſſitas adminiſtrandi, & ipſi miniſtri non poſſunt prius cõfiteri de peccato ſuo, nam tunc tenentur ſaltem conferri vt poſſunt, & idem peccatum committunt Diaconus, & Subdiaconus, qui ſolemniter ſuos exercent ordines in mortale peccato, idemq; dicẽdum de inferioribus ordinibus, ſi eadem ſolemnitate celebrent, ſi miniſtri publici peccatores ſint, idemq; dicendum de prædicante cum publicus ſit peccator, ij enim graue generant ſcandalum. Illi verò tertij generis etiam mortale peccant, licet non ita grauiter, præter duos, vel qui in minoribus ſunt ordinati, nam hi, qui non ita propinqui ſunt ſacramento Altaris à mortali excuſantur, niſi adſit contemptus. Similiter præter prædicantem, quia non eſt actus ex ſe ordini deputatus, non enim mortaliter peccat, ſi reuerenter accedat, & contemptus non adſit; Eodem modo excuſarentur à mortali, quamuis publici eſſent, ſi non eſſet tanta notificatio, vt graue fieret ſcandalum; ſed alij non excuſantur, quia ſunt proximi ſacramento puriſſimo, quod ſi tibi arduum videtur, quod conferens in mortali ſacramenta, peccant mortale. Audi rationem huius, & ceſſabit admiratio. Tria conueniunt maximè in miniſtro ſacramentorum, quæ ipſum obligant, vt abſq; conſcium peccati mortalis ſacramenta miniſtret.

Primum eſt ipſa ſpiritualis conſecratio, per quam poteſtas ei data eſt, nam per ſacramentum gratiæ conſtitutus eſt, & ordinatus miniſter Domini, vnde tenetur ſe in officio ſuo talem exhibere, qualis per ordinationem effectus eſt.

Secundum eſt ipſa gratia ad hoc peculiariter collata: nam ſacramentum Ordinis imprimit eam gratiam, videlicet characterem, quo homo valet exercere, ea quæ ſunt ordinis: non enim conſtituit Dominus aliquem in officio, l. dignitates aliqua, quin ei conferat quantum ex ſe, quæ neceſſaria ſunt, vt exercent ea, quæ talis ſunt muneris, vnde peccat, qui abſq; tali dignitate accedit ad ea exercenda, quæ ſunt ordinis, & ex genere ſuo peccatum eſt mortale, & accedente grauitate materiæ, vt fit in caſibus prædictis, eſt mortale.

Tertium eſt, quia in talibus actibus ſe exhibet miniſtrum

Re-

Religionis Chriſtianæ, & cultus ſpiritualis, & diuini, oportet ergo eſſe in charitate, ſeu abſq; conſcientia mortalis peccati, qui ſe miniſtrum tanti cultus exhibet.

Quando licet à malis miniſtris accipere ſacramentum.

TAnta eſt humana nequitia, vt ſæpè contingat, quòd miniſtri conſcientias proprias negligentes, ſacramenta adminiſtrare non formident, vnde oportet fidelem eſſe præparatum, & ſcire à quibus, & quomodo poſſit talia recipere ſacramenta, & vt iuxta diſtinctionem in capite præcedenti poſitam procedatur. Dico ante omnia, quod huiuſmodi miniſtri poſſunt ſe dupliciter habere. Primo modo, quod ipſi ſunt expoſiti ſacramenta adminiſtrantes, vel celebrantes, vt qui ſedet in loco ſuo audiens confeſſiones, l. q. in Eccleſia eſt adhibens ſacramenta, l. non ſunt ſic expoſiti, ſed ſunt parati, vt ſi aliquis ab ipſis peteret, ipſi ſtatim conferrent.

Rurſus iſti, aut ſunt, quibus ex officio incumbit adminiſtrare ſacramenta, vt Parochus, Curatus, Epiſcopus, vel ſimiles; aut ſunt, quibus non ex officio incũbit, ſed ex aliqua facultate, vel alia de cauſa; iuxta hoc dico: Primò, à non toleratis ab Eccleſia, ſiue parati, ſiue non parati, ſeu expoſiti ſint, ſiue ex officio incumbat eis, ſiue non; non licet vllum ſacramentum recipere, etiam in neceſſitatis tempore, præter baptiſmum, 24. q. 1. c. ſi quem fortè. Explico, ſi eſſet aliquis Parochus hæreticus, aut ſciſmaticus, aut nominatim excommunicatus, non licet eum, quamuis celebrantem audire, etiam in die Dominico, nec ab ipſo communionem accipere, quamuis validè eſſet ſacramentum, nec aliud recipere ſacramentum, quamuis ipſe eſſet expoſitus, & velit miniſtrare, baptiſmus licet, quia eſt ſacramentum neceſſitatis, & hic poteſt etiam à quouis miniſtrari, tunc talis conferendo non peccat, quod ſi eſſet laicus, melius eſſet ab hoc ſumere.

Aliqui viri docti tenent in articulo mortis poſſe confeſſionem ſuſcepi ab his, & poteſt abſque ſcrupulo id ſuſtineri; ſed communis Theologorum ſententia eſt in contrarium: vnde

vnde veriſimilibus putarem, vt ab hæretico, & ſciſmatico, & apoſtata (ſi aliter fieri non poſſet, niſi in extrema neceſſitate, & ille quod facit Eccleſia ritè obſeruaret) non liceret ab alijs præciſis liceret.

Dico ſecundò, à malis miniſtris ſecundi, & tertij generis, ſi ſint expoſiti, ſiue ex officio incumbat, ſiue non, dummodo non ſequatur aliquod graue ſcãdalum, poſſumus ſacramenta recipere. Nam Eccleſia ipſos tolerat, & ipſi talia adminiſtrantes ſacramenta, ſibi ſolis nocent, 1 1. q. 8. can. ſciſcitantibus: dicit Nico. Pa. quod iſti ſunt ſicut fax accenſa, quæ alios illuminat, ſe ipſum conſumens, & vnde alijs commodum exhibetur, ſibi diſpendium præbent.

Dico tertiò, ab his, quibus ex officio incumbit, ſiue in neceſſitate, ſiue non, quia ille ex officio tenetur quandocunq; petiero miniſtrare, nec ego ius meũ amitto ex illius malitia.

Dico quartò, ab eo, cui non incumbit ex officio, quando non eſt tempus neceſſitatis, non licet petere à non expoſito, ſacramentũ, quia tunc eſt verè inducere eum ad peccandum, non enim habeo ius exigendi ab eo; imminente quidem neceſſitate mortis id fieri poteſt, quia tunc quilibet ſacerdos ex officio tenetur adminiſtrare, & non ſufficit alia neceſſitas; nam quando eſt neceſsitas præcepti Eccleſiæ, puta confiteri, & ſumere Euchariſtiam tempore Paſchatis, tunc ſi non eſſet is, cui ex officio incumbit, non licet petere à non parato, nec expoſito, quamuis ſit priuilegium, vt à quouis poſſit pœnitens accipere ſacramenta.

Dico quintò, quod cum toleratis ab Eccleſia oportet adnumerare excommunicatos, qui non ſunt nominati, & publici, nec publici percuſſores clericorum, eſt enim hoc poſt bullam concil. Conſtan. quamuis iſti peccant adminiſtrando, vt probabilius eſt: Item de ſuſpenſis, & interdictis, quia illæ cenſuræ ſunt, & par earum habetur ratio in bulla illius concilij.

De Ludo, præſertim Alearum.

QVoniam natura cuiusq; noſtrum, ex animo, & corpore conſtat: propterea vtriuſq; ratio habēda eſt; corporis, quia eſt inſtrumentum neceſſarium animæ ad intelligendum, valetudo, & firmitas diligenter curanda eſt; Hæc autem moderato cibo, ac potu, ſomno, & exercitatione conſeruatur, & augetur. Quapropter exercitatio corporis, triplici nomine neceſſaria, nedum vtilis eſt, primò, vt mens fatigata, ſtudendo, ſeu contemplando recreetur; nam quòd caret alterna requie, durabile non eſt, vt ait Ouidius. Deinde confert exercitatio corporis, ad decoquendum cibum, cæteraſq; functiones vitæ peragendas. Poſtremò conducit ad arcendos morbos, humores ſuperfluos pellendos, qui niſi magna cura depellatur, valetudinem, ac firmitatem corporis labefactant. Exercitationes corporis, hæ præſcribuntur, & in primis ab antiquis laudantur: Deambulatio citra ſudorem, & cum delectatione coniuncta: Luſus pilæ: Currendi, aut ſaltandi exercitatio, modo ſit moderata: ſemper enim illud tantopere celebratum ſeruari debet (ne quid nimis) obeſt item plurimum valetudini multo tempore continente, ac perpetua animi contentione, vel ſtudendo, vel contemplādo laborare; & propterea cum aliquis circa animæ operationes, ſeu vires vltra modum tendit, fatigatur, & eam ob rem, remiſſione, & recreatione aliqua eget, quæ fiat per verba, vel facta ridicula, vel ad delectationem, & riſum prouocantia, quam D. Tho. vocat Iocunditatem, requiſitam contra fatigationem animalem, intermiſſa animi intentione à ſtudio rationis, & erioſæ operationis; nam ſapientem decet interdum aciem mentis rebus agendis intentam remittere, vt docet Cato: Interpone tuis interdum gaudia curis, & ad hoc muſica, ſeu inſtrumenta muſicalia, inuenta ſunt. At cum Dæmon aſſiduè homini inſidietur, vt eum decipiat; pro iocunditate perſuadet ſcurrilitatem, & pro ludo alioqui licito, illi perſuadere conatur, ludos ad peccandum, quibus ſeipſum priuet gratia, & proximum bonis ſuis

ſpoliare conetur: & ea, quæ licita ſunt, vt aliqua circunſtantia, & fine malo illicita fiant, & propter hoc inuenit alearum ludos pro ocioſis, fraudes pro auaris, conuitia pro ſuperbis, amiſſionem temporis pro accidioſis; verba turpia, inhoneſta, & ebrietas pro luxurioſis; ſcandala pro negligentibus, quibus etſi ludus alioqui ſit licitus, fine tamen malo, & circunſtantijs ſæpè adeo fit illicitus, vt à lege Canonica, non ſolum clericis ludere, ſed neq; etiam ludentes aſpicere prohibeatur; & hoc ſaltem propter ſcandalum, quod laicis præberent: Et quamuis ludus ex ſui natura non ſit illicitus, propter finem tamen, & circunſtantias, vt dictum eſt, loci, temporis, perſonæ, &c. fit illicitus: Qui enim fine malo, & mala intentione ſpoliandi proximum ſuis bonis ludit, viciat ludum: Qui tempore ieiunij, quadrageſimæ, paſſionis, & deuotionis ludit, viciat ludum: Ludens in loco ſacro, viciat ludum, & ex aliquorum Epiſcoporum conſtitutionibus eſt excommunicandus. Perſona ſacra, & Dei dedicata, & conſecrata ſeruitio, ludens coram laicis, ludo ei prohibito, vitiat ludum propter ſcandalum, & malum exemplum; inquit enim Apoſtolus, Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt, prima ad Corinth. 6. Ludens cum minoribus, furioſis, filijsfamilias, & cum religioſis, vitiat ludum: Multa certè quidem mala, & vitia cauſat ludus: nam homo propter ludum repletur iniquitate, proijcit virtutes, perturbat mentem, cogitat malum, conuertitur ad rapinas, ad furta, ad ſacrilegia, & ſæpè etiam ad homicidia: per ludum homo interior manifeſtatur quis ſit, ebrius autem animus, cupiditate ludendi aperit vitia, quæ latebāt in mente: ibi enim fuerunt auaritia, ibi excitantur rixæ, lites, contentiones, iniuriæ, blaſphemiæ, & minæ; adeoq; inebriatur hoc vitio, vt cum non habeat quo ludere poſſit, profert in ludo proprias carnes, vxorem ſi habet; & peius eſt, inuocat Diaboli patrocinium, dat ei animam ad interitum: ſed cum ludus moderatus ſit neceſſarius ad conſeruationem vitæ humanæ, & ad omnia, quæ conducunt ad hoc, deputari poſſint aliqua officia licita, vt ſunt Comediæ, Tragędiæ, & ſi id genus alia, hinc fit, vt Mimi, atq; Hiſtrionis officium moderatum, ſine laſci-

uijs,

alijs, & inhoneſtis actionibus permittatur: quapropter in ludo etiam licito, tria ſunt fugienda.

Primum, vt huiuſmodi delectatio, non quæratur in turpibus verbis, aut geſtibus ad laſciuiam prouocantibus, quia tales ludi dicuntur teatrales, & diabolici; quos D. Chriſoſtomus propter periculum diſtrictè prohibuit, non ſolum exercere, ſed etiam inſpicere: Item cauendum eſt, ne huiuſmodi delectatio, quæratur in nociuis famæ, honoris, perſonæ, vel alterius boni tàm ſpiritualis, quàm temporalis, quia tunc ex ſuo genere eſſet peccatum mortale.

Secundum, ne totaliter grauitas animæ diſſoluatur, quod fit, quando nimium tempus conſumitur, vel exceſſiuo affectu tenditur in ludicra, & ludos.

Tertium eſt, vt ſit conueniens perſonæ, tempori, & loco; præterea in ludicris, ſiue ludis dupliciter peccare contingit, vel per exceſſum, vel per defectum; per defectū quidem peccant illi, qui nec dicunt, nec faciunt aliquod, quod moueat riſum, aut ſibi, aut alijs conferat delectationem, ſed alijs potius moleſti ſunt, tanquam rudes: Per exceſſum verò, quando non obſeruantur hæc tria, vnde ludi tales dici poſſunt, potius inepta lætitia, quæ eſt filia gulæ; vnde, qui in turpibus illicitis, & nociuis famæ, vel dignitatis perſonæ, aut bonis alterius vſurpandis lætatur, vitium ex ſuo genere mortale committit; ſi illa præſertim, de quibus lætatur ſint mortalia, & veniale ſi ſunt venialia. Et quia modica delectatio, ſiue modicus ludus ſufficit ad refocillationem, ſeu animi recreationem; propterea, qui nimis excedit, peccare dicitur, quod peccatum diſſolutio vocatur, quæ ex ſuo genere eſt veniale, ſecluſo ſcandalo, & non prætermiſſis præceptis neceſſarijs ad ſalutem: Pręterea cum ludus, & iocus ſit actus principaliter factus ad recreandum animum, per delectationem, aut voluptatem, iuxta Ariſt. 4. Ethic. & S. Tho. 2. 2. q. 168. ar. 2. Ludus, qui magis fit ob lucrum, aut alium finem, quam ad animi recreationem, non eſt propriè ludus, nec iocus, ſed actus alterius virtutis, aut vitij; qui ſi fiat factis, appellatur ludus; ſi verbis, iocus; & duplex eſſe poteſt, bonus, vel malus; bonus eſt, ſi fiat ad honeſtam animi recreationem, fine,

vlla mala circunſtantia, ex cuius frequentatione fit habitus honeſtè ludendi, aut iocandi, & eſt virtus quædam moralis, quam Ariſt. in Ethicis vocat Eutrapeliã; quæ eſt virtus quædam moderatiua ludi, non tamen fortunæ, ſed recreationis, quæ conſiſtit in verbis, vel factis facetis, & iocoſis, quæ poſita eſt inter extrema inordinatè ludendi, & inordinatè abſtinendi: Ludus verò non iocus malus eſt, qui lege vetatur, vel qui circunſtantia aliqua mala veſtitur, qui vt plurimum eſt peccatum veniale, & aliquando mortale. Vbi notandum erit, ludum non fieri mortalem ex ſola circunſtantia animi principaliter lucrandi aliquid, etiam notabile ab eo, qui donare poteſt, vt probat Reuerendiſs. Caietanus 2.2.q.168. ar. 3. & in Summa verbo ludus: neq; etiam ex nimio, & ardenti ludendi appetitu, niſi cum extenditur ad violationem alicuius legis, quæ obligat ad mortale: qualis eſt eorum, qui noctes in dies, & dies in noctes vertentes, Miſſam, quæ eſt de præcepto omittunt; aut ſubeunt periculum amiſſionis bonorum, ſine quibus vxorem, & familiam ſibi ſuſtentandam de præcepto, ſuſtentare non poſſunt: aut debita ſtatuto tempore ſoluere: aut putantur inepti ad munera bellica, & ciuilia Reipublicæ, eis ad illa notabiliter egentis, & timentis ne pecuniam illis datam ludo perdant; ſimul, & deplorantis, eorum vicem, quod cum ſint rebus agendis apti, ob hanc vnam cauſam ad id reputantur inepti; neq; etiam ex circunſtantia loci ſacri, cum id nullo iure cautum ſit: niſi cum ſpecialiter in eo loco ludus prohibetur, qualis eſt recitatio Comediæ, rerum profanarum, per cap. cum decorem, de vita, & honeſt. cler. Aut niſi fiat cum notabili ſcandalo, vel irreuerentia Dei, vel Eccleſiæ id præcipientis, per cap. decet, §. ceſſent, de immunit. Eccleſ. lib. 6. Neque ex circunſtantia temporis, quia quamuis peccatum ſit, totum diem feſtum in ludis, præſertim operoſis conſumere, quales ſunt ludus pilæ, & ſimiles; mortale tamen non eſt, niſi Miſſa, aut aliud diuinum Officium de præcepto, vel votum omittantur. Peccat præterea mortaliter contra octauum præceptum, Non ſis falſus teſtis, qui ludit cum notabili Dei irreuerentia, vel dictis, vel factis in ſe mortalibus, vel mortali circunſtantia

veſtitis, per concil. Trid. ſeſſ. 4. §. fin. quod grauiſſimè ferè in hæc verba prohibuit: Mandat ſancta Synodus, & pręcipit, ne de cętero quiſq; vllis ſacrę Scripturæ locis, vtatur ad ſcurrilia, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, ſortes, libellos etiam famoſos, per arg. cap. nec ſolo 33. q. 5. & tradit S. Tho. 2.2. q. 154. ar. 4. Peccat item mortaliter, quicunq; ludit rem notabilem ludo prohibito, lege obligante ad mortale, vel ludo licito cum eo, qui donare non poteſt: vel ẽt ab eo, qui donare poteſt, ſed ad id trahitur metu coactus, vel per dolum, & fraudem decepto: Trahi aũt quis dicitur inuitus, non ſolum is, cui metus, aut fraus infertur, ſed etiam, qui in probis verbis, aut precibus eouſque inſtigatur, vt niſi luderet, pudore ſuffunderetur, & tanquam inurbanus, rudis, & ignobilis haberetur Caiet. 22. q. 32. ar. 7. verſ. circa acquiſita: vel etiam, qui blanditijs, aut ſuaſionibus ducеretur, vel metu; ſufficit enim non ſolum iuſtus metus, ſed etiam grandis reuerentialis: Sylu. verbo reſtitutio 4. q. verbis 4. Nauar. cap. 20. nu. 5. Qui fraude, & dolo, vel mendacio etiam ante ludum vincit, fingens neſcire ludere cum ſciat, tenetur reſtituere illi, ex quo vicit, quamuis perdens ſit dominus rei amittendæ: Sylu. verbo ludus, q. 11. vnde Seneca, Quanto in arte melior, tanto eſt nequior. Item, qui aſſerit ſe plura puncta habere, quam habeat, vel non admonens colluſorem, qui per errorem dicit ſe pauciora habere, vel ſurripiens manum quam dicunt, cum notabili damno, peccat mort. & eſt obnoxius reſtitutioni, Nauarr. cap. 19. num. 17.

Notandum item, quod clericis quibuſcunque, ſed maximè beneficiarijs, vel in ſacris ordinibus conſtitutis, etiam Monachis lege obligante ad mortale, interdicitur ludus alearum, ſiue fortunæ illicitus, per cap. Epiſcopus 35. diſt. per verbum illud damnetur: vbi ſignificatur prohiberi omnis ludus principalius nitens, tam ſorte, aut fortuna, quam induſtria, & arte, ex mente omnium: tum quia prædictam iuſtam legem canonicam, tranſgrediuntur: tum quia præfatum cap. 1. 35. diſt. & cap. inter dilectos, de exceſſibus Prælato-

latorum, iubent clericum ob alearum vſum, deponi ab officio, vel beneficio, quòd mortalem culpam præſupponit: arg. cap. non afferamus 24. q. 1. quod ſignificat Io. maior, & Caiet. Tum quia in profanum, & malum vſum, redditibus in pium vſum dicatis abutuntur, Nauar. de redditibus eccleſiaſticis q. 1. monitu 27. Tum quia concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. de reform. præcepit ſeruari iura ante illud per ſummos Pontifices, promulgata, & alia concilia ſuper ludo, & luxu clericorum ſtatuta: Ratio autem, quare leges probibent potius ludum alearum, quàm alios ludos eſt: quia aſſuefactio ludi alearum nutrit ocium, quod eſt fomentum carnalis concupiſcentiæ, luxuriæ, & aliorum vitiorum; neque ibi adiſcitur aliquid, quod futurum ſit vtile Reipublicæ, neque ibi exercentur vires corporis, neque hominis ingenium, cum totum committatur fortunæ; & ideò iure tàm ciuili, quàm canonico, ludus ille prohibetur.

Nota item, qui cauponam, vel domum, ad recipiendum aleatores ludentes expoſitam habent, excommunicationi ab ordinarijs locorum ſubijci debent, magna eſt enim in ipſa ſeueritate pietas, vt verbis concilij Turonenſis vtamur, per quam tollitur peccandi facultas; vbi enim inſana, & ſtulta libertas, generat vulnera; ſacerdotalis diſtrictio dat medelam: ex quibus verbis colligitur, tales luſores, & domum præſtantes, ad hoc eſſe excommunicandos, per arg. text. in cap. eccleſiaſtica, diſt. 23. Et hoc merito, cum prædictæ domus ſic expoſitæ, ſint multorum vitiorum ſentinæ; ex ludo enim, multa mala procedunt. Primum quidem, oritur deſiderium lucrandi, quod eſt cupiditas radix omnium malorum. Secundum, blaſphemiæ, verba ocioſa, mendacia, periuria, corruptio proximorum, qui ad ludum conueniunt, temporis, & bonorum amiſſio: ſcandalum, quia multi videntes ludere, mouentur, & ipſi ad ludendum (& quod eſt peſſimum) quando filij vident patrem, aut matrem ludere, incitantur & ipſi, & ab ipſis parentibus diſcunt, & in dies parentibus deteriores fiunt: Nauar. c. 20. nu. 15.

Qui itē luſoribus huiuſmodi subminiſtrat candelas, menſam, aut alia ad ludum neceſſaria ludentibus ludo mortali,

mor-

mortaliter peccat, quia iuuat, & conſentit ad peccandum: Nauar. cap. 19. nu. 15. & tenetur ad reſtit. omnium, quæ ad ipſum perueniunt, Syluester in verbo ludus q. 15. Quod autem ſit peccatū mortale probatur, per ſummam conciliorum in 6. com. fo. 281. in paruo opuſculo, vbi alearum ludus, clericis interdicitur, ſub pœna excommunicationis, quæ quidem pœna, demonſtrat peccatum mortale: iuxtà gloſ. in cap. 1. de ſagit.

Caueant igitur clerici, quibus non ſolum interdicitur ludus, ſed etiam prohibetur, ne ludentes aſpiciant multo tempore, ne & ipſi mortaliter peccent, tanquam fautores, & conſentientes ludentibus: d. 35. cap. 1. ex Apoſtolorum canone 43. Epiſcopus, aut presbyter, aut Diaconus, aleæ deſeruientes, aut deſinant, aut ab officio deponantur.

Non prohibetur tamen ludus, quo non principaliter ob lucrum, ſed honeſtæ potius recreationis cauſa luditur, breui tempore: vt quo à prandio, vel à cęna luditur cauſa ſolatij, nullius rei pecuniariæ lucro propoſito; vel ſolum alicuius eſculenti, vel poculenti, vel ſpirituali lucro pręcum aliquarum pro vincente à victo dicendarum: Tum quia id permittitur per legem; quod in conuiuio, ff. de aleæ luſu, & aleat; tum quia ratio legis, quæ tales ludos prohibet eſt, refrenare auaritiam, quæ ceſſat in prædictis. Sed prohibetur ludus etiam induſtria, & arte potius, quàm fortuna nitens, quo æquè, vel principalius luditur cauſa lucrandi, quàm relaxandi animum; quia eſt inordinatus lucrandi actus, quoniam ludus inuentus ad honeſtum animi recreationem, vertitur in turpem negociationem, & turpe lucrum.

Qui certo ſcit aliquid præteritum, vel futurum, & diſſimulat neſcire, vt alium ad ſponſionem, hoc eſt, *A far Scommeſſa*, inducat, & ſpondet rem notabilem, peccat mort. quia doloſè induxit in damnum notabile proximi. Nauar. cap. 20. nu. 18.

Quocirca concludendum eſt, quamuis ludus, ſiue ingenij, vt ſcaccorum, ſiue fortunæ, vt alearum ex ſe ſit aliquando licitus, ita vt per eum iuſtè ſeruatis ſeruandis, ſecundum ludi iuſtitiam transferatur dominium in eum, qui aliquid

lucratus fuerit, de præſenti pecunia; Ex aliquibus tamen malis circunſtantijs, illi adhærentibus redditur illicitus: nam quæ fraude, & dolo extra ludi naturam acquiruntur, obnoxia ſunt reſtitutioni: Quandoq; enim per fictionem, vt cum quis ſe ignarũ illius ludi fingit, quem maximè, & optimè nouit,& ad illum trahit alium ignarum: tunc totũ,quod per huiuſmodi ludum acquiſiuit, illi reſtituere tenetur.

Sicuti etiam tenetur cum quis ad ludendum, vi, nimis, vel improbis, & importunis precibus, & ſuaſionibus trahitur, vt quaſi inuitus, & coactus ludat, eo modo, quo dictum eſt ſupra, ſi quid ludo perdat, ei reſtituendum eſt. Quemadmodũ etiam tenetur, qui chartis ſignatis ludit, vel qui fraude ludi legibus repugnante videat chartas colluſoris, vel aliquid iniuſtum adhibeat: non tamen ſic,qui fingit ſe habere chartas malas. Item ea ſunt reſtitutioni obnoxia, quæ ludo acquiruntur ab ijs, qui non ſunt ſui iuris, vt ſunt pupilli, filijfamilias, vxores non habentes aliquid de proprio, monachi, religioſi, & clerici nihil habentes, præter fructus beneficij, qui iuxta Nauarri opinionem, & aliorum multorum, ſi quantitatem notabilem perdunt ludo alearum,ſibi prohibito,mortaliter peccant,cum non ſint domini, ſed diſpenſatores illorum, Nauar. in man. c. 17. nu. 7. & de redditibus eccleſiaſticis q. 1. monitu 27. Vnde ex hoc infertur, vt qui ludo perdere nequit, cum nihil de ſuo habeat, neq; etiam lucrari poteſt ludendo; & ſi quid ſic lucratur, ei reſtituere tenetur à quo accepit: quia in omni contractu, par conditio eſſe debet, quæ non adeſſet ibi, vbi quis lucrari poſſet,& non perdere, quod omninò eſſet contra iuſtitiam: Præterea filij familias,qui in literarum ſtudio commorantur, de pecunijs à parentibus ſibi traditis, ex centum, quatuor, vel quinque præſumitur ludo perdere poſſe: & cum plus perdere nõ poſſint, ſequitur, quod nec lucrari plus poſſint, quam quinque, quod etiam eſt intelligendum de quacunq; perſona ſic ligata ad ludendum. Vxor item, quæ bona vltra dotem habet, poteſt illa ludo perdere, & ſimiliter id, quod ſua priuata induſtria, & labore acquiſiuiſſet, poſtquam curæ domeſticæ plenè ſatisfecit. Et hæc eſt ſumma, & ſentẽtia penè omnium, qui de ludo ſcripſerunt.

Qua-

Quapropter videant Reuerendiſs. Epiſcopi, quid ſibi in hac materia ſit prudenter agendum, tam cum publicis aleatoribus, quam cum ſuis clericis ludentibus: ne & ipſi conſentientes, vel in Dei iudicio dormientes inueniantur, tanquam ſpeculatores cœci non videntes, & non cuſtodientes gregem contra lupos inferni rapaciſſimos, pęnam ſibi à Domino cominatam incurrant.

De Fuco, & Ornatu Mulierum.

DE Fuco, & Ornatu tractaturi, primò quid vox Fuci, & Ornatus ſit, declarabimus: Deinde quantum ad rem attinet, diuiſionem fuci, & ornatus ponemus: Tertiò, oſtendemus ornatum, & fucum licitè, & cum merito, quandoq; (licet raró) fieri poſſe: Quartò, ſæpè fieri cum peccato veniali: Quintò, ſæpè etiam peccata mortalia in eo committi: Sextò, diluemus rationes, quibus fucus, & ornatus ſuperfluus defendi ſolet: Septimò, & vltimò, ſubijciemus remedia, quibus ſuſtolli, vel moderari hic abuſus poſſit.

Quo ad primum igitur, per fucum hic intelligimus cultum illum pulchritudinis, qui mulierum præſertim arte fieri ſolet, vel ad cutis mollitiem, & ſplendorem ad colorem rubrum, vel album mentiendum, vel ad oculorum pulchritudinem augendam, ſiue cum quis acrioribus, & abſtergentibus, vel alijs vnguentis maculas faciei, & pellis duritiem tollentibus, & nitorem comparantibus, vtuntur, ſiue cũ cęruſa, & perpuriſſo faciem liniunt, & incruſtant, & ſtibio oculos ſuffundunt: ſiue cum pilos è cilijs, & fronte euellunt, ſiue cum crines intorquent, vel alienis capillis vtantur, &c.

Per ornatum verò intelligimus, quicquid gemmarum, & auri, & veſtium adhibetur, ſiue corpori, ſiue etiam lectis, & parietibus, & iumentis, quibus inſidunt: Sic enim accepto fuco, & ornatu, duobus libellis tractat Tertullianus hanc rem, quorum priorem de cultu mulierum, poſteriorem verò de ornatu earumdem inſcripſit.

Quo ad ſecundum notandum (quantum ad rem præſentem

tem attinet) duplicem eſſe, ſiue fucum, ſiue ornatum: alterum exceſſiuum, & ſuperfluum: alterum verò moderatum: Exceſſiuus antem eſt ille, qui iudicio bonorũ, & prudentum virorum, metas rationis excedit: Moderatus verò eſt, qui eorumdem iudicio, intra rationis metas continetur, & index eſt modeſtiæ, & pudicitiæ, & verecundiæ illo vtentis; qui quidem proculdubio varius eſt, pro varietate, & conditione, temporis,& vtentium: alius enim decet Chriſtianum, alius decebat olim Iudæũ, alius religioſum, alius ſecularem, alius nobilem, alius ignobilem, alius diuitem, alius pauperem, alius Principem, alius ſubditum, alius iuuenem, alius ſenem, alius virum, alius fœminam; & in quouis horum habet aliqualem latitudinem, nec in puncto, & in indiuiſibili conſiſtit, &c. Quibus ſuppoſitis, iam patet tertium, ſcilicet quandoque (licet rarò) licitè, & etiam cum merito adhiberi huiuſmodi fucum, vel ornatum, qui moderatus, & non exceſſiuus ſit; quod quidem & ſcriptura, & ratione conſtat: ait enim ſcriptura de probatiſſima illa Iudith vidua loquens: Iudith cap. 10. Vocauitq; Abram ſuam, quæ erat ipſius ancilla, & deſcendens in domum ſuam, abſtulit à ſe cilicium, & exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ, & lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myrto optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induitq; ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitq; dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos; & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe: cui etiam Dominus contulit ſplendorem, quoniam omnis iſta compoſitio, non ex libidine, ſed ex virtute pendebat; & ideò Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret. Ex hoc loco, non ſolum conſtat, ſanctam illam Iudith vſam fuiſſe ornatu, & fuco in hoc opere decipiendi Holofernis, ſed olim viuente marito, ſimiliter indutam fuiſſe, dicente ſcriptura: Induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, & rurſus,& omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe.

De Heſter quoq; ſancta Regina, ait ſcriptura, in libro Heſter cap. 15. Die autem tertio, depoſuit veſtimenta ornatus ſui,& circundata eſt gloria ſua; cumq; regio fulgeret habitu, & in-

& inuocaſſet omnium Rectorem, & Saluatorem Deum, aſſumpſit duas famulas, & ſuper vna quidem innitebatur, quaſi præ delitijs, & nimia teneritate, corpus ſuum ferre non ſuſtinens: Altera autem famularum ſequebatur Dominam, defluentia in humum indumenta ſuſtentans: ipſa autem roſeo colore vultum perfuſa, gratis, ac intentibus oculis, triſtem celabat animum, nimio timore contractum.

In Ezechiele quoq; alloquitur Dominus Iudæam, exprobrans beneficia ei collata ſub typo ornamentorum, quæ honeſtæ vxori dari ſolent, dicens: Laui te aqua, & emundaui ſanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo, & veſtiui te diſcoloribus, calceaui te hyacintho, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos in auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo, & ornata es aureo, & argento, & veſtita es byſſo, & polymito, & multis coloribus ſimilam, & mel, & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis, & profeciſti in Regnum: Ezechielis cap. 16.

Dauid etiam ſub typo Reginæ honeſtæ, Eccleſiam deſcribens, ait: Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate: Pſal. 44.

Salomon quoque ſub eodem typo in perſona Chriſti, ait Eccleſiæ, quaſi Reginæ: Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis, collum tuum ſicut monilia, murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento, &c.

De Muliere quoq; forti, ait Salomon 31. cap. ſtragulatam veſtem fecit ſibi, byſſus, & purpura indumentum eius: ſancta quoq; Suſanna, licet natura pulchra, balneo, & vnguentis vtebatur: ait enim ancillis ſuis, Afferte mihi oleum, & ſmigmata, & oſtia pomarij claudite, vt lauer. Sed ne hæc, vt antiqua illicita iam putentur, quia reuera multa licebant in veteri Teſtamento, quæ iam non licent; eſt enim ſententia D. Pauli, dicentis ad Timotheum: Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe: vbi Paulus vult habitum honeſtum, hoc eſt decẽtem, & mundum; vult etiam mulieres ornare ſe modo ſobriè, & cum ve-

recundia id facere: quod etiam ratio ipſa ſuadet; quæ enim viro coniuncta eſt mulier, & ſobriè ſe ornat, ſine aliqua intentione praua; ſed potius ea mente, vt placeat viro ſuo, iudicans probabiliter id neceſſarium, vt alliciat virum ſuum ad amorem, & vſum coniugalem, & vt ipſum ab alienis retrahat, non ſolum non peccat, ſed ſi in charitate ſit, etiã meretur ſic modeſtè ſe ornans, & fucans, modo maritus non prohibeat, ſed potius (vt communiter fit) gaudeat: vt enim gaudet bonus agricola de rectè culto agro ſuo, ita etiam probus maritus, gaudere ſolet de honeſtè culta vxore ſua: Quod quidem verum eſt, non ſolum de veſtium ornatu, ſed etiam de aliquali fuco; Idem etiam licere probatur, ſi fucum, & ornamentum adhibeat ad tegendam aliquam notabilem fœditatem, præſertim ſi maritum à ſe auertere poſſit, vt S. Tho. ait 2. 2. q. 169. quod Abulenſis etiam limitat, vbi fucus non ſit contra conſuetudinem regionis: alius etiam limitat, ad turpitudinem cauſatam ex aliquo accidenti, nam ſi naturalis eſſet, deberet quis contentus eſſe de diuina diſtributione, & nolle corrigere opus eius.

Tertiò limitandum eſt, modo fucus non excedat neceſſitatem tegendi forditatem, ſed ſit tantum, quantam tectio ipſa requirit, &c.

Quartum, ex propoſitis etiam probatur, ornatum, & fucum, quandoque cum ſolo peccato veniali adhiberi; nam ſi intentio ornantis, vel fucãtis ſe non ſit alios allicere ad peccatum mortale; nec exceſſus ſit tantus, vt ſit contra Dei, vel proximi charitatem; nec affectio ſit tanta, vt in eo ornatu, vel fuco conſtituatur finis vltimus; & cum his omnibus ſit aliqualis exceſſus in ornatu, vel fuco, vel in ipſa affectione ad ipſum, vt illis accidit, qui ob gloriolam venialem aliquantulum excedunt in his modum; committunt quidem tunc veniale, ob dictum exceſſum in intentione, vel affectu, vel ornatu ipſo, ſed non mortale peccatum, quia error, vt ſupponitur non eſt tantus, vt charitatem tollat, ſine quo non committitur peccatum mortale, &c.

Quintò, probandum erit ſæpè in hoc committi peccatum mortale, quod vt oſtendatur, afferemus primo caſus, in quibus

bus ferè ſine controuerſia, eſt peccatum mortale; deinde in genere oſtendemus, accidere ſolere multa peccata mortalia in hoc fuci, & ornatus abuſu.

Primus igitur caſus eſt, cum quis ſe fucat in contemptum Creatoris, vt cum mulier deliberato animo deſpiciens formam ſibi à Deo datam, quaſi ſibi non benè prouiſum fuerit, querula de diuina prouidentia, vult etiam quaſi meliorem pulchritudinẽ ſuper inducere; quod planè mortale eſt, quia contra charitatem Dei eſt, contemnere vilipendendo eius fabricam.

Secundus caſus eſt, cum vxor fucat, vel ornat ſe, etiam modeſtè, intentione tamen praua inducendi ad ſui mortalem concupiſcentiam, vel virum ſuum, vel alios, à viro ſuo: hoc enim eſt contra proximi charitatem, quam inducere vult in mortale peccatum, licet ipſa nolit alijs à viro ſui copiam facere, quia ſat eſt velle, vt in ſola concupiſcentia mortaliter peccet: tunc autem intendit, vt vir ſuus, ſe mortaliter concupiſcat, quando intendit, vt ita ad ſe accedat, vt paratus eſſet accedere, quamuis non eſſet vxor ſua; quod tamen rariſſimè putandum eſt accidere, quia communiter non hoc intendunt vxores, ſed potius refugiunt, & ſolæ volunt placere maritis.

Tertius caſus eſt, cum vxor ſe fucat, vt maritum inducat ad honeſtum amorem, & alios ad inhoneſtum, ex hac enim ſecunda parte mortale eſt.

Quartus caſus eſt, cum quis ſe ea intentione ornat, vel fucat, vt in ornatu, vel fuco etiam modeſto, ponat vltimum finem, id enim eſt contra charitatem Dei, qui plus omnibus creaturis eſt diligendus: indicia autem, quod in his ponatur vltimus finis, ſunt duo. Primum, cùm maior cura, diligentia, & affectio apponitur in ornatu corporis, quam in animæ ſalute. Secundum, quando paratus eſt quis propter fucum, vel ornatum, violare præceptum Dei, vel Eccleſiæ, obligans ad mortale, vt cum malet quis violare feſtum, Miſſam non audiendo, quam ornatum omittere, ſeu cum non audiunt Miſſam, vt ſe ornent.

Quintus caſus eſt, quando quis propter gloriam, vel ia-

ſtantiam ſe ornat, in eis, vt in vltimo fine ſiſtendo, quod eodem modo quo ſupra probatur mortale.

Sextus eſt, quando vxor contra præceptum viri ſui expreſſum, vel præſumptum, vtitur fuco, vel ſuperfluo ornatu, tunc enim eſt mortale, vt ait Card. Turrecremata, eſt enim hæc ſuperbia, & inobedientia mortalis, quia eſt de re ſeria, & habente ſpeciem mali, vti dante viro Zelotypo, occaſionem ſuſpicandi laſciuiam, & iurgia, & magna mala excitandi.

Septimus caſus eſt, quando citra dictum præceptum, vxor ſciens ſe ſatis ſine fuco, à marito diligi, & tractari affectu maritali, adhuc tamen fucare ſe vult, quæ ſi non ſemper, certè ſæpè poteſt peccare mortaliter, quia cum ceſſet omnis cauſa fuci, & ornatus ſuperflui, ex ſe præbet marito occaſionem ſiniſtræ ſuſpicionis, & iniuriam ei facit, quia talis probus maritus, & etiam Ariſt. ait: Sicut in moribus non amat fictionem in vxore, ita etiam in ornatu, ita enim ſe fucare marito, eſt fictam cum eo agere perſonam, vt in Tragœdijs fit (vt inquit Philoſophus) & ipſum deripere.

Octauus caſus eſt, quando religioſa, vel profeſſa caſtitatem, ſe fucat, tunc mortaliter peccat, quia eſt cõtra Dei charitatem, cui ſoli vouit placere, vt ait Turrecremata.

Nonus caſus eſt, vidua, vel virgo, volens ſeruare perpetuam caſtitatem, licet eam non vouerit, vel profeſſa fuerit, fucans ſe, peccat mortaliter, vt ait Abulenſis ſuper cap. 11. Matthæi: Talis enim ſi non contra votum, facit contra propoſitum ſuum, & videntes fallit, & ſe, & illos in periculo amittendæ caſtitatis ponit, quam videns fucatã, putat eam, quæ ſunt carnis diligere, & ideò creſcit concupiſcentia eius, & ſpes ea potiendi, & animus eam ſollicitandi, quæ omnia ceſſarent, ſi tali fuco, & ſuperfluo ornatu carent.

Decimus caſus eſt, quando mulier vetula, & quæ ob ætatem nubere non poteſt, ſe fucat, talis enim ſe tanquam inſanam, & laſciuam infamat, & peſſimum exemplum præbet adoleſcentioribus, & ideò mortaliter peccat, vt ait Abulenſis, vbi ſupra, &c.

Vndecimus caſus eſt, vidua, vel virgo nuptura, ſe fucans, vt placeat ei, cui nubere vult, difficilius excuſatur à mortali,

quam

quam iam nupta, quia hæc habet virum, cui placeat, quem illa nō habet, cum etiam quæ nubere vult, dum vni vult placere, poteſt alios in concupiſcentiam allicere, & illum vnum in re valdè graui, vtpotè vxore ducēda, ob pulchritudinem, & gratiam quam mentitur decipere; quod eſt mortale, iuxta eundem Abulenſem, vbi ſupra.

Duodecimus caſus, & in quo plus eſt inſiſtendū, eſt, quando licet ceſſet intentio mortalis prædicta, qua aliqua ſe fucat, & ornat, vel in contumeliam Creatoris, vel vt ad ſui concupiſcentiam mortalem, vel ob inanem gloriam, & fuci amorē, in quibus velut in vltimo fine ſiſtit, licet ceſſet etiam præceptum viri, & votum, vel profeſſio, vel propoſitum caſtitatis, vel ætas impotens ad prolem procreandam, adhuc tamen his omnibus ceſſantibus, quis vtitur notabiliter exceſſiuo fuco, & ornatu, vt communiter fit in hoc corrupto ſeculo, & præſertim in quibuſdam corruptioribus Ciuitatibus, id mortale etiam peccatum, ſcriptura, & Doctorum ſententijs, & ratione eſt probandum. In primis igitur, eſt Iſaias dicens cap. 3. Pro eo, quod eleuatæ ſunt filiæ Syon, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem filiarum Syon, & Dominus crinem earum nudabit: in die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfatoria, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſyndones, & vittas, & theriſtra: & erit pro ſuaui odore fœtor, pro zona funiculus, pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium, pulcherrimi quoq; viri tui, gladio cadent, & fortes tui in prælio, & mœrebunt, atq; lugebunt portæ eius, & deſolata in terra ſedebit. Hæc Iſaias, ex cuius verbis colligimus, ob has mulierum vanitates, immiſſum flagellum, à quo viri fortes, in prælio occiſi ſunt, & vxores viduatæ, & afflictæ, quæ planè Dominus ob leuia, & venialia peccata non fecit, ſed ob crimina mortalia: Peccatis enim, quibus in veteri Teſtamento

inſligebatur mors corporis, & grauis deſolatio, in nouo Teſtamento magis mortalia ſunt; conſiderandum etiam, quod ſi in veteri Teſtamento, vbi carnalia promittebantur, hic abuſus erat mortalis, in nouo erit horrendum crimen, vbi ſpiritualia bona promittuntur, & via ad illa, crux, & eius Iuctus ſtatuitur, qui non ſolum mente, ſed corpore, & ornatu profitendus eſt; Ideò Heſter Regina, licet pro neceſſitate, & charitate, vt Iudith regio vteretur ornatu, mente tamen illum deteſtabatur; nec domi manens ferre volebat, quocirca dicebat Domino Heſter 14. Tu Domine ſcis neceſſitatē meam, quod abhominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, deteſtor illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portem illud in diebus ſilentij mei. In Euangelio etiam, ſicut proponitur, vt pars, & ſignum iuſtitiæ Ioannis Baptiſtæ, indumentum è pilis Camelorum, & Zona pellicea, ita etiam ſugillatur, vt iniuſtitiæ pars in Epulone, byſſus, & purpura, in qua etiā Dominus Ieſus ab Herode irriſus eſt: nam & meretrix in Apocalypſi, Apoc. 17. deſcribitur, cùm dicitur: Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide precioſo, & margaritis, habēs poculum aureum (nempè vanitatis) in manu ſua, plenum abhominatione, & immunditia fornicationis eius; & in fronte eius nomen ſcriptū, myſterium Babylon magna, mater fornicationum, & abhominationum terræ.

Huiuſmodi ergo exceſſus, ſiue in meretrice, ſiue in Epulone, putare ſolum veniale, alienū planè à ratione eſt; Paulus etiam ad Corinth. cap. 13. charitatem deſcribens ait inter alia: Charitas non æmulatur; non agit perperam; quod Clemens Alexandrinus ad cultum referre ſuper ſilium, & ambitioſum, ideò ſequitur non inflatur, non eſt ambitioſa; qui ergo perperam agit, cultu ſuperfluo abutens, ſine charitate eſt, ſi enim Dominus præcepto ſuo (vt Clemens Alexandrinus) prohibet ſollicitudinem neceſſarij ornatus, dicens: Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini, Matth. 6. quanto magis intelligitur prohibere ſuperfluum ornatum, quem D. Paulus

1. Ti-

Digitized by Google

1. Timoth. cap. 2. deſcribens, ait: Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate, ornantes ſe, non in tortis crinibus, aut aureo, aut margaritis, vel veſte preciosa, ſed quod decet mulieres promittẽtes pietatem per opera bona; cui conſonat D. Petrus dicens, 1. Pet. 3. Similiter mulieres, viris ſuis ſubditæ ſint, vt etſi, qui non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifaciãt, conſiderantes in timore ſanctam, aut (vt alij vertunt) caſtam conuerſationem veſtram, quarum non ſit extrinſecùs capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus eſt cordis homo, incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples: ſic enim & aliquando ſanctæ mulieres, ſperantes in Deo, ornabant ſe, ſubiectæ proprijs viris, ſicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans, cuius eſtis filiæ benefacientes, & non pertimentes vllam perturbationem. Malè autem eluduntur hæ apoſtolicæ ſententiæ à quibuſdam, in primis dicendo eas conſulere, non autem præcipere ea, quæ ad ornatum pertinent; Deinde ſi præcipiunt, vetare potius peccatum veniale, quam mortale, vel ſi mortale, vetant potius id facere pro tempore primitiuæ Eccleſiæ, quam noſtræ; ſed quod hi decipiantur liquet: Primò, quia cum Iſaias Iudæis mulieribus ſub precepto, & graui comminatione ſuperfluitatem ornatus prohibeat, Apoſtoli Chriſtianis fœminis tanto plus prohibebunt, quod ex adiunctis verbis manifeſtè côuincitur; nam ſobrietas, & verecundia, & proteſtatio pietatis, per bona opera, & ſancta, ſiue caſta conuerſatio, & modeſtia, & quies ſpiritus, de quibus Apoſtoli ante, & poſt loquuntur, præcepta ſunt, & non conſilia; ergo & ſententia de ornatu, quæ in horum medio ponitur, præcepti erit nõ conſilij, & quia præceptum propriè vetat mortale, & Apoſtoli, & ſancti Doctores non ita ſolent exagerare læuia peccata, quia eſſet animas illaqueare, quæ ſine his peccatis viuere nequeunt, ſit vt peccatum mortale hic prohibeatur, & non ſolum fœminis illis primitiuæ Eccleſiæ, quæ ornatu, ob feruorem ſpiritus, minus abutebatur, & fortaſſis ob coniugium infidelium, licebat vti illo, vt ſe, vel ſuos periculo ante tempus

pus exponeret, vt de Heſter vxore infidelis Aſſueri vidimus; Sed multò magis prohibetur fœminis Chriſtianis ſuccedentis Eccleſiæ, quæ illo magis abutuntur, & abſq; cauſa, cum nō ſint ſub Principibus, vel maritis infidelibus: quod ſi prohibetur fęminis, quæ minus pollent rationis iudicio, & meliores ſunt, & ideò meliori veſte, licitè vti poſſunt (vt ait Clemens Alexandrinus) multò magis prohibetur viris, qui magis pollent ratione, & natura ſunt robuſtiores. Ideò deplorandum noſtrum ſeculum, in quo & viri, & fœminæ coniuncti, aquis odoriferis, & chirotecis abutentes, et auro, et gemmis, et ſericis, et purpureis, et mollibus veſtibus, Chriſtum denuo purpurea irridentes, et diuitem Epulonem, & meretricem illam à D. Ioanne viſam imitantur. Ideò quod ſupradictum eſt de mulierum fuco, et ornatu, multò magis in hos eſt intorquendum, in quos etiam, ſicut et mulieres, militant rationes ſequentes, quarum prima eſt: Quia fucus, et ornatus exceſſiuus, eſt contra charitatem, dat enim occaſionem violandi tria præcepta prioris tabulæ.

Illæ enim mulieres, quæ tanto ſtudio ſe ſuperfluè ornant, Deum alienum ſui corporis videntur adorare, et illi ingenium, memoriam, voluntatem, linguam, et labores, et ſubſtantiam offerre, dum nil aliud ita cogitant, memorantur, loquuntur, amant, et laborant, ſicut corpus ornare, quod etiam Idolum alijs adorandum oſtentant, dum compoſito gradu, et pompaticè incedunt per vicos, plateas, et templa. Eſt enim occaſio peierandi nomen Dei; in his enim, quæ ad ornatum, et fucum pertinent, vel emendis, vel vendendis, vel faciendis mille periuria interueniunt, dum artifices, vt carè vendunt, vt expectentur donec hæc vana conficiūt, mille peierant, ſicut et ementes, vt vilius emant, vel empta apud maritos, vel parentes, vel Dominos, excuſent. Violant etiam feſta, et loca ſacra, dum vel quia non ſunt ornatæ, vt earum ſuperbia vellet, vel quia diù in huiuſmodi ornatu remorantur, ſacra omittunt, et cum ſunt, ſæpius peius Deum offendunt, dum vident, et videntur, et videri volunt; dum de his nenijs in ſacro Templo colloquuntur, ſacra ſæpè verba, vel Miſſæ, vel Concionis interpellando, et alios impedien-

diendo, quæ omnia profectò Dei amori repugnant.

Secunda verò ratio eſt, quia fucus iam dictus, & ornatus repugnat charitati, quam ſibi debet homo; lędit.n.ſe homo.

Nocumentum primum in diuitijs, qua in re magis nocet ſuperfluus ornatus, quam fucus, quia in gemmis, et catenis, annulis, et armillis, et veſtibus lineis, et laneis, et ſericis, et pelliceis, in tapetibus, et ſtragulis, in ornamentis Equorum, et Mularum, in vaſis aureis, argenteis, et æreis, in ædificijs domorum, et fontium, et hortorum, infinita expenduntur, vt merito dixerit Clemens Alexandrinus, curioſitatem ornatus, peiorem eſſe gula, et ebrietate, quod huic ſufficiant, quæ in vna menſa apponuntur, illi verò non ſufficiat totus orbis.

Nocet ſecundò ſibi in honore, quia habitus index eſt eius, qui illo ornatur, et ita ſicut Miles, et Nauta, et Monachus, et Philoſophus, et Senator, et Doctor, et Rex, et Pontifex ex habitu dignoſcitur; ita etiam honeſta, vel inhoneſta mulier; inhoneſtæ autem mulieris habitus fucus eſt, et ornatus ſuperfluus: talem enim (vt vidimus) deſcripſit Ioannes in Apocalypſi, de qua Salomon ait: Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, Prouerb. cap. 7. Idcircò Iudas, cum videret Tamar, quæ depoſitis viduitatis veſtibus, aſſumpſit Cheriſtrum, & mutato habitu, ſedebat in binio, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem: Idcircò (teſte Clemente Alexandrino) Lacedæmones, ſolis meretricibus, veſtes fucatis coloribus, & vſum auri concedebant. Cum igitur fucus, & ornatus ſuperfluus, meretricem indicet, quæ illo vtitur, ſe tanquam impudicam infamat, neq; purgat ſe, & ſi lingua teſtetur ſe eſſe pudicam, quia eſt proteſtatio contraria facto, ac ſi quis pugno aliquem percutens, proteſtetur ſe nolle illum percutere, cui proteſtationi non eſt adhibenda fides. Ita etiam cum facies, oculi, pectus, manus, pedes, inceſſus, & omnia membra, fuco, & ornatu ſuo, teſtantur impudicitiam, plus illis mentiri neſcius credet homo, qui cor non intuetur, quam ſoli linguæ mentiri aſſuetæ; infamat etiam ſe talis tanquam ſtultam, neque ſe viliorem auro, & gemmis, & ſerico putet, quibus exiſtimat ſe ornari,

quia viliora precioſis ornari ſolent, ſtultum eſt, & contra naturam, velle tegumenta precioſiora eſſe rebus, quæ tegũtur; præfertur enim medulla cortici, ſpiritus, & anima carni: ſubſtantia accidentibus, aurum terræ, gemma conchæ, fructus folijs; Hæ verò ſtultæ (vt Clemens Alexan. ait) multò plura expendunt, in corpore tegendo, quam ipſæ ſi in ſeruas vendantur, valeant; Produnt ſe etiam in hoc ſtultas, qđ pudent alios adeo ſtultos, vt earum pulchritudinem, ex aduentitio ornatum dijudicent, cum tamen rei pulchritudo nuda ſit iudicanda, nec equum bonum, vel pulchrum iudicamus ex pulchro epiphio, vel freno, ſed ex proportione membrorum, & natiuo colore; vnde fit, vt quæ ſe fucant, potius fædas ſe oſtendunt; ſcimus enim eos, qui oſtiatim mendicant, ſe pauperes prodere, ita hæ mendicantes ruborem à purpuriſſo, albedinem à ceruſa, ſplendorem à varijs aquis, odorem à varijs aromatibus, & venuſtatem a vanis veſtibus, & gemmis, ſe fædas indicant, & eo fædiores, quo pulchriora ſibi circumponunt; quia oppoſita iuxta ſe poſita, magis elucceſcunt, &c. Ideo, vt ſolet cauere, ne cum fædæ ipſæ ſint, pediſequas pulchras ſecum ducant, ne earum comparatione, fædiores videantur; ita deberent pulchriora ornamenta, præ quibus ipſæ fœde videntur, pulchritudinem ornamẽtum interim aſcripta, vel naturæ, vel artifici, non ipſi geſtanti. Neq; enim, quia pulchræ ſunt gemmæ, vel flores, ideo quoq; pulchra erit eos geſtãs; alioqui baiuli auro, & gemmis onuſti, pulcherrimi apparerent; ideò acute cuidam iuueni, Helenam fædam, & auro onuſtam, dixit Apelles, Cum non poſſis dipingere pulchram, feciſti diuitem: Lædit igitur ſe in honore, dum impudicam, & ſtultã, & fædam ſe prodit; quæ etiam in hoc viliorem ſe oſtendit alijs animantibus, quæ naturalibus ornamentis contenta ſunt, vt Gallus criſta, quaſi galea, Equus iuba, & Leo mento; ita igitur homo contentari debet ornamento naturæ ſuæ, cum ſit rationi conforme, & ſtatui, quem profitetur.

Lædit tertiò corpus huiuſmodi fucus, & ornatus, quia ceruſa (vt ferunt) maxillis applicata natur aliter dẽtibus nocet: crebra etiam humectatio capillorum, crebra quoq; ex-

ſic-

ſiccatio, valde capiti nocet, & (ſi Clementi Alex. credimus) ex capitis ſiccitate, deficiente humore, quo capilli nutriuntur, ipſi velut creſcentes albeſcunt, & cani citò fiunt: nocent etiam corpori in hoc quamplurimum, quia tam vanæ ſunt, vt cibo parcant, & neceſſaria victui ſubtrahant ſibi, & ſuis, vt in his vanitatibus inſummant. Nocet etiam, dum vel nimis ſtrictè incedunt, vel quadam vana amplitudine, & veſtium concauitate locum frigori, & vento porrigunt.

Lædunt etiam ſe quartò in pretioſiſſimi temporis iactura, quam miſeræ faciunt in videndo, cogitando, conficiendo, & ſibi aptando vana hæc, & de illis loquendo, & audiendo.

Demum nocent ſibi in anima, primò, eam corpori iniuſtiſſimè poſtponendo; ſi enim ipſæ merito iniuſtum putant, ſi viri ſui ſibi præponant ancillas, iniuſtiſſimæ ipſæ animæ carnem præferunt, de quibus merito Salomon dicit Eccleſiaſt. 10. Cor ſapientis in dextera eius, & cor ſtulti in ſiniſtra illius, ſapiens enim eſt, qui cor habet in dextera, animam carni præferendo: ſtultus autem, qui id habet in ſiniſtra, carnem ei præferendo, de quo merito idem Salomon ait Prou. 3. Eſt & aliud malum, quod vidi ſub Sole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuitem ſedere deorſum, vidi ſeruos in equis, & Principes ambulantes ſuper terram, quaſi ſeruos. Et alibi, per tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere, per ſeruum, cum regnauerit; per ſtultum, cum ſaturatus fuerit cibo; & per odioſam mulierem, cum matrimonio fuerit aſſumpta; & per ancillam, cum fuerit hæres Dominæ ſuæ; quæ planè mala facit, quæ neglecta ſpiritu, carnem ſuperfluè ornat; caro enim eſt ille ſtultus poſitus in ſublimi; ſenſus etiam carnis, ſunt illi ſerui in equis ambulātes; eſt & ipſa caro ancilla hæres Dominæ, quia caro animæ impendēda ſuper eam collocatur, ideò præſtaret, ſi qui Abraham, eijciendo ancillam cum filio eius carnali deſiderio, in deſertum pœnitētiæ, cum pane, & aqua, vt interim dominam, ideſt animam, ornet diuitijs illis, quæ ab intus ſunt, vt quieſcat. Læditur etiam anima, quæ dum ipſa foras egreditur ad ornandum ſe, Dæmon, vt fur intrat domum eius, cum ſeptem ſpiritibus

nequioribus ſe, imò cum ſeptem capitibus, & cornibus decem viſis à D. Ioanne, ideſt cum ſeptem vitijs capitalibus, & tranſgreſſione decem præceptorum. Peccat enim talis anima Superbia, & contemptu aliorum, ſi præ illis ornata eſt; peccat etiam Vanagloria, dum ſua expendit, & dilapidat, vt alienos oculos ſatiet; in quo duplex eſt ſtultitia: Altera, quod rem impoſſibilem aggreditur, quia non ſatiatur oculus viſu: Altera eſt, quod ſi maximè eſſent ſatiabiles alienis oculis, deberent proprijs expenſis ſatiari. Nunc autem hæ miſeræ, dilapidant patrimonium, vt veſtes, & iocalia emãt, vt oculos ſatient alienos. Peccant etiam Inuidia, & Ira, Auaritia, ſi quæ vellent, & aliæ habent, non obtinent, ob quod etiam peccant Accidia, quia præ triſtitia, & ſacra, & orationes omittunt. Peccant in Gula, quia cum pompoſè ornatæ ſunt, adeunt alienas domos, & frequentant conuiuia, vt videantur. Peccant etiam in Luxuria, quandoq; quidem eam committentes, vt turpem mercedem ad ſe ornandum accipiant. Quandoq; etiam, quia cum ornatæ ſunt vagantur, & occaſiones immunditiæ habentes polluũtur: ideò conſulit Clemens Alexand. maritis, vt extrahant ab eis ornamenta, ne vagentur, ſicut auibus extrahi pennæ ſolent ne aufugiant. Vxor enim, quæ iuxta Dauid ſententiam, vt vitis abundans, manere debet in lateribus domus, & non extra vagari, ne id faciat putanda eſt, ablatis ſuperfluis ornamentis. Violant quoque decem præcepta, quod iam de tribus prioribus vidimus, quorum trium obſeruationem, profitemur in Baptiſmo, in quo renunciamus Diabolo, & omnibus pompis eius, & profitemur nos natura filios Adæ, & Iræ, & promittimus crucifixi ſequelam, fucus autem, & ornatus ſuperfluus directè contrarius eſt huic profeſſioni, quia pars eſt operum, & pomparum Dæmonis, & qui illo vtitur, negat ſtatum ſibi conuenientem; & quia filius eſt Adæ, hoc eſt ſe eſſe exulem, & circumferre carnem mortalem ſpiritui rebellem; debet illam veſte aſpera, & lugubri domare, idcircò Adam, & Eua primo aſperis folijs ficus ſe cõtexerunt, & à Deo tecti ſunt veſtibus, ſeu tunicis pelliceis, quibus (ſi Feſto Pompeo credimus) antiqui vtebãtur in diebus luctus;

ideò

ideò ſancti illi, qui continuum luctum, hanc vitam intelligebant, circuierunt in melotis, & pellibus caprinis: quia verò poſtea veſtibus pullis, homines in luctum cęperunt vti, ideò monaci initio his vſi ſunt; & quia ſe cognoſcebãt filios Adæ (vt diximus) & quia fratres erãt Chriſti, qui poſtquam in luctu, & paſſione degit vitam, irridetur ab his, qui mollibus, & precioſis veſtiuntur, ſicut florum coronæ, irrident Chriſti coronam ſpinorum.

Reliqua etiam ſeptem præcepta de proximi dilectione, & charitate, violant, quia parentes, & maritos, vexant extorquendo pro huiuſmodi pompis, pro quibus interdum adulterium committitur, & aliena concupiſcuntur, & furta, & homicidia fiunt. Cum igitur anima tam fœda ſit in corpore tam ornato, meritò à Clemente Alexandrino comparatur, Idolis gentium, quæ cum rudia, & fœdiſſima ſaxa, vel ligna eſſent, templis ornatiſſimis continebantur, ita animæ fœdiſſimæ iſtarum corporibus ornatiſſimis continentur, ideò Dæmon meritò irridet illas per auream catenam, vel cingulum, & eas ridentes ad Infernum trahit, quaſi ſaccos vermium; meritò etiam idem Dæmon in animam, vt fœdiorem expuit, ſicut de quodam dicitur, qui in faciem expuit fœdiſſimi Tyranni, habentis pulcherrimam domum, & familiam, quæſituſq; cur id feciſſet; quia nihil ait fœdius facie tua in domo tua vidi; ita Dæmon reſpondere his poteſt, qui corpus ornantes, non fecerunt ſemen in Iſrael, & non curauerunt obtinere ſedem in Cœlo animæ paratam, ideò in Infernum ducuntur (vt enim Tertullianus ait) quamdiù Eua vixit, non ſe ornauit.

Tertia ratio, quia ſuperfluus ornatus, & fucus, eſt contrarius charitati proximi, & ornatus quidem plus lædit charitatem proximi, qui vexat eum, & dat occaſionem vel auaritiæ, vel ambitionis, & vitiorum his coniunctorum; fucus verò lædit proximum in hoc, quod dat occaſionem laſciuiæ, & vitijs ei coniunctis; quæ vt videantur diſcurrendum eſt, per eos, qui ex dictis.

Læduntur igitur in primis parentes, quia cum filiæ nimis in pompis expendunt, vexantur; parentes dum cogitant, et

angu-

anguſtantur pro dote quærenda, ſiue per vſuras, et fraudes, ſiue per rapinas, et bella, et malas artes. Vexantur fratres, quibus ſepè incumbit onus maritandi ſorores, et eadem faciendi, quæ de parentibus diximus: vel ſi parentes eas maritarunt, quia ipſis nihil relinquitur, coguntur vel vacare iniuſtis negotijs, vel ira ad bella, et omnia militum peccata addiſcere; vel quia non audent ita pompoſas ducere, ob graues expenſas: manent interdum cum concubinis, vel etiam his fædiora peccata committunt. Vexantur ſorores, quia vna, vel altera dotata, reliquæ manent ſine dote, & vel coguntur inuitè intrare Monaſteria, vel præ inuidia ſororum, ob deſperationem inhoneſta committunt. Vexantur etiam ſerui, qui vel in victu, vel in verbis, vel verberibus, vel mercede læduntur, occaſione harum pomparum. Vexatur maritus fictis ſuſpirijs, & lachrymis, vnde cogitur malè lucrari, vt eius vxor expendat, quem quandoq; prodit mulier, vt habeat vnde ornetur. Vexantur conſanguinei, & alij ſimilis dignitatis, vel nobilitatis, vel gradus, ſed pauperes, qui non poſſunt dotare filias ſuas, quæ vel remanēt innuptæ, vel nubunt vilioribus, vnde nobilitas perditur, & omnia dicta mala ſequuntur.

Læduntur etiam artifices, qui in his faciendis, vel vendendis, occupantur; quia ſicuti prohibita piſcatione non ſolum piſcantes, ſed etiam illis retia dantes, incidunt in pœnam, ita etiam dicti artifices, quorū cura vtuntur ſuperfluo ornatu, peccant iuuando eo abutentes.

Læduntur etiam pauperes, quia ſuperflua diuitum, pauperibus ſunt eroganda; ob hoc enim eis data ſunt.

Læduntur & alij proximi, quia huiuſmodi ornatus vidēt; præbetur enim eis occaſio inuidiæ, contentionis, æmulationis, murmurationis, irriſionis, & frequentis laſciuiæ, præſertim ex fuco: ornamenta etiam prætioſiora, licet lædant Rempublicā in abuſu diuitum, qui ſunt nerui eius pluſquam fucus, in prouocatione tamen ad luxuriam, & mala, quæ ex ea ſequuntur, plus nocet fucus, quia experientia monſtrat, quod veſtis licet præcioſa, modo ſit honeſta, non prouocat ita ad malum; immò quoq; honorabiliorem oſtēdit habitum,

eo minus ſperant, & audent homines carnales eam prouocare: Fucans autem ſe oſtendit curioſam, & vanam, & quæ carnis ſunt quærentem, & quaſi ſe proſtituentem, ideò aditum facit concupiſcentiæ, & audaciæ eam tentandi: ideò volebat D. Paulus, vt velato capite in Eccleſia mulieres orarēt, propter Angelos, qui offenduntur, dum in tortis crinibus, quaſi rete Dæmonum, & eorum nido piſcantur animas, quas ipſi cuſtodiunt; ideò Tertullianus laudat fœminas Arabes, quæ media luce ſe priuabant altero tantum oculo videntes, ne ab hominibus aſpicerentur: reprehendit etiam Reginam illam Romanam, quæ illas miſeras dicebat, quod ita valde amare poſſent, & non amari, has inquam reprehendit, quia raro accidit, quod ipſæ ament, & non frequenter amentur, ſi non velantur: vnde etiam Clem. Alex. commendat illam, quæ cum audiſſet, pulcher cubitus, reſpondit, at non publicus, & dicenti pulchra facies, reſpondit at ſolius mariti mei: conſultius enim fecuſſet tegere membra, quam occaſionem dare vanis huiuſmodi laudationibus his, qui ſcandalizātur, melius eſt .n. labi pedibus, quam oculis, teſte Clem. Alex.

Læduntur etiam apud parum honeſtæ, & modeſtæ perſonæ, quæ inter huiuſmodi ambitioſas viuunt, dum irridetur earum inſcitia, & ſimplicitas, quod modeſtè, & ſobriè ſe ornēt, interdum quoque, quia infirmæ, timore huius opprobrij exceſſiue ſe ornant.

Obſunt etiam abſentibus, tum quia huiuſmodi pompoſæ nouitates, de gente in gentem facilè tranſeunt, tum quia ſubdoli, & iniuſti negotiatores, & crudeles milites, alienas regiones diripiunt, & mare, & terras inquietant, quo malè conquirant, & gemmas, & aurum, & ornamenta, quibus natale ſolum inficiant.

Nocent etiam futuris hominibus, qui mala huiuſmodi inuenientes, conſuetudinem vel ſeruant, vel etiam in peius augent, in quo frequenter peccare ſolent matres, filias & fucum, & ornatum docendo.

Offendunt etiam prioris ſeculi homines, quorum & exemplum modeſtiæ imitari dedignantur, & doctrinas ſpernunt; non ſolum enim Authores ſcripturæ, quos attulimus, ſed in-

nu-

numeri ſancti, & antiqui Patres, & Doctores hunc abuſum taxant, & igni æterno dignum exiſtimant: qui tã multi ſunt, vt ob prolixitatem vitandam, eorum ſententias non huc retulimus, legat, qui volet Clementem Alex. Tertullianum, Cyprianum, Hieronymum, Auguſtinum, Boetium, & omnes ferè alios antiquos: inter modernos verò, legat Abulenſem ſuper Matthæum cap. 11. Ioannem de Turrecremata de conſtit. diſt. 5. cap. fucare.

Offendunt deniq; Angelos ipſos, & beatas animas ſibi caras à Deo ſeparando; ideò legitur, Angelum quendã in corpore aſſumpto, nares obturaſſe, dum iuueni pulchro, & ornato appropinquaſſet, quas coram bruti cadauere, patulas habuit: & tandem ſolis Dæmonibus obſequium in hoc faciunt; illi enim, qui ſe in Angelos lucis figurant, inuentores fuerunt peruerſæ huiuſmodi artis fucandi ſe, & laſciuiæ ornandi ſe; Cum igitur ita fucus, & ornatus ſuperfluus, Deum offendat, & eum, qui ſe ſuperfluè ornat, & alios proximos omnes, peccatum mortale proculdubio erit ſæpiſſimè, & æterno igni dignum; idcircò totis viribus vitandum, & diſſuadendum; quod tamen de vniuerſo abuſu, vel aliqua magna eius parte, intelligendum cenſeo, talis enim contra charitatem ferè militat, quod non ita auderem aſſerere de quauis huius abuſus parte: nec enim ſemper mortale peccatum putarem, abuti alicuius capillis, vel pilos euellere, vel chirotecis excedentis precij, & ſimilibus; quoduis enim horum ſeorſum, non ſemper erit contrarium charitati, quia expenſas contra charitatem inducant, neque ijs vtentem impudicam oſtendunt, nec alius mortaliter ſcandalizatur: in ſumma eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines, quos vltra, citraq; conſiſtere rectum, ait Horatius, ne quid nimis.

De Suſpenſione, & eius Speciebus.

SVſpenſio, eccleſiaſtica eſt cenſura, qua clericus ab vſu eccleſiaſtici officij, ſeu beneficij prohibetur. Dico cenſuram eccleſiaſticam, hoc eſt pœnam ab Eccleſia illatam; peccatum enim mortale, quamuis prohibeat, ne

quis

Digitized by Google

quis dignè ſacramento accedat, non eſt tamen ſuſpẽſio contra Summiſtas, & multos Canoniſtas, cum non ſit cenſura: Suſpenſio verò, cum ſit cenſura eccleſiaſtica, qua clericus ſecularis, vel regularis ob aliquam culpam à iure, vel ab homine à beneficiorũ officiorum, ordinum, ſeu eccleſiaſticæ iuriſdictionis executione in totũ, vel in partem, perpetuò, vel ad tempus prohibetur: ſolum perſonæ eccleſiaſticæ ſuſpendi poſſunt, vt colligitur ex c. 1. §. fi. de ſent. excom. lib. 6. & ex Syluestro, Caietano, Armilla, Nauarro, & ex communi opinione: propterea poterit quis ab vſu officij, ſeu beneficij, dupliciter prohiberi: Vno modo ab ipſo officio, & beneficio, ita vt penitus illo priuetur: & hæc non eſt ſuſpenſio, ſed depoſitio, ſeu degradatio: Alio modo ab executione tantum illorum, & hæc eſt ſuſpenſio: vbi notandum erit, hoc nomine officij duo eſſe intelligenda, ordinem ſcilicet, & iuriſdictionem: cum igitur quis ab vſu ordinis ſui prohibetur, aut ab vſu ſuæ iuriſdictionis, dicitur ſuſpenſus: per beneficium intelligi dignitatem quamcunque eccleſiaſticam, vt beneficium, canonicatum, & ſimilia, quibus adnectuntur ea, quæ ad ipſa pertinent: Qui enim fuerit ſuſpenſus ab executione pontificalium, non poterit exercere ea, quæ ſunt pontificalia; qui autem eſt ſuſpenſus ab ordine tantum, nõ poteſt ea, quæ ſunt ordinis: ſi à iuriſdictione tantum, non poteſt quæ ſunt iuriſdictionis: ſi ab vtroque, neutrum poterit: ſi eſt ſuſpenſus ab officio, & beneficio, nõ poteſt agere nomine proprio, tanquam beneficiatus, nec debet habere redditus, licet mediocrem ſuſtentationem habere poſſit, ſi aliunde non habeat vnde viuat: quocirca huius ſuſpenſionis, tres ſunt ſpecies; vna eſt ab officio, & beneficio ſimul: alia eſt ab officio tantum, aut eius parte: quæ quidem multiplex eſſe ſolet: nam aliquando eſt ab ordine ſolo, & toto: aliquando à parte, vt ab vſu ordinis ſacerdotalis, vel ab vſu Diaconatus, vel Subdiaconatus; ab aliquo ad ipſum pertinente, vt ab actu prædicationis; aliquando à iuriſdictione ſola, & hæc tota, vel parte; aliquando eſt ab officio in totum: Tertia ſpecies eſt à beneficio in totum, vel ab aliquo ad ipſum pertinente, vt ab ingreſſu Eccleſiæ, &c.

Notandú præterea, illum, qui in maiori ordine ſuſpẽditur non propter hoc in minori eſſe ſuſpenſum, vt qui eſt ſuſpenſus à ſacerdotio, ſit ẽt ſuſpẽſus à Diaconatu, & inferioribus: item, qui eſt ſuſpẽſus à Diaconatu, ob id ſit ſuſpenſus ab inferioribus ordinibus: At verò contra, qui in minori eſt ſuſpenſus, in maioribus etiam ſit ſuſpẽſus, vt infra dicemus.

Notandum etiam, illum, qui ab ordine ſuſpenſus eſt, non propter id à iuriſdictione eſſe ſuſpenſum; nec è contra, qui à iuriſdictione, ſit etiam ab ordine, quia iſta non ſunt connexa inter ſe, poteſt enim ordo cõſiſtere abſq; iuriſdictione; ita nec qui eſt ſuſpenſus à iuriſdictione, & ordine, erit etiam ſuſpenſus à beneficio, niſi quantum ad ea, quæ in beneficio pertinent ad ordinem; priuatur enim illis redditibus, quæ dantur propter vſum ordinis; neq; è contra ſuſpenſus à beneficio, erit ſuſpenſus ab ordine, & iuriſdictione.

Diuiditur ſecundò ſuſpenſio, in ſuſpenſionem latam, vel ab homine, vel à iure: Suſpenſio ab homine eſt, quando Iudex ordinarius, vel delegatus ſuſpendit aliquem; quæ ſuſpenſio ferenda eſt, præmiſſa monitione, & in ſcriptis, vt excommunicatio: ita Nauarrus cap. 27. nu. 159. à qua etiam, vel ab eius ſucceſſore, vel ſuperiore abſolui poterit.

Diuiditur tertiò in ſuſpenſionem, quo ad tempus præfixum, puta per menſem, aut per annum, aut in perpetuum, quarum aliqua erit ab officio, & beneficio in totum, vel in partem, quo ad certum tẽpus, aut in partem in perpetuum: nunquam autem fertur ſuſpenſio à toto, vel beneficio, vel ordine, vel iuriſdictione in perpetuum, hæc enim potius eſſet depoſitio, quam ſuſpenſio.

Quapropter multis modis incidit, quis ipſo iure in ſuſpenſionem, quos olim numerauit Armilla trigintanouem; ſed iure nouo, ex concilijs, & conſtitutionibus, multi alij ſunt addendi, vt ex diuerſis locis colligere licuit, ad numerum, quo vnquam antea ab alijs collecti ſunt.

Primus enim clericus notorius fornicator, eſt ipſo iure ſuſpenſus, vt habetur text. in cap. nullus, cap. præter hoc, 32. diſt. cap. ſciſcitantibus 15. q. 8. in qua ſuſpenſione erit, donec pœniteat: cap. ſi qui presbyteri ſunt 81. diſt. vbi nota gloſ.

gloſ. receptam dicentem, ſicut ipſo iure incurritur in hoc ſuſpenſio; ita eodem iure tollitur per pœnitentiam: & hoc procedit de omnibus, etiam in minoribus conſtitutis, fornicatoribus notorijs: ita Nauar. cap. 25. nu. 76. Tunc clericus notorius fornicator dicetur, & erit, quando crimen ſuum fornicationis in iudicio confeſſus fuerit: vel quãdo hoc peccatum eſt ita notum, vt nulla poſſit tergiuerſatione celari: vt Nauar. cap. 25. nu. 77. Nota etiam notorium dupliciter dici, aliud iuris, vt quando quis in iudicio confitetur, vel teſtibus conuincitur: aliud facti, vt quando crimen in populo, vel in maiori eius parte erit notoriũ, de quo Nauar. loco cit.

Nota præterea tales adminiſtrando in officio ſuo, ante factam pœnitentiam, fieri irregulares, per Papam diſpenſandos: ita Nauar. vbi ſupra, Syluverbo clericus 2. q. 8. & tex. cap. ſi qui ſunt 81. diſt. cap. præter, §. verum 32. diſt. Si tamen quis ſic ſuſpenſus non celebrauit, antequam à ſuſpenſione abſolueretur, non eſt niſi ſuſpenſus, in qua ſuſpenſione poteſt Epiſcopus diſpenſare, iuxta mentem Innocentij, & ſupra citatorum.

Qui ſimoniacè, quamuis occultè, beneficium curatum, aut dignitatem obtinuit, ſicuti, qui ordinem ſuſcepit ſimoniacè, eſt ipſo iure ſuſpenſus, etiam quo ad alios: in quo ſolus Papa diſpenſat, præcipuè quando ſcientibus beneficijs eſt commiſſa ſimonia: de quo videndus eſt textus in §. verum 33. diſt. Armilla verbo ſimonia nu. 51.

Qui ſimoniacè recipit beneficium etiam ſimplex, quo ad ſe eſt ſuſpenſus, & quo ad alios, ab actibus omniũ ordinum, atq; ab adminiſtratione rerum temporalium, cum ſimonia eſt notoria notorietate iuris, vel facti: ſi autem eſt occulta, eſt ſuſpenſus tantum quo ad ſe: vbi eſt notandus Canon. 28. 55. Apoſtol. qui dicit: Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus pecuniæ interuentu, hanc nactus fuerit dignitatem deponitor: tam ipſe, quam qui eum ordinauit, & omninò à communione abſcinditor, quemadmodum Simon Magus à me Petro.

Epiſcopus ordinans aliquem ſine patrimonio, vel eũ præſentans ad ordines, promittentem, vel iurantem ſe neq; ab

Epiſcopo, vel alio victum petiturum, omnes ſunt ipſo iure ſuſpenſi. Epiſcopus, qui ordinat illum à collatione ordinum: qui præſentat à ſuorum ordinum executione: ſi habet, & ſic ordinatus indiget diſpenſatione Papæ: ita tenet Nauar. cap. 27. nu. 158.

Qui ordinatur ab Epiſcopo ſimoniaco in ordine, vel dignitate ſuſcepta, quamuis occultè: aut à ſimoniaco notorio, in collatione ordinum: aut in collatione, receptione, vel mediatione beneficiorum, ordinis exequutionem non recipiunt: ſed ſunt ipſo iure ſuſpenſi, quamuis in ſua ordinatione, nulla ſimonia ſit commiſſa: text. cap. ſi quis à ſimoniacis 1. q. 1. circa quod, nota text. in cap. per tuas 35. in ordine de ſimonia, & cap. tanta eod.

Nota etiam, quando ſimonia commiſſa eſt ex parte ordinantis tantum, ordinato nihil de hoc ſciente: puta, quia ordinati pater, frater, amicuſuè, donauit aliquid ordinanti: tunc talis ordinati ſuſpēſio, à quouis Epiſcopo relaxari poteſt, excepto ordinatore, propter eius infamiæ turpitudinem: Si verò ſimonia commiſſa eſt tantum ex parte ordinati, ipſo ordinatore ignorante, puta, quia talis ordinatus donauit aliquid Vicario, aut examinatoribus; ordinatus tantum eſt ſuſpenſus: & ſi eſt publica, per Papam ſolum poteſt diſpenſari in gradu ſic ſuſcepto, aut alijs ſuſcipiendis: in alijs autem ordinibus, prius rectè ſuſceptis, poterit Epiſcopus diſpenſare; dummodo poſt incurſam ſuſpenſionem, in nullo ſupradictorum ordinum miniſtrauerit: quia ſic ſuſpēſus, in aliquo miniſtrans, efficitur irregularis à ſolo Pontifice diſpenſandus. Si verò occulta fuerit ſimonia, talis ordinatus quo ad alios non eſt ſuſpenſus, cum quo Epiſcopus poterit diſpenſare: ita docet Dictionarium iuris lib. 3. tit. 16.

Nota etiam, quamuis iure antiquo, Epiſcopus tantū poſſet diſpenſare in occultis; hodie tamen idem etiam poteſt Vicarius quilibet ad id ſpecialiter ab eo deputatus, per concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 6. cap. liceat Epiſcopus.

Nota ſecundò, inter alias pœnas, quas talis ſuſpenſus incurrit, vna eſt, quod vltra excommunicationem, & ſuſpenſionem, quas incurrit, etiam infamis efficitur, vt probat Maiolus lib. 5. cap. 45.

Nota

Nota item hoc, quod & ſi ſuſpenſus ſit quo ad ea, quæ ſunt ordinis; non propterea erit ſuſpenſus quo ad ea, quæ ſunt iuriſdictionis, vt dictum eſt ſupra; vnde fit, ſi antea habebat iuriſdictionem, habeat etiam nunc, & poterit excommunicare, interdicere, ac ſuſpendere, & ab his quoq; abſoluere ſibi ſubditos: ita docet Epiſc. Scalenſ. cum alijs.

Nota quartò, quod crimen ſimoniæ in conſequutione ordinum committens, eo ipſo, à ſic ſuſceptorum exequutione, per decennium erit ſuſpenſus, abſq; vlla ſpe diſpenſationis, debetq; per annum in carceribus detineri, iuxta Pij Quinti conſtitutionem, quæ ſic incipit, Cum primum, fol. 9. ſuarum conſtitutionum, quæ pœna procedit etiam in occultis, vt patet in bulla Pauli II. innouata à Pio Quinto.

Nota quintò, eos, qui dignitates, & beneficia eccleſiaſtica ſimoniacè acquirunt, ipſos eſſe ipſo iure priuatos, inhabilesq; ad eas, & ea, ac alia quælibet obtinenda; & vltra hoc erũt obligati ad reſtitutionem omnium fructuum inde perceptorum: iuxta mentem Pauli, & Pij, vt ſupra, concordantes cum Martino Quinto in concilio Conſtantienſi.

Nota ſextò, & benè, Prælatos omnes, alioſq; eccleſiaſticos inferiores, ex aliquibus redditibus dignitatum, & Eccleſiarum vacantium, eis ſubditarum à mortuo poſſeſſore relictis, vel durante tempore vacationis collectis: quouſq; reſtitutionem fecerint de prædictis, niſi de conſuetudine præſcripta, vel priuilegio ipſis competant; eſſe ipſo iure ſuſpenſos: text. in cap. præſenti, de off. ordin. in 6. & per conſtit. Pij Quinti, quæ incipit, Dudum, data anno 1570. & eſt Papalis.

Nota ſeptimò, quod in cap. quia ſæpè, de elect. 6. ipſo iure ſuſpenduntur omnes occupantes, ſurripientes, ſeu etiam inter ſe diuidentes, bona à Prælatis Eccleſiarum dimiſſa, vel vacationis tempore obuenientia, donec plenè reſtituerint.

Suſpenduntur quoq; ipſo iure, Conuentus, & Capitula, in receptione perſonarum vtriuſque ſexus ad religionem, aut ante, vel poſt illam, paſtus, prandia, pecunias, aut res alias etiam ad eccleſiaſticum, aut alium pium vſum deputatas, vel deputandas, directè, vel indirectè petentia, vel exigentia:

tex. in extrau. 1. de ſimonia. Moniales verò his non ſubiacent pœnis propter pacta, & conuentiones, quas faciunt pro dotibus recipiendarum, in commodum victum earum, per priuilegium Clem. VII. Propter acceptationes tamen candelarum, aliorumq; donorum, quæ à talibus recipiendis, non tantum benignè exigunt, ſed quodammodo extorquẽt, non video quomodo à ſupradictis pœnis illas excuſare poſſim, niſi fortè per priuilegium aliquod, aut longam conſuetudinem ſibi conceſſam exiſtimant; quia ad earum aures, vel eorum, qui illarum ſpiritualem curam gerunt, talis extrauagans nunquam peruenit.

Suſpenduntur eccleſiaſtici, obligantes fructus ſuæ Eccleſiæ pro debitis alienis: text. cap. 2. de ſolution.

Recipiens eodem die duos ſacros ordines, ſine diſpenſatione Papæ, eſt ipſo iure ſuſpenſus, donec abſoluatur ab hac cenſura, quæ tamen ſuſpenſio, intelligenda eſt de poſteriore ordine, & in hoc Papa ſolum diſpenſat, ſi ſit publicum, vt ex cap. literas, cap. dilectus, Nauar. cap. 25. nu. 71. vbi loquitur de conſuetudine, quattuor minores, & Subdiaconatum poſſe eodem die conferri.

Qui ordinatur per ſaltum, hoc eſt tranſiens à ſubdiaconatu ad ſacerdotium, vel omittens medium ordinem, tranſit ad vltimum, eſt ipſo iure ſuſpenſus, cuius diſpenſatio priuſquam ordinem ſic ſuſceptum exerceat, pertinet ad Epiſcopum, vt habes ex concil. Trid. Nauar. c. 25. nu. 71. & alijs: ſi verò exercuerit, pertinet ad ſummum Pontificem.

Qui publicum vſurarium recipit ſepeliendum in Eccleſia, & de facto dat ei eccleſiaſticam ſepulturam, eſt ipſo iure ſuſpenſus, donec arbitrio Epiſcopi ſatisfecerit: vt habet text. in cap. quia in omnibus, de vſuris: text. in cap. quamquam, eod. tit. in 6. Nota tamen illum dici publicum vſurarium, qui habet ad hoc publicam menſam, vel qui in iudicio, hoc eſt confeſſus, vel teſtibus conuictus eſt: vel qui ſuas res ob dilatam ſolutionem carius iuſto precio rigoroſo manifeſtè vendit: ita ex multis iuribus docet Syluetter verbo vſura 9. nu. 1. & Nauar. cap. 17. nu. 280. & omnes.

Conuentus, Capitula, &c. quæ tranſgrediuntur bullam

Digitized by Google

Pij Quinti, de non amittẽdis beneficiorum reſignationibus, ſi contra tenorem dictæ bullæ, qua illis interdicta eſt facultas conferendi beneficia, ſeu officia confirmandi, eligendi, præſentandi, & inſtituendi aliquem in ipſis, & nihilominus, ea omnia, vel aliqua, ſi poteſtate priuati faciunt, ſunt ipſo iure ſuſpenſi, quæ ſuſpenſio reſeruatur Papæ, per conſtitutionem Pij Quinti, quæ incipit, Quanta Eccleſiæ.

Epiſcopus, qui inuitum, aut reclamantem ordinat, eſt ipſo iure ſuſpenſus per annum à Miſſarum celebratione: per text. in cap. Epiſcopus qui, & cap. geſta 74. diſt.

Epiſcopus, vel alius conferens coniugato primam tonſuram, eſt ipſo iure ſuſpenſus per annum à collatione ipſius tonſuræ: per text. in cap. nullus, de temporibus ordin. lib. 6.

Epiſcopus ſcienter ordinans bigamum, ſeu maritum viduæ corruptæ, vel repudiatæ, eſt ipſo iure ſuſpenſus à poteſtate conferendi ordines: per text. c. ex pœnitentibus, diſt. 50. & cap. 2. de bigamis, & ſuſpenſus eſt à Miſſæ celebratione per annum, cap. nullus 55. diſt.

Epiſcopus, ſeu alius ordinans ſolemniter pęnitentem, ipſo iure eſt ſuſpenſus per annum à celebratione Miſſæ; immo etiam ſi quis hoc obſeruare cõtempſerit, priuari debet communione Eccleſiæ: per text. in cap. nullus 55. diſt. Et nota illum dici, & eſſe ſolemniter pœnitentem, cui ſolemnis pœnitentia fuit aliquo tempore impoſita; quod ferè vbiq; terrarum ſeruari ſolet, in ſacro Inquiſitionis officio, vbi pro cilicio, ſeu ſacco, quo olim ſolemniter pœnitentes induebantur, nunc ſuper alia indumẽta publicè imponit habitellum, Crucem habentem, ſaltim per annum, quo elapſo, in perpetuam rei memoriam, aliorumq; exemplum, habitellus ille, in parochiali Eccleſia illius pœnitentis affigitur, cum nomine pœnitentis cauſa, grauitate delicti, & anno, in quo talis fuit hac pœna mulctatus, vllo vnquam tempore, inde amouendus: Ratio autem, cur ſolemniter pœnitentes ab ordine arceantur, eſt, quia per huiuſmodi pœnitentiam, efficiuntur infames; & ſi ſunt laici, irregulares ad ordines ſuſcipiendos: ſi verò ſunt clerici, ad maiores ordines ſuſcipiẽdos, per text. cap. illud 50. diſt. Nauar. cap. 23. num. 74. Vigue. de ſacra-

men-

mento pœnitentiæ cap. 16. §. 4. verſ. 7. infames enim abordine repelluntur, vt ſupra dictum eſt: Præterea pœnitentia publica eſt duplex, nam vel eſt iudicialis, vel ſacramentalis: pœnitentia publica iudicialis illa eſt, quæ à Iudice eccleſiaſtico imponitur, vt quando præcipitur alicui ſeculari, vt ſtet in Eccleſia, vel in porta Eccleſiæ ſine calceis, cum candela accenſa in manibus, vel vt humi iaceat, & terram deoſculetur, & his ſimilia, vt quãdo nomen Dei blaſphemauerit, &c. Sacramentalis autem eſt illa, quam imponit Confeſſarius in foro pœnitentiæ pro publico delicto, quo ſcandalizata ſit tota Ciuitas, vel magna populi multitudo, vt nouiſſimè in cõcil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 8. & Nauar. cap. 8. num. 10. affirmat: Poterit etiam confeſſarius cogere pœnitentem ad acceptandum hanc publicam pœnitentiam, vt reddat bonum exemplum ijs, quos ſcandalizauit, etiam ſi pœnitens ſit ſacerdos, vt docet Sylueſt. verbo pœnitentia, nec propter hoc, dicetur confeſſarius reuelare confeſſionem, quod pœnitentiam publicam impoſuerit, quoniam neſcitur, pro quo peccato illam faciat pœnitens: ita docet S. Tho. 4. diſt. 14. & Armilla verbo pœnitentia nu. 2. alij verò negant.

Nota tamen, publicam pœnitentiam nunquam eſſe imponendam alicui pro grauiſſimo etiam peccato occulto, niſi hoc pœnitẽs poſtularet ad ſui humiliationem, deuotionem, aut maiorem ſatisfactionem: vt habes in concil. Colon. de confeſſione, §. verum poſtea.

Nota item hanc eſſe differentiam inter ſolemnem, & publicam pœnitentiam, quod publica iterari poteſt; non autem ſolemnis, ſed quandoq; ſolemnis pro publica accipi ſolet, non autem è contra publica pro ſolemni. Secundò differunt, quia ſolemnis pœnitentia, tantum ab Epiſcopo, vel ab alio de eius commiſſione imponitur: publica verò etiam à quolibet confeſſario approbato: Rurſus, quia ſolemnis pœnitentia imponitur pro crimine graui, totius populi ſcandalizatiuo, vt habetur 26. q. vlt. cap. fin. puta pro homicidio: diſt. 50. cap. placuit: pro ſacrilegio, inceſtu, & ſimilibus, quæ grauia ſunt, horrenda, & publica: publica verò etiam pro alijs non tam grauibus. Rurſus, quia ſolemnis, non impo-

po-

ponitur ſacerdotibus ob dignitatem ordinis, ſed ſecularibus tam viris, quam mulieribus. Rurſus, quia pœnitentia ſolemnis non debet iterari, per cap. reperiuntur, de pœniten. diſt. 1. cap. quamuis, diſt. 50. cum non ſit ſacramentum, nec ſacramentale: & hoc ne veniat in contemptum, ſicuti fieret ſi frequentaretur; Item in ſignificationem electionis Adæ à Paradiſo expulſi, quia ſemel tãtum fuit eiectus. Rurſus, quia pœnitentia ſolemnis non eſt amplius in vſu, ſicuti publica: ita Hoſt. in ſummã de pœnit. & remiſſ. ſummam confeſſ. eodem tit. q. 10. quamuis in eo tantum actu imponendi cinerem die primo Quadrageſimæ, ad ſignificandum omnes homines eſſe peccatores, & filios illius primi peccatoris à Paradiſo eiecti, publica verò, & iterabilis. Rurſus, quia pœnitentia ſolemnis, eſt tantum in prætorio ſacræ Inquiſitionis, vbi Hæretici loco ſacro induuntur habitello publicè, vt ab omnibus conſpiciantur, pub. non ſic. Rurſus, quia ſolemnis imponebatur pro delictis grauioribus publicis: at publica etiam pro delictis occultis aliquando, dummodo non aperiatur confeſſionis ſignum.

Epiſcopus ordinans illegitimum, ſine debita diſpenſatione, priuatur auctoritate ordinandi, per text. in cap. cum vinctonienſis, de elec. & nota illegitimorũ quattuor eſſe ſpecies.

Prima eſt Manzer, qui ſcilicet de ſcorto natus eſt.

Secũda, Spurius, qui de profeſſo, vel profeſſa, & ſimilibus.

Tertia, Nothus, qui ex adulterio natus eſt.

Quarta, Naturalis, qui natus eſt ex vnica concubina, domi retenta: vt gloſ. & Abb. in cap. cum pridem: qui omnes etiam ſine culpa ſua ab ordinibus repelluntur, pluribus rationibus.

Prima, propter dignitatem clericalem, quæ vilibus huiuſmodi hominibus conferri non debet, vt habes ex tex. in cap. inter dilectos, de exceſſibus Prælatorum:

Secundò, propter deteſtationem paterni criminis, vt habes text. in cap. vergentis, de hæret.

Tertiò, propter malam imitationem, quia ſolent tales eſſe paterni criminis imitatores: text. in cap. ſi quis cum militibus 6. q. 1. cap. ſi quem Angelorum 56. diſt. vide textum.

Quartò, propter ignominiam eorum; ſunt enim ignominioſi, omnibusq; odioſi, quaſi ex turpitudine nati.

Quintò, quia nullum eſſet diſcrimen inter matrimonium, & fornicationem.

Sextò, quia illegitimi pleni ſunt vitijs, & omnibus patet vt Illuſtriſs. Palæottus in tractatu de ſpurijs optimè docet, vide etiam text. in cap. tanta, & per totum.

Filij verò (legaliter, canonicèq; loquendo cum Syluestro) ſunt in triplici genere diſtincti: Alij enim ſunt legitimi.i. lege probati, & de legitimo matrimonio procreati, aut de eo, quod legitimum putabatur: Alij ſunt naturales, ſed non legitimi: Alij ſunt legitimi, & naturales: de hoc plura licebit videre apud Sylu. verbo filij, & verbo legitimus per totum.

Interdum tamen in aliquibus caſibus, patet illegitimos eſſe admittendos: Primò, quando filius ex ſoluto, & ſoluta natus eſt, & præſertim ſi tempore conceptus, nullum erat inter illos impedimentum, quo non poſſent contrahere matrimonium, & ſi poſtea contrahant, perſequens matrimonium legitimantur abſq; vlla Eccleſiæ diſpenſatione; vt docet Abbas in cap. tanta, Syluester, Armilla, & alij: & hoc procedit non tantum quo ad ordines, ſed etiam quo ad omnes dignitates, & actus legitimos; habetur text. in cap. conqueſtus, cap. tanta.

Item ſi clericus in minoribus, etiam beneficiatus, habuit filios de concubina ſoluta, quam poſtea demiſſo beneficio ducit vxorem, talis filius legitimus per matrimonium: Io. Andr. in regul. ſine culpa, de regul. iur. 6. Card. in d. c. tanta q. 4. Angel. Sylu. Armilla, &c.

Item filius, qui ex copula carnali inter ſponſos de futuro naſcitur, erit legitimus: ſi poſtea illud matrimoniū ex concilij Trid. forma, fuerit celebratum, & contractum, quamuis copula huiuſmodi habita, ſit mortale peccatum: per tex. cap. per tuas.

Nota tamen, ſi filius natus ex fornicatione ante matrimonium ſubſequens, promoueatur ad ordines, ſubſecuto matrimonio fit quidem legitimus, ſed illa indebita ordinū ſuſceptio non conualidatur, nec habet ordinis ſuſcepti execu-

tio-

Digitized by Google

tionem, neq; ad altiores aſcendere poterit, ſine diſpenſatione: ita habes in cap. innotuit de elect. & ita tenet Archid. in cap. Oſius 56. diſt.

An verò infantes expoſiti ſint pro ſpurijs, aut pro legitimis habendi, & admittendi ad ordines ſine diſpenſatione: multi enim filij legitimi à parentibus propter inopiam, vel ignauiam exponuntur, vt patet, ſed dicendum eſt tales, ab omnibus pro illegitimis reputari, & in dubijs, non præſumitur quis legitimus, per tex. & ibi Angel. in lege liberorum, ff. de ijs, qui notantur infamia: Couuar. in Clem. ſi furioſus: Verum eſt tamen, ſi parētes pueri expoſiti agnoſcunt filium ſuum, quem egeſtate expoſuerunt, talis filius poterit ordinari, quia nihil obeſt, quod fuerit expoſitus, cum parentes eius legitimi agnoſcantur; & hæc expoſitio in iure nihil aduerſatur illi, quia fit legitimus: text. cap. 1. de infant. expoſ. Vbi notandum eſt, quamuis multi Doctores teneant partem affirmatiuam, quod ſcilicet tales ſint legitimi, & ordinandi: Cardinalis tamen Palæottus, contrariam reputat veriorem, ac ſeruandam: Couuarr. & alij. Cum his tamen expoſitis facilius eſt diſpenſandum; quæ diſpenſatio ad illos pertinet, ad quos cum alijs illegitimis pertinet diſpenſare: vide bullam Sixti Quinti de clericis malè promotis.

Clerici eligentes in Epiſcopum illegitimum, vel abſque legitima ætate, vel ignarum, & abſque ſcientia debita: ſunt ipſo iure ſuſpenſi per triennium à beneficijs: per text. in cap. cum in cunctis, §. fi. de electione: vide tamen Nauarr. cap. 27. nu. 155. qui dicit hac ſuſpenſione non comprehendi Cardinales eligentes Papam, nec Reges, vel alios ſeculares eligētes illegitimum in Epiſcopum: & propterea videtur huic textui derogatum, cum iam nullo modo Epiſcoporum electio pertineat ad clericos vt antea: & patet per cap. Adrianus: & per totam 63. diſt. ſed ad Papam pertinet Epiſcoporum electio.

Clerici prouocantes alium ad duellum, hoc eſt ad ſingulare certamen, & acceptantes prouocationem ab alio factam, & in arenam deſcendunt, ſunt ipſo iure ſuſpenſi: per tex. in cap. 1. de clericis pugnantibus in duello; ita tenent

Digitized by Google

Syluester, verbo ſuſpenſio, verſ. 11. & Tab. Maiolus verò lib. 5. de irregularitate, cap. 16. nu. 1. dicit non tantum eſſe ſuſpenſum, ſed etiam ipſo facto irregularem: ſed reuera iure antiquo, non probatur eſſe ſuſpenſum, ſed eſſe deponendum: ità tenet Nauarrus contra Sylueſtrum, & alios cap. 27. nu. 156. Canon tamen 32. 55. Apoſt. ſic habet, Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui militiæ vacauerit, & vtrunque retinere voluerit, tam officium Romanum, quam functionem ſacerdotalem deponitur: iure autem nouo, in concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 19. ſub grauibus interdicitur pœnis: de quo duello, quando ſit licitum, vel non, & de eius pœna, vide Nauar. & concil. Trid. ſeſſ. 25. ſub rubrica de duello, & illud permittentium pœnis: cap. 1. deteſtabilis, &c. quo excommunicantur eo ipſo omnes Domini temporales, Imperator, Reges, &c. qui locum ad duellum in terris ſuis conceſſerint, priuantur iuriſdictione, dominio Ciuitatis, Caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum permiſerint: præterea tam duellantes, quam patrini excommunicationem incurrunt, ac eis omnia bona ſua proſcribuntur, & perpetuò infames fiunt, homicidarum pœnas incurrunt: Item, qui ad illud conſilium tam in iure, quam in facto dederint, aut alia quacunq; ratione ad id quemquam ſuaſerint: Item ſpectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo obligantur; non obſtante quocunq; priuilegio, ſeu praua conſuetudine etiam immemorabili: Quicunque Iudex habens iuriſdictionem, aut authoritatem excommunicandi, qui excommunicat, vel ſuſpendit aliquem, verbo tantum ſine ſcriptis, vel cauſa non expreſſa: vel ſi requiſitus non dat copiam huiuſmodi excommunicationis, vel ſuſpenſionis, eſt ipſo iure ſuſpenſus: per text. in cap. 1. de ſent. excommunic. lib. 6. quæ tamen ſuſpenſio eſt ab ingreſſu Eccleſiæ, & à diuinis officijs.

Item Iudex eccleſiaſticus, qui facit aliquid in iudicio in grauamen partis contra propriam conſcientiam, gratia, vel fauore ductus, eſt ipſo iure ſuſpenſus: per text. in cap. 1. de re iudic. 6. quod & Nauar. cap. 27. nu. 157. affirmat, & addit, quinque debere concurrere ad hoc, vt hæc ſuſpenſio incur-

curratur: primum, vt non ſit Epiſcopus; ſecundum, vt aggrauet contra iuſtitiam; tertium, vt faciat contra conſcientiam; quartum, quod ſit verè Iudex, non executor, vel arbiter; quintũ, quod faciat precio, amore, timore, odio, ſic gloſ.

De Impedimentis Matrimonij.

DIcturi de ſubſtantialibus impedimentis Matrimonij, quæ impediunt contrahendum, & dirimunt contractum, hęc prius duximus prænotanda: Quoniam quæcunq; res, quæ conſtat, ex aliquibus cauſis, quæ impediri poſſunt, habet impedimentum: Cauſæ matrimonij quandoq; impediuntur; nam cauſa efficiẽs, quæ eſt mutuus, & liber conſenſus, quandoque impeditur per errorem, & coactionem: Cauſa finalis, quæ eſt generatio prolis, quandoq; impeditur per impotentiam coeundi, & modis alijs: Cauſa formalis, quæ eſt inſeparabilitas, impeditur per ſacrum ordinem; per votum ſolemne caſtitatis, & religionis; & per ligamen matrimonij alterius. Ideo matrimonij impedimenta communiter ab omnibus, ad numerum duodenarium reducuntur: quorum tria accipiuntur ex parte cauſæ efficientis, quæ eſt liber, & mutuus conſenſus, per verba de præſenti expreſſus, quæ ſunt error perſonæ; conditionis ſeruilis, & coactio, ſiue violentia, & metus. Tria ex parte cauſæ finalis, quæ eſt generatio prolis, & educatio ad cultum veri Dei, & in remedium concupiſcentiæ; contra primũ eſt impotentia coeundi; contra ſecundum eſt cultus, diſparitas; contra tertium eſt crimen, quo homo ſe reddit indignũ remedio concupiſcentiæ per matrimonium. Per comparationem ad cauſam materialem, ſunt tria; Natura enim in concubitu coniugali abhorret nimiam propinquitatem inter perſonas, & ideo hæc impedit matrimoniũ, quæ triplex eſt, ſcilicet per Cognationem, per Affinitatem, & per Publicæ honeſtatis iuſtitiam; propter quam homo non poteſt cõtrahere cum illius conſanguinea, cum qua contraxit ſponſalia, etiam ſi ſponſalia non valuerunt de iure, ext. de ſponſal. cap. ad audientiam: Per comparationem ad cauſam formalem,

quæ

quæ eſt vinculi inſeparabilitas, accipiuntur tria, ordo ſacer, votum ſolemne, & ligamen.

Quapropter impedimenta matrimonium impedientia, illudq; dirimentia, ſic à Doctoribus intelliguntur, vt matrimonium ita impediant, vt ſi quis ſcienter habens aliquod horum contrahat matrimonium, peccet mortaliter, & matrimonium ſic contractum, reddatur nullum, etiam ſi ab alijs ignoretur: Vigu. cap. 16. §. 7. verſ. 7. quæ ab omnibus duodecim numerantur, & his verſibus comprehenduntur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,
Si ſis affinis, Si fortè coire nequibis:
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

Cum itaq; in matrimonio contrahendo conſenſus neceſſariò requiratur, qui eſt cauſa matrimonij, error perſonæ impedit ne legitimè contrahatur, cum remoueat cognitionem intellectus, à quo voluntas dirigitur, & conſenſus, qui eſt de eſſentia matrimonij, cum ſit forma illius: Propterea errantis conſenſus, nullus eſſe creditur: Matrimonium enim Iacob Patriarchæ cum Lia, non fuiſſet perfectum, ex ipſo concubitu, qui ex errore contigit, niſi ex conſenſu, qui poſtea ſucceſſit: Et quamuis error poſſit occurrere tam circa perſonam, quam circa adhærentia perſonæ, puta circa conditionem, diuitias, paupertatem, pulchritudinem, nobilitatem, ſanitatem, & alia; S. Thomas tamen ad duos tantum reducit, in ſuis additionibus 3. p. q. 51. ar. 1. in quo omnes conueniunt: Ad errorem perſonæ ſcilicet, & conditionis. Si quis enim legitimè ante contraxerit, & poſtea impedimētum aliquod iſtorum accidentalium ſuperuenerit, tunc non dirimitur matrimonium, ſed manet in ſuo robore.

Si quis igitur putat contrahere cum vna, & alia ei ſupponitur, non contrahit, quia defuit conſenſus: Nauar. cap. 22. num. 32. Iſte namq; error, eſt contra ſubſtantiam matrimonij: qui verò putat contrahere cum muliere pulchra, honeſta, diuite, ſana, nobili, &c. & contrahit cum turpi, meretrice, infirma, paupere, ignobili, &c. tenet matrimonium, quia talis error non eſt contra ſubſtantiam matrimonij: Nauarr.
ſupra,

ſupra, Armilla, Sotus, Victoria, &c. Item, qui determinatè cogitat contrahere cum virgine, non autem cum corrupta: ſi ante conſumationem matrimonij talis error detegitur, & corruptã eſſe deprehendit, non eſt cogendus conſumere matrimonium: quia tunc nullum erit matrimonium ex defectu conſenſus contrahendi cum corrupta, in quam non conſenſit, quia per hoc impediretur eius promotio ad ordines eccleſiaſticos: Sylu. Matri. 8. q. 1. §. 3. Præterea error perſonæ, differt ab errore qualitatis, & fortunæ; vt ſi quæ mulier putat contrahere cum viro probato, pacifico, aut diuite, & contrahit cum viro peſſimo, rixoſo, & paupere: Ante conuerſo, ſi vir putat contrahere cum muliere honeſta, pacifica, & diuite, & contrahit cum meretrice, iracunda, & paupere, talis error non dirimit matrim. quia talis error non mutat aliquid eorum, quæ ſunt de eſſentia illius, vt habes in §. non omnibus 29. q. 1. Error autem nobilitatis, aut dignitatis, ſi redundat in errorem perſonæ, dirimit, & annullat matrim. vt ſi directè intendit conſentire in filium Regis, quicunq; ſit ille, & non alium, tunc ſi alius præſentatur ei, tanquam filius Regis, cum non ſit, eſt error perſonæ, & ſic dirimit matrim. quod ſecus eſſet, ſi conſenſus directè feratur in iſtam perſonam: & quia cum eſt error qualitatis, aut diuitiarum, conſenſus directè fertur in perſonam ſibi oblatam, ideò non vitiat matrimonium: ita ſentit Vigu. cap. 16. §. 7. verſ. 9. & quamuis lepra inferat multa grauamina odioſa, quantum ſecundos effectus matrimonij; non tamen dirimit cõtractum matrimonium, ſicut error ſeruitutis, cum non impediat matrim. quo ad primum actum, nec quo ad poteſtatem, quia debitum ſibi inuicem reddere poſſunt; ſi verò ſit lepra ignorata non dirimit, neq; à fortiori, lepra ſuperueniens matrimonio, vt patet per cap. 1. de coniugio leproſorum.

Error itaq; remouet conſenſum, quia qui errat, non conſentit, l. ſi per errorem, ff. de iuriſd. omn. iud. & errãtis voluntas, nulla eſt, l. cum teſtamentum, cap. de iuris, & facti ignorantia: & errantis cõſenſus nullus eſt, quia error remouet cognitionem, quæ eſt cauſa conſenſus, & omniũ actuum voluntatis: & omnimoda ignorantia alicuius, remouet errorem

rorem circa perſonam eius: quia in penitus ignotum, nec affectum, nec conſenſum poſſumus dirigere: ideò enim errare dicitur in perſonam alicuius, quæ creditur eſſe iſta præſens, ſed eſt (alia, ſicq; errare, eſt) alium pro alio accipere, quod eſſe non poteſt, niſi de illo loco, cuius alium ponimus, aliqualem notitiam habeamus.

Secundum impedimentum Matrimonium dirimens, eſt error conditionis ſeruilis.

HOc impedimentum verſatur circa errorem ſimilis conditionis: vt ſi quis liber homo putat contrahere matrimonium cum muliere libera, & contrahit cum ſerua; aut è conuerſo, cum ſit error illorũ, quæ ſunt de eſſentia matrimonij, prout eſt mutata poteſtas, impedit, & dirimit, quia eſt contra eſſentialia matrimonij, ita habes in §. ius itaque 29. q. 1. Nauar. cap. 22. nu. 35.

Si tamen poſtea ſeruitute cognita conſenſerit, vel carnalis copula ſecuta fuerit, tenet matrim. vt habes in cap. propoſuit, in cap. ad noſtram, ext. de coniugio ſeruorum.

Si verò vterq; ſit ſeruus, nihil prohibet inter illos eſſe coniugia, vel inter liberam, & ancillam cognitam talem: quapropter ſeruus non ſolum domino neſciente, ſed etiam contradicente, poterit liberè contrahere matrimonium, ſeruatis ſeruandis; quia ſeruitus eſt de iure poſitiuo, & matrimonium de iure naturali, ideò nõ poteſt præiudicare matrimonio, & per conſequens ſerui, & ancillæ nullo modo debent à matrimonio retrahi, & ſi inuitis, & renitentibus dominis contrahant, nulla ratione, propter hoc eorum matrimonia ſunt diſſoluenda: S. Thom. in addit. 3. par. q. 52. art. 2. & habes in cap. 1. de coniugio ſeruorum: quia non ſunt retrahendi à ſacramentis.

De

De tertio Impedimento dirimente Voti.

TErtium impedimentum dirimens matrimonium,eſt Votum ſolemne caſtitatis,quod celebratur per profeſſionem tacitam,vel expreſſam in religione approbata;vel per ſuſceptionẽ ſacri ordinis:poſt quod votum,qui contrahit matrimonium, nõ ſolum peccat mortaliter, ſed etiam eſt excommunicatus, per Clementinam 1. de conſanguin. & affin. vti docet Nauarr. poſt alios cap. 22. nu. 32. & habetur in cap. meminimus, qui clerici, vel vouentes, quod intelligas de voto ſolemni, quia per illud contrahitur matrimonium cum Deo, quod eſt dignus carnali: ratio eſt, quia in voto ſimplici, non eſt niſi ſimplex promiſſio proprij corporis ad continentiã ſeruandam Deo; at in voto ſolemni eſt realis exhibitio: ideò votum ſimplex ſe habet ad modum ſponſalium ad matrimonium, quia ſicut ſponſalia dirimuntur per matrim. eo quod in ſponſalibus non eſt niſi promiſſio,per quam non transfertur dominium, res enim alicui promiſſa, poteſt ad huc dari, ſi data non ſit; ſed in voto ſolemni ſit talis datio, ſeu traditio corporis Vicario Chriſti, aut alicui loco illius: ideo votum ſolemne, habet ex ſui natura, vt dirimat matrimonium, in quantum homo per ipſum, ſui corporis poteſtatem amiſit, tradens ſe Deo ad perpetuam caſtitatem; ideo illud non poteſt alteri dare, cum ſit tranſlatum dominium illius. non autem ſic de voto ſimplici; quod ſit, quando quis deliberato animo, corde, vel voce, promittit Deo mediatè, vel immediatè ſeruare caſtitatem, ſeu ingredi aliquam religionem; mediatè, vt quando promittit Beatiſſimæ Virgini, vel alicui ex Sanctis: immediatè verò, vt quando ipſi Deo promittit, vt omnes affirmant: in 4. diſtin. 38. & Nauarr. cap. 12. per totum.

Solemne itaq; votum eſt, quando huiuſmodi promiſſionem ſubſequitur realis traditio propriæ perſonæ in poteſtatem alterius; quod ſit, quando nouitius, vel nouitia facit profeſſionem in manu Superioris, in Religione approbata,

vt notant omnes: quæcunq; autem alia vota, quæ à quocũq; fiunt, ſimplicia dicuntur: Nauarr. cap. 12. nu. 32. poſt quæ, qui de facto cõtrahit matrimonium, facit contra ius, & grauiſſimum peccatum mortale cõmittit, quia fidem Deo frangit, quamuis teneat matrimonium ſic contractum: Huic enim pœnitentia trium annorum imponitur, vt habes in Canon. pœnit. can. 12. & per cap. ſi vir 27. diſt. Votum autem, quod fit in religione non approbata, ſeu in tertia regula à tertiarijs S. Franciſci, & S. Dominici, non dirimit matrimonium, quamuis maius ſcandalum eſſet, ſi tales contraherent, quam alij: Qui igitur poſt hoc votum contrahit matrimonium, tenetur ſeruare votum ex parte ſua; & ſic non poteſt abſq; peccato petere debitum ante conſumatum matrimonium, nec tenetur reddere petenti antequam cõſumet; quia ante cõſumationem poteſt intrare religionem, & ibi votum ſeruare: & quotieſcunque ante conſumationem matrimonij petit debitum, toties peccat mortaliter, per communem opinionem: & mortua ipſius coniuge, ſuperſtes, qui fuerit, non poteſt amplius contrahere matrim. ſine diſpenſatione; quia tenetur ſeruare votum, quod ante promiſerat, & religionem, quam antea vouerat, tenetur intrare: Sotus 4. diſt. 38. q. 2. ar. 1. concluſ. 4. & lib. 7. de iuſt. & iur. q. 2. art. 1. & iuxta communem ſententiam, quam ſequitur Nauar. cap. 12. num. 60. & cap. 16. nu. 30. Notandum eſt, Epiſcopum poſſe cum iſtis diſpenſare ad exigendum debitum, quamuis qui ſic contraxit, peccauerit mortaliter, & ante conſumationem matrimonij teneatur ingredi religionem, & peccat cõſumando matrim. ſed conſumato matrimonio poteſt exigere debitum ſine diſpenſatione, vt notat Sotus, vbi ſupra; & Epiſcopus iuſta de cauſa debet diſpenſare ratione periculi, non ex rigore iuris, ſed ex conſuetudine, vt idem Sot. 4. diſt. 37. q. vnica affirmat, cui fauere videtur concil. Trid. ſeſſ. 24. 6. cap. Cauſa autem, cur votum ſolemne dirimat matrimonium, & non votum ſimplex, eſt, quia per votum ſolemne homo amittit ſui corporis poteſtatem, tradendo illud Deo ad perpetuam caſtitatem, ideo non poteſt illum in poteſtatem dare vxori: vel vt alij dicunt, propter ſcandalum, quod

inde

inde orietur, cum votum ſit notum, ſeu publicum: Alij dicunt eſſe propter ſtatutum Eccleſiæ; ſed non ſufficit, quia ſecundum hoc, Eccleſia poſſet contrarium ſtatuere, quod non videtur: ſi quis autem obijciat, apud Deum ſic ligat votum ſimplex vt ſolemne, dicendum eſt hoc verum eſſe in his, quæ ſpectant ad Deum, videlicet quantum ad ſeparationem à Deo per peccatum mortale, quia ſic peccat mort. frangens votum ſimplex, ſicut frangens votum ſolemne: attamen grauius peccat, qui frangit ſolemne; ſed quantum ad matrimonium, per quod homo obligatur homini, non eſt æqualis obligatio vtriuſque.

De Impedimento Cognationis, dirimente Matrim.

Antequam ad cognationis narrationem accedamus, quædam paruis ſunt præmittenda, vt materia hæc facilius dignoſcatur, neuè repetenda ſint: Et primò videndum eſt: Quid ſit ſtipes: quid ſit linea: quid gradus, & quo modo computentur.

Stipes igitur vocatur perſona illa, ex qua aliqui duxerunt originem, atq; ex ea deſcendentes ſunt ad inuicem conſanguinei.

Linea conſanguinitatis, ſeu cognationis eſt ordinata collectio perſonarum conſanguinitate coniunctarum, quæ eſt triplex: Vna aſcendētium, in qua ſunt Pater, Auus, Proauus, Attauus, &c. ſimiliter Mater, Auia, Attauia, &c.

Secunda eſt deſcendentium, in qua eſt Filius, Nepos, Pronepos, Abnepos: & ſimiliter Filia, Neptis, Proneptis, &c. & hæ duæ lineæ realiter ſunt vna, ſed diuerſa ſolum in modo computandi, incipiendo ſcilicet à poſterioribus, vt in prima, vel à prioribus, vt in ſecunda.

Tertia eſt, quæ reſpicit eos, qui ab eodem quidem tertio deſcendunt, ſed non ad inuicem, & dicitur linea collateralium, aut tranſuerſalium, in qua ſunt fratres, & eorum filij, qui patrueles dicūtur, & filij patruorum: & idem in fęminis.

Gradus autem eſt habitudo quædam diſtantium perſonarum, qua cognoſcitur quota generationis diſtantia duæ

perſonæ inter ſe diſtant: computantur autem gradus in linea aſcendentium, & deſcendentium vniformiter, ſecũdum leges, & canones; qui gradus ſecũdum iura ciuilia accipiuntur ſecundum numerum perſonarum collectarum in linea; vnde dicunt Legiſtæ, quod frater, & ſoror duos faciunt gradus; Canoniſtæ verò dicunt, quod faciunt vnum, & primum gradum: ratione huius diuerſitatis, dicit Hugo de conſanguinitate cap. 4. Alexander Epiſcopus.

Inuenimus ob aliam, & aliam cauſam, alteram legum, alteram canonum computationem fieri. In legibus namque ob aliud nihil ipſorum graduum facta eſt mentio; niſi vt hæreditas, vel ſucceſſio ab vna perſona ad alteram, inter conſanguineos deferatur. In canonibus verò ab hoc progenies computatur, vt apertè oſtendatur vſque ad quotam generationem conſanguineis ſit abſtinendum à nuptijs; ibi præſcribitur, vt hæreditas propinquis modo legitimo conferatur, hic verò, vt ritè, atq; canonicè inter fideles nuptiæ celebrentur. In legibus gradus non numerantur diſtinctè, niſi vſque ad ſextum gradum. In canonibus vſq; ad ſeptimam generationem diſtinguũtur: Hac ergo de cauſa, quia hæreditas nequit deferri, niſi ab vna perſona ad alteram, curauit ſecularis Imperator, in ſingulis perſonis ſingulos gradus præfigere.

Quoniam verò nuptiæ non valent fieri ſine duabus perſonis; ideo ſacri canones duas in vno gradu conſtituunt: Fratres itaque, qui ſecundum leges ſecularium dicuntur eſſe in ſecundo gradu, ſecundum canones ſunt in primo: Filij fratrum ibi in quarto, hic in ſecundo, nepotes ibi in ſexto, hic in tertio: Quibus ſic præhabitis, notandæ ſunt tres regulæ: Prima eſt, quod nulli licet contrahere cum aliqua, vſque ad quartum gradum incluſiuè; contra quam prohibitionem, ſi quis præſumpſerit coniugio copulari, irritum habeatur. Secunda, quod toto gradu perſonæ deſcendentes à ſtipite, diſtant ab inuicem quoto gradu diſtant à capite. Tertia, quando perſonæ inæqualiter diſtant à capite, vt vna ſit in gradu ſecundo, alia in quinto, tunc linea cognationis, ſeu conſanguinitatis, & gradus, computandi ſunt ſecundum diſtantiam magis remoti.

Co-

Digitized by Google

Cognatio itaque, quæ ab omnibus communiter conſideratur, triplex eſt, alia enim eſt naturalis, ſeu carnalis; alia ſpiritualis; alia legalis. Cognatio ſpiritualis impediens, & dirimens matrimonium, eſt attinētia duarum perſonarum, quæ ex ſtatuto Eccleſiæ oritur per Baptiſmi, & Confirmationis adminiſtrationem, vel ſuſceptionem baptizati, vel confirmati, iuxta communem Doctorum ſententiam, per cap. veniens, de cognat. ſpirituali: Nauar. cap. 22. nu. 35. quòd impedimentum eſt tantum ex iure canonico introductum, per cap. vos ante omnia, de conſecr. diſt. 4. quæ iure nouo poſt concilium Trid. ſeſſ. 24. de reform. mater, cap. 2. non contrahitur, niſi per Baptiſmum, & Confirmationem; vbi nunc non poteſt contrahi matrimonium inter leuantes, & leuatum, vel eius parentes, neq; inter baptizantem, & baptizatum, & eius parentes: quod etiam in Confirmatione procedit, iuxta concilij Trid. decretum: Ex ijs enim caſibus, & gradibus, tantum oritur iſta cognatio ſpiritualis, impediēs, & dirimens matrimonium: & propterea ceſſant multæ dubitationes, quæ antea à Summiſtis proponebantur: & primum, quia maritus, & vxor, hodie abſq; peccato, poterunt infantem alterius de Baptiſmo leuare; Secundū, quia quando infans ob periculum mortis baptizatur domi, contrahitur hæc cognatio inter illum, qui tenet infantem ad ſuſceptionem baptiſmi, & baptizatum: & nō inter illum, qui poſtea in Eccleſia ad cathechiſmum, vel alias cœremonias tenuit: quia tunc ſolum cognatio ſpiritualis inducitur, quando à baptizante, ſeu ſacerdote aqua infunditur: per Sotum diſt. 42. q. 1. art. 2. Vnde errant, qui credunt ex alijs cœremonijs, quæ fiunt circa puerum iam baptizatum domi propter neceſſitatem, contrahere hanc cognationem dirimentem; quia iſta non ſunt ſacramenta, ſed ſacramentalia, per quæ non imprimitur character, nec confertur gratia ex opere operato; quamuis ſit actus cathechiſmi, & exorciſmi; ex quo alia minor cognatio impediens, ſed non dirimens contrahitur: cap. per cathechiſmum, de cognat. ſpirituali lib. 6. ſicuti errant, qui credunt cognationem ſpiritualem, contracto iam matrimonio ſuperuenientem, illud diſſoluere; quia

tantummodo impedit exactionem debiti coniugalis: Nauar. cap. 16. nu. 34. Errant quoque, qui credunt, patrinum ex verbis, ſeu ex reſponſione in cathechiſmo hanc contrahere cognationem, cum de ſubſtantia iſtius cognationis tantum ſit ipſa ſuſceptio, ſeu leuatio de ſacro Fonte, aut Confirmatione, cæteris ad ſolemnitatem ſpectantibus: Sylu. Couuar. p. 2. cap. 6. §. 4. nu. 7. & eſt communis.

Tertium, quia pater baptizans filium ſuum ex fornicatione natum, etiam in articulo mortis impeditur, ne poſſit contrahere matrimonium cum illius matre: iura enim, quæ illud priuilegium concedunt, loquuntur tantum de marito, & vxore, non autem de alijs; nec contrahitur cognatio inter illos, qui baptizant, & leuant infantem baptizatum domi, qui per errorem ſacerdotis iterum baptizatur in Eccleſia, quia non iteratur ſacramentum Baptiſmi; quamuis multi Doctores aliter ſenſerint: Sot. 4. ſent. diſt. 42. q. 1. ar. 2. ver. atq; ex his. ſicuti etiam non baptizatus baptizans, vel leuans infantem, per communem opinionem nullam contrahit cognationem ſpiritualem: Sot. 4. diſt. 42. q. 1. ar. 3. ver. perplexior. Ille autem contrahit cognationem, qui in mortis articulo aliquem baptizat, ita vt non poſſit contrahere matrim. cum matre illius, quem baptizauit, vt docet idem Sotus loco citato, quamuis aliqui Doctores non ſint auſi hoc determinare, ſed dixerint Papam eſſe conſulendum. Nihil etiam obſtat ad contrahendum hãc cognationem, an baptizandus quicunque ſit, nudus, an indutus, an in lecto aureo, vel argenteo teneatur, ſiue leuetur, aut tangatur: Sot. 4. diſt. 42. q. 1. ar. 2.

Notandum præterea eſt, nullam cognationem contrahi inter baptizandum, & Principem, qui mittit alium ad tenendum aliquem ad baptiſmum: ſed inter tenentem, ſeu procuratorem, & baptizandum tãtum: Ratio eſt, quia iſta cognatio conſiſtit in illo actu tenendi, vel leuandi, ad quam ſolus conſenſus non ſufficit, ſicut in matrimonio: ita docet Sotus loco citato: ita tenet Sylu. matrim. 8. q. 7. ita Couuar. 2. p. de matrim. cap. 6. §. 4. & eſt communis.

Item, qui baptizat, vel qui leuat de Fonte filium Iudæi,

vel

vel alterius infidelis, contrahit hanc cognationem cum eius parentibus: S. Tho. relatus à Soto in 4. diſt. 42. q. 2. ar. 1.

De Cognatione carnali, ſeu naturali, quæ etiam dicitur conſanguinitas, ſeu affinitas.

COgnatio carnalis, ſeu conſanguinitas, dicitur quaſi ſanguinis vnitas: eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite propinquo deſcendentium, vel quarum vna deſcendit ab alia carnali propagatione contractum: S. Tho. 4. diſt. 4. q. 1. ar. 1. Nauar. cap. 22. nu. 41. & gloſ. in arbore conſanguinitatis lib. 6. Pater enim, & filius non ſolum ſunt conſanguinei, quia vnus deſcendit ab alio: duo item fratres, qui à tertio, & ipſi deſcendunt: ſed etiam cæteri remotiores dicuntur conſanguinei, eo quod eodem ſanguine ſunt procreati, ſecundum communem ſententiam, quam refert Couuarr. 2. p. de matrim. cap. 6. §. in principio.

Vbi notandum eſt, tres eſſe lineas, quibus conſanguinitatis gradus aſſignantur, videlicet, vna aſcendentium, vt Filius, Pater, Auus, Proauus; vna deſcendentium, vt Pater, Filius, Nepos, Pronepos; vna tranſuerſalium, vt Fratres, & deſcendentes ab eis inter ſe, in diuerſis gradibus cōiuncti, iuxta communem ſententiam: Nos hoc loco, omiſſis legalibus computationibus, & alia multa, quæ à Summiſtis dicuntur, ea tantum dicemus, quæ ad noſtrum hoc ſpectant negotium, circa modum computandi gradus conſanguinitatis; & primò: Quoto gradu diſtant à communi ſtipite, eo gradu diſtāt inter ſe; vt duo fratres, ſunt in primo gradu, quia à patre diſtant vno tantum gradu: Quando duæ perſonæ inæqualiter diſtant à communi ſtipite, quoto gradu diſtant remotior à ſtipite, eo gradu diſtāt inter ſe; vt Paulus diſtat à Petro duobus gradibus: & Ioannes diſtat à Petro ipſo tribus gradibus; ideo Petrus diſtat à Ioanne in tertio gradu; in linea, quot ſunt perſonæ, tot ſunt gradus vna dempta: vt Pater, Filius; Nepos, vna dempta reſtant duæ, & ſic de alijs.

Matrimonium olim prohibebatur vſq; ad ſeptimum gradum,

dum, vt probat Armilla matrim. nu. 25. ſed hodie prohibetur tantum vſque ad quartum gradum conſanguinitatis incluſiuè: per cap. non debet, de conſanguin. & affin. Vnde fit, vt qui ſcienter intra dictum gradum contrahere præſumpſerit, non ſolum peccant mortaliter, ſed matrimoniũ ſic contractum eſt nullum; & quod maius eſt, incidunt in excommunicationem maiorem latæ ſententiæ, vt patet in Clem. 1. de conſanguin. & affin. niſi ignorantia illos excuſat, vt Sot. diſt. 41. q. 11. ar. 3. Nauar. cap. 22. nu. 43.

Aduertendum eſt tamen, conſanguineos contrahentes ſponſalia de futuro, non incidere in hanc excommunicationem: quia ſicuti contrahentes ſponſalia clandeſtina de futuro, non incurrunt pœnas contrahentium matrimoniũ clandeſtinum, ita nec contrahentes ſponſalia: gloſ. recepta in Clem. venia, de conſanguinit.

Notandum præterea ſunt circa matrimonium clandeſtinum hæc, quæ ſequuntur: Primum, matrimonium clandeſtinum contrahi multis modis: vel quando fit contra prohibitionem Eccleſiæ generalem, vel ſpecialem, expreſſam, vel tacitam; Vel quando contrahitur non præmiſſis publicationibus, vbi eſt conſuetum; Vel poſt prohibitionem in gradu prohibito, etiam ignoranter, & filij non erunt legitimi; Vel præter omne interdictum, etiam in facie Eccleſiæ vtroq; ſedente legitimum impedimentum contraxerunt.

Inſuper contrahentes matrimonium clandeſtinè ſcienter, peccant mortaliter, quando verò timetur, ne iniuſtè obijciatur impedimentum; vel quia contrahens eſt ſenex, & erubeſcit, excuſabitur à peccato, ſi de licentia Epiſcopi omiſerit publicationes: vnde ſi fiat omiſſis publicationibus, ſed coram teſtibus, erit matrimonium verum, & præſumptum; ſi verò fiat ſine teſtibus, & ſine ſolemnitates publicas Eccleſiæ, tunc faciet verum, ſed non præſumptum, vnde talibus conſulit Nauar. contrahere denuo, & publicè: Sylu. verbo matrimonium 2. q. 17. §. 2.

De

De Cognatione legali.

COgnatio legalis eſt illa propinquitas, quæ prouenit ex adoptione alicuius in filium, quæ eſt triplex: Prima eſt inter aſcendentes, & deſcendentes, ideſt inter adoptante, & adoptatum, & eius filios, quæ nec diſſolutione adoptionis, nec emancipatione tollitur: Secunda, quaſi tranſuerſalis eſt, inter adoptatum, & filium naturalem adoptantis, exiſtentem in poteſtate patris, & non alias, quæ ceſſat, ceſſante cura patris.

Tertia eſt quædam legalis affinitas, ſcilicet inter vxorem adoptati, & adoptantem: & inter adoptatum, & vxorem adoptantis, quæ durat perpetuò, ſicut prima; quapropter quælibet hârum cognationum impedit, & dirimit matrim. iuxta gloſ. & communem opinionem, licet aliqui aliter ſenſerint, quoad cognationem tranſuerſalem; vnde ſequitur hanc cognationem non contrahi inter adoptãtem, & matrem adoptati; & quod adoptans aliquam in filiam ſuam non poteſt cum illa, nec cum eius aliqua deſcendente intra quartũ gradum contrahere matrim. quia ſunt tanquam aſcendentes, & deſcendentes. Item, adoptans non poteſt cõtrahere matrimonium cum vxore filij adoptiui, etiam eo mortuo: nec filius adoptiuus cum vxore adoptantis, eo mortuo, cum inter eos ſit orta cognatio tertiæ ſpeciei, quamuis cõtrahi poſſit cum eius matre, etiam filio viuente, quia inter illos nulla intercedit cognatio.

Sequitur item non poſſe contrahi matrim. inter adoptiuam, & filiam naturalem adoptantis ipſo viuente, & filia in patris poteſtate manente, quod fieri poterit patre mortuo, aut filia emancipata, aut etiam ſi eſt filia illegitima: at ſi ipſe eſt iam emancipatus, quia hæc cognatio his modis ſoluitur, iuxta communem ſententiam.

Adoptio igitur eſt extraneæ perſonæ in filium, vel nepotem legitima aſſumptio: & hæc eſt duplex, perfecta ſcilicet, & imperfecta.

Perfecta dicitur arrogatio, imperfecta dicitur ſimplex in

filium adoptio: & nota, quod arrogatio, & adoptio differunt in quatuor: Primò, quod arrogatur, qui eſt ſui iuris: adoptatur, qui eſt alieni.

Secundò, quia arrogatus tranſit in poteſtatem arrogantis: adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis.

Tertiò, quia arrogatio non fit, niſi auctoritate Principis: adoptatio autem fit per quemlibet magiſtratum: & hæ tres differentias accipi poſſunt ex his, quæ dicuntur, Inſtituta de adopt. §. 1. & 3. & 4. coniunctim: & per illud, quod dicitur extra de cognatione legali, cap. vnico in glo.

Quartò differunt, quia arrogatus habet de neceſſitate legitimam in bonis arrogatoris: vnde ſiue eum emancipet, ſiue decedat, debet ei relinquere legitimam ſuam: adoptatus verò non habet legitimam in bonis adoptantis, vnde non tenetur ei aliquid relinquere: ſi tamen ab inteſtato moriatur, ſuccedit ei adoptatus.

Arrogatio eſt, quãdo filius adoptatus reducitur, vel conſtituitur in poteſtatem arrogatoris, ita vt adoptatus adoptanti ſuccedat ab inteſtato, nec poteſt eum pater adoptans priuare quarta parte hæreditatis, & ſic perfectè adoptari non poteſt, niſi ille, qui eſt ſui iuris, quia ſic perfectè adoptatus non habet amplius poteſtatem.

Adoptio autem ſimplex, vel imperfecta eſt, quando quis aſſumit in filium eum, qui eſt in poteſtate patris carnalis, eſt communis opinio.

Præterea arrogare aliquem in filium, nullus poteſt, qui non ſit ſexaginta annorum; adoptare autem poteſt, qui 18. annis major eſt adoptato. Sylu. adoptio q. 5. quæ adoptio iure gentium eſt introducta, vt qui naturalibus filijs orbati ſunt, huic defectui per aliorum adoptionem mederentur; quæ poſtea iure ciuili confirmata eſt, ff. de adopt. Et hæc legalis cognatio fuit inſtituta ab Eccleſia, quæ non ſufficeret, ſi à iure ciuili tantum ſuum vigorem haberet, per totum titulum de cognatione legali in decretalibus, & lib. 6. Quapropter dicendum eſt hanc adoptionem, qua ratione ad hæreditatis ſucceſſionem pertinet, iure ciuili conſtitutam eſſe: quà parte verò impedit matrimonium, auctoritate Eccleſiæ,

& ſummorum Pontificum decretis vim illam obtinuiſſe: S. Tho. in addit. 3. p. q. 75. ar. 2.

Nota præterea per illud verbum, extranea perſona, non excludi cõſanguineos, qui & ipſi adoptari poſſunt: ſed ideò dicitur extranea perſona, quia antea in adoptantis poteſtate non erat: omnis enim, & quicunq; adoptari poteſt, modò ſit præſens, nec ſit à legibus impeditus: Ita Sotus 4. diſt. 42. q. 2. ar. 1. Syluester, & alij: item omnis, qui non eſt prohibitus, poteſt alium adoptare, prohibetur enim primò caſtrati omninò, non aut ſpadones, qui ex defectu accidentali generare non poſſunt; ſecundò, qui non ſunt ſui iuris; tertiò, frigidi; quartò, minores 25. annorum; quintò, fœminæ, niſi ex priuilegio particulari Principis: omnis etiam ſi ſit ſacerdos, qui generare poſſit alium in filium adoptare, non autem in fratrem, vel ſororem: dummodò adoptans ſit adoptato maior 18. annis: eſt communis.

De Affinitate.

Affinitas eſt propinquitas duarum perſonarum, quarum vna cum conſanguinea alterius copulam licitam, ſiue illicitam habuit, & perfectam, quæ eſt illa, per quam ſemen viri in vas fœminæ naturale, ad generandum emittitur, & hæc ſiue ſit ex licito, ſiue ex fornicario coitu & nota, quod quamuis affines propriè dicantur cognati viri, & vxoris, dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diuerſæ ſunt, per nuptias copulantur: ſæpè tamen affines vocamus conſanguineos, vnde affinitas aliquãdo pro conſanguinitate accipitur. Quæ affinitas non contrahitur, niſi quis ſeminauerit in vas naturale fœminæ; quamuis clauſtra pudoris vix intrauerit: quapropter non ſufficit violatio virginitatis, nec quælibet alia turpitudo, neq; actus ſodomiticus ad contrahendum huiuſmodi affinitatem, communis opinio eſt, vt refert Nauarr. cap. 22. num. 43. Contrahitur hæc affinitas, ſi quis etiam per vim aliquam cognouerit mulierem, modo quo ſupra, ſicuti etiam ſi quis haberet copulam cum muliere dormiente: Couuar. 2. p. de matrim. c. 6. §. 7. n. 2.

Primum genus affinitatis eſt, quod conſiſtit in perſona illius viri, qui cum qualibet muliere copulam habuit, & ſic omnes conſanguinei talis viri ſunt affines illius mulieris ab eo cognitæ in primo genere: & è contra conſanguinei talis mulieris ſic cognitæ efficiuntur affines illius viri, qui eam ſic cognouit.

Secundum verò genus conſiſtit in perſona addita perſonæ per carnalem copulam; Vnde conſanguinei viri ſunt conſanguinei vxoris.

Gradus autem affinitatis computantur ſicut gradus conſanguinitatis: de quibus hæc ſit regula, Ego ſum affinis Antonio, in eodem gradu, in quo vxor eius eſt mihi conſanguinea: ita Nauar. & omnes.

Hæc item affinitas ex copula licita, ſeu illicita, olim impediebat matrimonium vſq; ad ſeptimum gradum; nunc tamen concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 4. de reform. matrim. reſtrinxit impedimentum affinitatis ex culpa licita, vſq; ad quartum gradum: ex illicita verò, ſeu fornicaria, ad primum, & ſecundum gradum tantum, ſtatuens in vlterioribus gradibus, matrimonium non dirimi poſtea contractum; adeo vt Concilium ita ſentiat, vt nulla affinitas ex copula illicita procedens impediat, niſi vſq; ad ſecundum gradum incluſiue; ſed in tertio, & quarto poſſe licitè matrimonium contrahi, vt Pius Quintus declarauit in motu proprio incipiente, Ad Romanum, edito anno 1566. quem refert Nauarr. c. 22. num. 43.

In ſecundo autem gradu, aut genere affinitatis, nullum eſt impedimentum: & hoc modo, duo fratres poſſunt contrahere cum duabus ſororibus: pater, & filius cum matre, & filia: & vir, mortua vxore, poterit contrahere cum relicta fratris ſuæ vxoris, & filia vxoris, ex alio marito, poterit nubere filio ſui mariti ex alia vxore nato, ſecũdum opinionem Viguerij c. 16. §. 7. verſ. 9. Couuar. num. 6. & §. 10. num. 18. Sotus, &c.

Nota igitur primum genus affinitatis eſſe in duplici differentia: nam vel eſt in linea aſcendentium, vt ſi quis matrem, & poſtea eius filiam ducat: aut ſi quis vxoris ſuæ filiam

ducat:

ducat: aut ſi quis generę ducat ſocrum, vel è contra vna nubat patri, & filio, aut nouercæ priuigno. Secundò, vel eſt in linea collaterali, cuius primus gradus eſt, vt ſi quis ſucceſſiuè duas ducat vxores, quæ ſint ſorores inter ſe, aut ſi vna duobus fratribus nubat: quibus ſuppoſitis, reſpondet Sotus in 4. diſt. 41. q. vnica, ar. 3. concluſ. 2. ſic in primò affinitatis gradu, vel ſpecie, ideſt aſcendentium, Papa non poteſt diſpenſare, quia hoc iure naturæ eſt prohibitum. Secundò, matrimonium autem cum duabus ſororibus, vel duobus fratribus ſucceſſiuè, & alijs ſecundæ ſpeciei, eſt diſpẽſabile per Papam, cum non ſit iure naturæ prohibitum. Tertiò, Papa in reliquis omnibus affinitatis gradibus poteſt diſpẽſare. Quocirca affinitas in primo genere ſupradicto duobus modis impedit matrimonium: aut propter matrimonium: aut propter fornicationem.

Per matrimoniũ, vt ſi quis cognouerit vxorem ſuam cum ſeminis emiſſione intra vas naturale, non poterit ea mortua, contrahere cum eius conſanguinea intra quartum gradum, per cap. non debet, de conſangu. & affinit.

Propter fornicationem autem, vel extra matrimonium, ſi quis cognouerit aliquam, non poterit contrahere cum eiuſdem conſanguinea in primo, & ſecundo gradu, ſed tantum in tertio, & quarto, vt dictum eſt ſupra ex concilio Trident. & à Pio Quinto.

Et affines in gradu prohibito contrahentes ante diſpenſationem peccant mortaliter, & ipſo facto incurrunt in excommunicationem maiorem, vt habes in Clem. 1. de conſangu. & affin. & hoc affirmat Nauar. cap. 22. nu. 43.

Si verò affinitas ſuperuenerit ſponſalibus de futuro, vt quando quis cognouit conſanguineam ſponſæ ſuæ de futuro, ſoluuntur ſponſalia, nec poteſt vir ille habere illam in ſponſam, quia obſtat affinitas, neque illam, quam cognouit, obſtante publica honeſtate: ita tenet S. Tho. in addit. 3. p. q. 55. ar. 9. Si autem affinitas ſuperueniat matrimonio rato, & nondum conſumato, aut matrimonio rato, & conſumato: quando quis ante cõſumationem matrimonij cognouit conſanguineam ſuæ ſponſæ de præſenti, vel vxoris, nõ poteſt petere

tere debitum ab vxore, immo nec requiſitus ab vxore poterit matrimonium conſumere: Sylu. matrim. 8. q. 15. poterit enim tunc ante conſumationem intrare religionem.

Si deniq; rato, & cõſumato matrimonio, cognouerit quis conſanguineam vxoris ſuæ, tunc remanet impeditus, ne poſſit exigere debitum ab vxore, antequam obtinuerit diſpenſationem; poterit tamen vxori petenti implicitè, vel etiam explicitè reddere debitum, etiam ante diſpenſationem: Nauar. & omnes.

Quod ſi vir ignorabat talem eſſe conſanguineam vxoris ſuæ, tunc non impeditur à petitione debiti: eſt communis opinio. Et quamuis aliqui putent, impedimentum affinitatis ab exactione debiti, procedere vſq; ad quartum gradũ; quià tamen per concilium Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. de reform. matr. aufertum impedimentum affinitatis ex fornicatione in tertio, & quarto gradu, quo ad matrimonium contrahendum, vel dirimendum: Dicendum erit ex nulla illicita copula etiam inceſtuoſa, affinitatem, quæ impediat matrimoniũ, vel eius vſum, vltra ſecundum gradum non ſe extendere, vt patet: & ita tenent magiſtri Salmantienſes, & Compluteuſes.

Circa diſpenſationem autem ſuper impedimentis matrimonij: quando affinitas ſuperuenit matrimonio, Epiſcopus poterit diſpenſare, vt liceat petere debitum; ita Nauar. cap. 22. nu. 75. In omnibus alijs impedimentis, quæ iure humano ſunt introducta, ſummus Pontifex diſpenſare poteſt: arg. cap. cuncta per mundum 9. q. 3. & cap. propoſuit de conceſſ. præben. qualia ſunt omnia prædicta impedimenta, tam dirimentia, quam non, excepto impedimento conſanguinitatis inter aſcendentes, & deſcendentes, & impedimento erroris, & iudicij, quod defectum legitimi conſenſus inducit, quem nullus hominum ſupplere poteſt, quia eſt iuris naturalis, & diuini, vt declarat Nauar. & reſoluit in cap. literas de reſtitut. ſpoliatorum. Summus Pontifex in gradibus prohibitis, niſi ob grauiſſimam cauſam, diſpenſare non ſolet; non quià non poſſit, ſed quia non expedit: Et quamuis ipſe Pontifex ſuper prædictis omnibus impedimentis diſpẽſare poſſet, ſuper matrimonio tamen legitimè cõtracto, & conſumato, non

poteſt,

poteſt, cum Chriſtus dixerit, Matth. 19. Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. Et nota, matrimonium nō dici conſummatum per copulam illud præcedētem, ſed per ſubſequentem: & ideo antequam ſequatur, talis poterit intrare in religionem: per cap. verum, de conuerſ. coniug. De matrimonio autem, quod olim præſumebatur per copulam cōſequutam ſponſalia, iure nouo concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat. per ſolam copulam, non tranſeunt ſponſalia in matrimonium.

Epiſcopi præterea in impedimentis à ſe, vel ab inferiori ſuo inductis, poſſunt diſpenſare, immò etiam in impedimento inceſtus, & in omnibus alijs impedimentis, quæ non dirimunt, exceptis votis Caſtitatis, & Religionis, in quibus etiam ipſe ſummus Pontifex non ſine magna difficultate, & cauſa diſpenſat: Et nota, quod votum de non nubendo non cenſetur votum caſtitatis, & propterea poterit in eo Epiſcopus diſpenſare: vt ſeruat hodie ſacræ Pœnitētiariæ Prætorium. Ex hoc etiam ſublatum eſt dubium, an Epiſcopi poſſint diſpenſare ſuper matrimonio clandeſtinè contrahēdo, per concilium, quod expreſsè id concedit, ſed non poſſunt diſpenſare in aliquo impedimento, impediente, & dirimente, niſi quando impedimentum eſt occultum, & matrimoniū eſt publicum, ſecundum omnes; & quando ſeparatio magno futuro eſſet ſcandalo: & præſertim, quādo propter paupertatem, aut alia legitima impedimēta, ad ſummum Pontificem confugi non poſſet, iuxta Angeli, & Syluestri ſententiam, quibus Nauar. adhæret; ſuper qua diſpenſatione videre licet, quæ dicuntur à concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. 3. 4. & 5. & apud Nauar. cap. 22. nu. 84. & deinceps per totum: ſed infra quædam ad hæc addentur.

De Impedimento Criminis.

TRia ſunt crimina impedientia, & dirimentia matrimonium, videlicet: Vnum eſt occiſio coniugis alterius, vt contrahatur cum coniuge ſuperſtite, quod fieri poteſt vno ex quatuor modis. Primò, ab altero

con-

coniugium: & tunc inter homicidium, & coniugem ſuperſtitem non poteſt contrahi matrim. per cap. 1. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium: & cap. 1. de diuor. cap. ſi quis viuente 31. q. 1. Secundò, poterit fieri homicidium mixtum adulterio: ideſt, quando quis contrahit matrimonium cum ea, cuius coniugem occidit, vt eam ſibi accipiat in vxorem: cap. ſuper hoc, de eo, qui duxit in matrim. Nec obſtat text. in cap. laudabilem, de conuerſ. infid. vbi ad creandum impedimentum matrimonij, ſufficit machinatio mulieris in mortem viri ſui abſq; adulterio, cum interfectione viri ſui.

Nam reſpondetur, quod quandoq; in morte coniugis interfecti mulier machinans, & volens cum ea contrahere, ſunt culpabiles, tunc enim ſola machinatio in mortem coniugis ſufficit cum interfectione coniugis ſine adulterio: Hoſtien. in cap. laudabilem, per tex. in cap. interfectores 33. q. 2. Quandoq; verò alter tantum eſt culpabilis: vel quia vxor eſt machinata, & alter caſu interfecit, non communicato dolo cum illa: & tunc cum homicidio requiritur adulterium, cap. fin. de eo, qui duxit, &c. ita Ioan. Andr. concordat opiniones, vt refert Dom. Anton. de Butr. in d. cap. laudabilem.

Tertiò, poteſt eſſe adulterium mixtum contractu ſecundi matrimonij: ideſt, quando quis ſcienter adulteratur cũ coniuge alterius, & ſtante adhuc primo matrimonio contrahit cum ea.

Quartò, poterit eſſe adulterium cum fide data ducendi adulterum poſt mortem mariti; etiam ſi matrimoniũ ſit tantum ratum, & non conſumatum, & etiam ſi ſit matrimonium ſolutum quo ad thorum, & non quo ad cohabitationem, per cap. relatum, cum ſeq. 31. q. 1. Duo igitur requiruntur ad dirimendum tale matrimonium; fides data, & copula; ita vt poſt datam fidem illam cognouerit, alias ſola datio fidei de contrahendo cum ſecunda non creat impedimentum matrimonij, ſed ita demum ſi ſequatur copula: cap. fin. de eo, qui duxit in matrim. &c. Et ratio, quare datio fidei de cõtrahendo matrim. ſit prohibita ſub peccato, eſt, quia inducit deſideriũ de morte alterius, quod eſt damnatum: de conc. præb. c. 2. ff. de pact. l. fin.

Al-

Alterum crimen eſt, adulterium ſcienter, & ſpontè commiſſum cum alterius coniuge: & de facto contrahere matrimonium ante mortem alterius coniugis. Triplici igitur de cauſa, adulter, qui in mortem viri adulteræ machinatus eſt, non poteſt eam ſibi ſumere in vxorem: & ſi de facto duxerit, ſunt ſeparandi. Prima, ratione enormitatis patrati criminis. Secunda, quia adulter peccauit in matrimonium, occidēs legitimum virum alterius. Tertia, ne adulteri propter inhoneſtum amorem adulterarum proni fiant ad necandos aliorū viros, vt eas habeant in vxores: ſi tamen quis alia de cauſa, & alia intētione occiderit, non vt habeat eam in vxorem, & poſtea contrahit cum ea, non eſt dirimendum tale matrimonium: extra de conuerſ. infidel. cap. laudabilem, de eo, qui duxit in matrim. &c. ſuper eo in gloſ.

Tertium eſt, quando vxoratus de facto contrahit cū adultera: per cap. propoſuit; & communis. Dico igitur tria eſſe crimina, quæ impediunt, & dirimunt matrimonium, ſcilicet: Adulterium cum machinatione in mortem alterius cōiugis, quæ facta, vtroq; machinante perpetuò impediuntur, etiam ſi alter eſſet infidelis, & ad eius conuerſionem procurandam patrata fuiſſet: per cap. laudabilem: quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona.

Secundum eſt adulterium, cum fide data de ducenda adultera, mortua coniuge.

Tertium dictum eſt ſupra: vbi notandum eſt, adulterium tantum ſine fide data, aut matrimonio contracto non impedire, quo minus poſtea mortua coniuge poſſint contrahere, per cap. ſignificaſti, de eo, qui duxit, &c.

Præterea inter ſcientes, & ignorantes impedimenta matrimonij: vt matrimonium ab ipſis contractum valeat, requiritur nouus, & liber conſenſus ignorantis, poſt explicationem impedimenti, ſaltem in genere, quamuis in ſpecie non explicetur: Nauar. cap. 22. nu. 47.

Item ſi vir aliquis, & vxor alterius viri ſimul, maritum alterius occidant, perpetuò impediuntur, ne ſimul contrahere poſſint; quamuis non commiſerint adulterium: per cap. laudabilem, de conuerſ. infid. & S. Tho. 4. diſt. 35. & 32. q. 2. ar. 2. & Nauar. c. 22. nu. 46.

Item ſi quis vir cognouerit adulteram, & ipſe poſtea eius maritum occidat, inſcia vxore eius, vt illam ducat, erũt impediti: per cap. de eo, qui duxit, iuxta communem ſentẽtiam, & Nauar. loco citato: & idem erit ſi iuſſerit, aut conſiliũ dederit, per gloſ. recept. in cap. ſi quis viuente 32. q. 1.

Item ſi copula præcedit fidem, dirimitur matrim. vt ſi quis habet copulam cum aliqua, & poſtea dat ei fidem, ducendi illam: ita Dom. Anton. de Butrio in cap. laudabilem nu. 3. de conuerſ. infid. & fides ſimplex, hoc eſt ſine iuramento, ſufficit ad dirimendum: 22. q. 1.

Item ſi poſt fidem datam cohabitat cum ea, etiam nudus cum nuda, non tamen eam cognouit; nõ impeditur matrim.

Item ſi vir dicat ſe non habuiſſe animum, ſeu intentionem contrahendi cum illa, cui fidem dedit, eſt nihilominus cogendus, vt eam ducat, quia lex ponderat factum: ſic Anton. de Butrio in cap. ſignificaſti, de eo, qui duxit in matrimon. quam polluit per adulterium.

Item ſi poſt contractum matrim. coniuges dicerent copulam, & matrimonium, & fidei dationem præceſſiſſe ad diſſoluendum ſecundum matrim. non eſt illis credendum in foro fori, ſed in foro animæ: & tunc etiam quantumcunq; Eccleſia hoc præcipiat, non debent commiſceri: per cap. Inquiſitioni, de ſent. excom. Anton. de Butrio in cap. 1. num. 8. de eo, qui cognouit, &c.

Si verò inter ipſos coniuges ſit bona fides, ideſt, ſi credunt ſuum matrimonium ſic contractum eſſe validum; & ego ſcio propter fidem datam inter ipſos cum copula, matrimonium tale eſſe nullum: teneor ſaltem ex lege charitatis illos admonere, matrimonium inter illos non valere: modo iſta admonitio, vel reuelatio fieri poſſit abſq; periculo vitæ meæ, & meorum, quia tunc, ſi obuiare poſſunt, & non obuio, facio contra dilectionem proximi, & pecco mortaliter: Sylueſt. in verbo homicidiũ 1. q. 10. verſ. 2. Immò ſi non impedio peccatum mortale proximi mei, puta adulterium, aut aliud, etiam cum maximo damno meo pecuniario, honorario, ideſt laudis, honoris, famæ, gloriæ, reuerẽtiæ, ſine periculi etiam meæ vitæ, mortaliter pecco: per arg. tex. in cap. non inferenda

da 33. q. 3. & hoc maximè, quando ſcio illos ob ignorãtiam, ſeu per fragilitatem peccaturos, niſi operam tulero: quod locum habet, quando tria concurrunt, videlicet certitudo, quod illud ſit peccatum mortale: Secundò, quod ſit ſpes effectus impeditionis talis criminis: Tertiò, quod ſit opportunitas tam temporis, quàm perſonæ: quod tamen fallit, quando ſcio illos non ex ignorantia, vel fragilitate eſſe peccaturos, ſed ex malitia: ſi cum ea concurrat meum incommodum ſpirituale, vel temporale; quia ſi vnum aliquod ex his tribus defuerit, aut ſi duo poſtrema interueniant, non teneor ſub peccato mortali eorum peccatum impedire: Nauar. cap. 24. num. 23.

Si vir, qui maritum alterius occiderit, vt eius vxorem ducat; aut è conuerſo, ſi mulier vxorem ſui concubinarij, aut adulteri occidat, vt cum illo contrahat: ſi illam ante non cognouerit, non impediuntur hoc impedimento.

Si tamen non verè vxor, ſed pro tali habebatur, & putabatur, quando commiſit adulterium, non impeditur: cap. ſignificaſti, de eo, qui duxit in matrim. &c.

Impedit tamen ſi ſit verum, quamuis non conſumatum, cap. ſignificaſti, & cap. ex literis.

Si vterq; probabiliter ignorat, poſſunt contrahere ſimul, atq; ſi mortuus fuerit, qui impediebat: & alter tantum ignorat, in eius arbitrio eſt, ſublato impedimento, matrimonium denuo contrahere, vel non.

Si quis de facto contrahit cum nupta alterius, vel ei dat fidem ſine adulterio, non impeditur.

Maritus occidens vxorem in actu adulterij deprehenſam, non impeditur quin poſſit aliam ducere, licet ex ſtatuto Eccleſiæ, aliquando occidens vxorem, impediatur: Ioan. Vigu. cap. 16. §. 7. verſ. 10. quod tamen non licet in foro cõſcientiæ, neq; etiam ſecundum leges, & ſi non priuãt propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto; Eccleſia tamen, quæ legibus humanis non aſtringitur, prohibet illi, ne amplius in matrimonio copuletur: ſed ſi timet de in incõtinentia, poterit per Iudicem eccleſiaſticum diſpenſari, vt contrahat matrimonium; & ſi contrahit ſine diſpenſatione,

peccat, ſed matrimonium contractum non diſſoluitur: Vigu. loco citato.

Vxor item prouocans mariti ſui necem per infidelem, cum quo adulterata eſt, qui poſt hoc per eius ſtudium ad fidem conuertatur: non poteſt cum illo contrahere matrimonium; & ſi de facto contrahit, eſt dirimendum; quia tali damno, tale lucrum, Eccleſia non vult compenſare: extr. de conuerſ. infid. cap. laudabilem: Ricardus 4. diſt. 36. q. 3.

Tria igitur crimina impedientia, & dirimentia matrim.

Primum eſt adulterium, cum homicidio actualiter machinato, vt S. Tho. tenet.

Secundum eſt, quando viuente coniuge, de facto contrahit cum altera: & item.

Tertium, quando & ſi non contrahit, dat tamen fidem de contrahendo, vel iuramento affirmat ſe illam ducturum: extra de eo, qui duxit in matrim. &c. cap. fin. & 31. diſt. q. 1. cap. relatum.

Et notandum, quod ad hoc, quod hæc duo vltima diri- mant matrim. requiritur primò, quod vterq; ſciat impedimentum, ſecundum S. Tho. quia ſi alter ignorat, alterum habere coniugem poterit poſt mortem coniugis eſſe matrimonium: alias ſi de hoc certior facta coeat, dirimitur matrim.

Secundò requiritur, quod interuenerit contractus per verba de præſenti: vel ſit data fides, vel iuramentum de contrahendo.

Tertiò requiritur, quod in vtroque crimine interuenerit carnalis copula, ideſt ante, vel poſt contractum, vel fidem datam.

Quartò requiritur, quod primum matrim. fuerit validum, ſeu ratum, ideſt per verba de præſenti contractum, licet non conſumatum, etiam ſi quo ad thorum eſſet ſeparatum: Sylu. matrim. 8. per totum.

De Diſparitate cultus.

HAec diſparitas non eſt intelligenda, de diſparitate cultus, & rituum infidelium, quia infideles vnius cultus poſ-

poſſunt contrahere cum infidelibus alterius cultus; cum inter eos matrimonium non ſit ſacramentum, ſed officium naturæ, & quidam contractus naturalis, & remedium concupiſcentiæ ſolum, quia per ianuam ſacramentorum nondum intrauerunt, quæ eſt Baptiſmus: ſed per diſparitatem cultus, intelligẽda eſt diuerſitas cultus fidelium; ita vt ſi aliter contrahentium, tempore cõtractus matrimonij, ſit Chriſtianus, & alius ſit infidelis, Iudæus, vel Gentilis, matrimonium inter illos contractum iure diuino eſt nullum: Ratio huius impedimenti præcipua eſt; quia talis diſparitas eſt contra principalius bonum matrimonij, quæ eſt proles ad cultum veri Dei educanda, & cum iſta educatio fieri debeat per patrem, & matrem, ſi ſint diſparis cultus, & fidei, vterq; ſecundum fidem ſuam prolem educare contendet: ideo ſi diuerſæ ſint fidei, intentio vnius erit contraria intentioni alterius: & ſic non erit inter eos conueniens matrimonium: idcircò diſparitas cultus, præcedens matrimoniũ, impedit ipſum, ne contrahi poſſit à fidelibus: quæ prohibitio eſt cum omnibus infidelibus cuiuſcunq; generis: qui tamen ſi conuertantur ad fidem Catholicam, poterunt in vtraq; lege fideles cum illis ſociari coniugo: Ratio autẽ, quare non tenet matrimonium inter fidelem, & infidelem, qui non eſt baptizatus, eſt, quia iura reddunt fidelem eſſe perſonam illegitimam ad contrahendum cum infidelibus: vnde dicitur 28. q. 1. ſic enim: quod nonniſi eiuſdem religionis, & fidei maneant copulata coniugia; non enim decet Chriſtianum cõtrahere matrimonium cum ea, in qua non eſt ratio ſacramenti; quoniam qui ſacramentum Baptiſmi non ſuſcepit, nullum aliud ſacramentum ſuſcipere poteſt. nota

Quare non tenet ſacramẽtum matrimonij contractum inter baptizatum, & non baptizatum, etiam ſi ſit cathecumenus, & omnes articulos fidei credat, & vellet baptizari; quia non ſufficit, niſi ambo ſint baptizati: Ratio autem, quare potius poſſit Catholicus contrahere cũ hæretica, quam cum infideli, eſt, quia hæretica eſt baptizata, infidelis autem nequaquam; licet peccet ſcienter contrahendo cum illa, ſicut peccaret, ſi cum excommunicato ſcienter contraheret, non

ta-

tamen propter hoc matrim. dirimeretur: Nauar. cap. 22. nu. 49. vbi etiam notandum eſt, ſi huiuſmodi impedimētum ſuperuenerit matrimonio ritè inter fideles contracto, & conſumato, non diſſoluet matrimonium, licet poſſit, & ſoleat diſſoluere, quo ad cohabitationem, & thorum: vt quando vir, aut mulier ſit apoſtata, aut hæreticus, cum regula generalis ſit; nihil ſuperueniens matrimonio ritè inter fideles contracto, poteſt diſſoluere vinculum coniugale, licet ſeparet coniuges quo ad thorum, & cohabitationem: vnde hoc impedimentum non dicitur diſparitas fidei, ſed cultus, quia reſpicit exterius ſeruitium, & profeſſionem, quæ fit per ſacramētum Baptiſmi. Si verò ambo coniuges in infidelitate exiſtentes contraxerunt matrimonium, altero illorum poſtea in infidelitate remanente, altero fidem, & baptiſmum ſuſcipiente; fides illius, qui conuertitur, non diſſoluit matrimonium, ſed perficit, etiam ſi alius nolit conuerti, dummodo conſentiat habitare cum eo ſine contumelia Creatoris: ex quo habetur, quod conuerſus non tenētur habitare cum infideli volente conuerti: etiam ſi infidelis velit cohabitare abſq; contumelia Creatoris, donec conuertatur, & baptizetur. Super hoc impedimento, cum ſit de iure canon. poteſt ſummus Pontifex in eo diſpenſare; eſt communis opinio.

De Vi, ſeu Violentia, & Metu.

Metus (de quo hic loquimur) eſt præſentis, vel futuri periculi cauſa, mentis trepidatio, quia imaginatione futuri, & propè imminentis mali, turbatur mens humana: qui duplex eſt; Leuis, quo timetur leue malum, ſiue etiam graue, ſed ex leui cauſa; & hic metus cadit in virum leuem, ſeu inconſtātem, qui timet, vbi, & quando non eſt timendum: Alius metus dicitur metus iuſtus, quo timetur graue malum, & grauiter ex cauſa probabili: Qui dicitur metus, cadens in virum conſtantem: Graue malum illud dicitur, vbi timetur mors, vel mortis periculum, aut verborum, ſeruitutis, vinculorum, dehoneſtationis propriæ perſonæ, vxoris, aut filiorum, & amiſſio maioris bono-

rum

rum temporalium, & præſertim cum pauca habeat bona: vt dicit Panorm. in cap. Abbas, de his, quæ vi, metuſuè cauſa fuit; & generaliter graue malum dicitur maius reſpectu minoris: Qui metus dicitur, tunc cadere in aliquem, cum ille metu cogitur ad aliquid faciendum; Nota tamen differentiam eſſe inter ea, quæ fiunt per vim, ſeu quæ ſunt violenta, & ea, quæ fiunt per metum; quia quæ fiunt per violentiam, ſunt omninò inuoluntaria, cum voluntas non concurrat, ideò violentia tollit omninò peccatum: In his autem, quæ fiunt per metum, non tollitur omninò peccatum, cum non tollat totaliter voluntariũ, quamuis metus excuſet, & minuat peccatum, in quantum minuit voluntarium; metus enim eſt vis, ſeu violentia conditionata. Conſtans igitur ab inconſtanti diſtinguitur, quo ad duo: Primò, quantum ad qualitatem periculi, quod timetur, quia Conſtans rectam ſequitur rationem, per quam ſcit quid, pro quo ſit dimittendum, aut faciendum: ſemper enim minus malum eſt ſuſtinendum, aut maius bonum eligendum; ideò Conſtans ad minus malum ſuſtinendum cogitur metu maioris; & non cogitur ad maius malum, vt vitet minus malum; Inconſtans verò cogitur ad maius malum metu minoris mali, puta ad malum culpæ, ſcilicet ad peccatum metu mali pœnæ. Secundò, differũt quantum ad extimationem periculi imminentis: quoniam Conſtans non niſi ex forti, atq; probabili æſtimatione compellitur: Inconſtans verò ex leui: fugit enim nemine perſequente: hinc conſtans intrepidus eſt, non quod penitus non timeat, quia eſſet audax: ſed quia non timet, quæ timẽda non ſunt, vel timet vbi, quando, & quomodo eſt timendum. Matrimonium igitur metu iuſto, vel vi contractum, nullum eſt, non ſolum eius, qui fugit propter metum cõſentire, ſed eius etiam, qui verè conſentit: S. Tho. & communis opinio diſt. 29. cap. cum locum: & in cap. Abbas, de his, quæ vi, metuſuè cauſa fiunt: vbi notãdum, ſi pars coacta poſtea liberè conſentiat, ſaltem tacitè, altera in ſua voluntate perſeuerante, firmatur matrimonium, inimo viam ad id cogi poteſt volente parte coacta: per cap. ad id: & ſi ſpontè habeat copulam, videtur tacitè conſentire, ſaltem quo ad forum exterius, non

Digitized by Google

tamen quo ad forum Eccleſiæ interius, niſi verè conſentiat per arg. cap. tua, de ſponſal.

Metus igitur cadens in virum conſtantem, iuxta mentem Nauarri, & aliorum eſt, quando quis cogitur eligere minus malum, ob maius malum ſibi imminens euitandum: Nauar. cap. 22. num. 51.

Vir conſtans his dicitur, qui prudens ſcit eligere minus malum, ob maius vitandum; vnde ſi quis videat ſibi mortem imminere, aut membri alicuius mutilationem, aut malũ aliquod ex ijs, quæ dicta ſunt, niſi cum Berta contraxerit, prudenter potius elegit contrahere matrimonium, quam mortem, vel quid ſimile ſubire: Si autem vir aliquis diues videat ſibi imminere periculum perdendi centum aureos, niſi cum tali Berta contraxerit, & ob id contrahit, iſte metus non cenſetur cadens in conſtantem virum, nec prudentem: S. Thom. 4. diſt. 29. ar. 2.

Dicendum eſt itaque, matrimonium violẽtia præciſa contractum, ſed etiam conſumatum, eſſe omninò nullum: per cap. veniens: cap. cum locum deſpenſ. vbi enim eſt vis, non eſt conſenſus, Armilla, S. Tho. vbi ſupra ar. 2. Sed matrimonium metu leui, puta minis contractum tenet; & quia minor timor requiritur in muliere, quam in viro, propterea relinquitur iudicandum arbitrio Iudicis, qualis fuerit metus: Nauar. cap. 22. nu. 51. & eſt communis. Cur autem coactus conſenſus tollat matrimonium; ratio eſt, quia vinculum matrimonij eſt inſeparabile, & perpetuum, idcircò, quod perpetuitati repugnat, impedit matrimonium, metus verò iuſtus tollit perpetuitatem contractus, quoniam peti poteſt reſtitutio in integrum; Inſuper cum in matrimonio exigatur vtriuſq; conſenſus, non poteſt matrimonium eſſe ex parte vnius, & non ex parte alterius, quia matrimonium claudicare non poteſt; & quia ſunt quidam actus, in quibus requiritur liber conſenſus, qui inficiuntur ex metu cadente in conſtantem virum, vt d. cap. ſignificauit: Quidam verò ſunt actus regulati à ſolo conſenſu, nec à iure exiguntur, cum hac qualitate libertatis, qui non inficiuntur metu, non enim ex eo, quod coacta voluntas eſt, ſed quia non eſt libera voluntas,

tas, vt patet 19. q. 3. per latum, de ſponſal. cap. cum locum. Conualeſceret tamen matrimonium per vim contractum, ſi ſequeretur cohabitatio ſpontanea, per cap. ad id, de ſponſal. quoniam iura volunt, quod in contractu matrimonij ſit plenum, voluntarium, ſiue omninò liber conſenſus, vt habetur ex cap. cum ſecundum, & in cap. veniens in 2. de ſponſal. ſic matrimonium contractũ ex metu iuſto eſt ipſo iure nullum. Et propterea nec pater poteſt cogere filium, aut filiam ad contrahendum matrimonium; quia cum filius, ſeu filia ſint liberæ conditionis, & in matrimonio ſit quaſi ſeruitus, non poteſt eos pater cogere ad matrimonium, ſed benè poteſt eis perſuadere pro poſſe ex cauſa rationabili, quæ ſi cogit de neceſſitate, vel honeſtate, ita cogit præceptum patris. Nec obſtat, quod Apoſtolus dicit, Filij obedite parentibus per omnia, ad Coloſſ. cap. 3. quia hoc intelligendum eſt de omnibus, in quibus filij non ſunt liberi ſui, ſed patris auctoritati ſubiecti, videlicet in pertinentibus ad regimen domus, & curam rei familiaris: ſicuti ſummus Pontifex poteſt cogere aliquem ad Epiſcopatum pro regimine ſanctæ Eccleſiæ; ita tenet Antiſiodorenſis, Ricardus, Bonauentura, & alij. Mulier, quæ cõtrahit matrimonium imperio, vel precibus Principis, non habet iuſtum metum, vt dicit gloſ. in cap. ſi qui clerici, vel vouentes, quod eſt intelligendum, niſi Princeps conſueuerit tirannicè iubere; nam eſt orare ducum ſpecies violenta iubendi. Ita etiam non valet matrimonium in captiuitate facta ab hoſtibus, aliter quam matrimonium ſeruorum; quia captus ab hoſtibus ſeruus factus eſt.

De Impedimento Ordinis.

CVm ordinum alij ſint minores, alij maiores: alij ſacri, alij non ſacri: propterea, qui minoribus, & non ſacris ordinibus eſt initiatus, poteſt contrahere matrimonium: ſed beneficijs eccleſiaſticis priuatur, per cap. 1. de clericis coniugatis; & eſt communis opinio. Qui verò aliquo ex ſacris ordinibus eſt inſignitus, ſiue ſit Latinus, ſiue Græcus, non poteſt contrahere matrimonium: & ſi de

facto contrahit, peccat mortaliter peccato ſacrilegij, & matrimonium eſt nullum, & ipſo facto eſt excommunicatus, niſi metu, aut vi ordines iſtos ſuſcepiſſet; quia votum ſolemne caſtitatis eſt illis annexum: & quia ſic ſtatuit Eccleſia: quamuis ad continentiam ſe obligare non intendat ille, qui ſuſcipit ordines: modo habeat vſum liberi arbitrij: Clem. 1. de conſanguinit. & affinit. Eccleſia enim ſtatuit, vt qui ſuſcipit ordines ſacros, vel vnum tantum, vel plures, ſit inhabilis ad contrahendum matrimonium; & ſic contrahens ſit irregularis: cap. clerici, vel vouentes, & puniuntur alijs pœnis, per Diaz in practica crimin. cap. 74. Vnde, qui voluntariè, & ſua ſpontè ordinatur, voluntariè etiam hanc inhabilitatem incurrit: Quæ caſtitas, ſecundum Io. Viguerium cap. 16. §. 7. verſ. 7. Maiorem, & Clitoueum, ex diuina inſtitutione ordini ſacro eſt annexa: ſecundum aliquos verò ex inſtitutione Pontificia, vt S. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 11. Sotus lib. 7. de iuſt. & iur. q. 6. concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 9. & alij, quos refert Syluelt. matrim. 8. q. 12. Rationabile enim eſt, & conueniens, vt illis ordinibus, qui ſunt ſacri, ſit continentia annexa: quia cum ordinati in ſacris ſint tractaturi ſacra vaſa, & ſacramenta, requiritur ex parte corporis puritas actionis, & à parte animæ libertas contemplationis: carnalis autem concubitus corpus maculat, & impedit contemplationem: Ricar. 4. ſent. diſt. 37. q. 1.

Qui ordines ſi præcedunt matrimonium, illud dirimunt: ſi verò præcedit matrimonium, non dirimitur, neq; ſoluitur.

Quocirca, qui coniugatus ſuſcipiens ordinem ſacrum, vel poſt ſuſceptum petit debitum ab vxore, peccat mortaliter; & ſi conſcia vxor reddit debitum, peccat, niſi coniux ſit ſenex, & voueat caſtitatem, vel religionem ingrediatur: quia tunc ſi ordinatur cum conſenſu vxoris, non peccat: Nauarr. cap. 22. nu. 52. & per capu. Agatoſa 27. q. 2. S. Tho. in 4. diſt. 37. art. 2. Clerici poſt ſacrum ordinem matrimonium cõtrahentes, ipſo iure in ſuſpenſionem incurrunt: cap. 1. & 2. qui clerici. Item in excommunicationem incidunt: Clem. 1. de conſangui. & affinit. Item beneficium amittunt ipſo facto, quamuis matrimonium nullius ſit momenti: ita Ioan. Andr. An-

chir. Abbas, candin. oportet enim omni prorſus caſtitate ſacerdotem ornatum eſſe, ait D. Chriſoſt. homil. 2. & quamuis Subdiaconi, & Diaconi, & Presbyteri inter Græcos non ſe perpetuò abſtineant ab vxoribus, nunc tamen Epiſcopi non creantur, niſi qui matrimonio ſunt ſoluti, & qui perpetuam continentiam ſeruant; fuit etiam in Eccleſia Orientis varius circa hoc modus, & mos adeo, vt quidam ſacerdotes perpetuò ſeruarent caſtitatem, alibi quidam non, qui tamen vxorati tolerantur. At in Latinorum Eccleſia in ſuſceptione ordinis ſacri, perpetua continetur continentia ab vxoribus, quem morem non eſſe iuris diuini, ſed apoſtolici, tradunt DD. & apud Græcos per aliquot tempora ritè ſeruatum ab aliquibus caſtis, licet poſtea ſit prætermiſſus.

De Impedimento ligaminis, vel ſecundarum Nuptiarum.

Ligamen eſt vinculum primi matrimonij validi; quo quis alteri coniugi eſt ligatus, nullus enim poteſt contrahere cum ſecunda, viuente prima, etiam nondum cognita, etiam clandeſtinè deſponſata; ita tamen, quod matrimonium valuiſſet, & etiam ſi iam prima alteri nupſerit, & filios ex ea ſuſceperit: quod frequenter ante Concilium contingebat; & peccat, nec poteſt abſolui, ſaltem ſine firmo propoſito non cognoſcendi ſecundam: nec vlla regionis abſentia, nec temporis longinquitas in hoc prodeſt, niſi denuo contrahat cum ſecunda poſt habitā de morte illius notitiam; ad quam habendam ſufficeret fama, ſi in regionem longinquam profectus eſſet: aut ſi erat ſenex: aut ſi prælium ingreſſus non vltra apparuit, de qua re literas accepit ab his, qui ſecum eidem interfuerunt, iuxta gloſ. receptam in cap. quoniam frequenter, vt lite non conteſt. quoniam ſi fama exorta ex horum aliquo ad eum perueniſſet, nequit Nauarrus, poſſet denuo contrahere cum ſecunda, & ſi e peccato cum ea copulam habere; & filij ex ea ignorante primum matrimonium ſuſcepti, eſſent legitimi, per cap. ex te-

nore, iuncta gloſ. communiter recepta; qui filij ſint legitimi. Quare pro notitia mortis primi coniugis ſufficiunt ea, quæ dicta ſunt; quæ verò probabiliter credit virum ſuũ eſſe mortuum, & poſtea per nuncium audit illum viuere; ſi credit, vel debet credere illum eſſe viuum, non poteſt reddere, nec petere debitum coniugale, nec debet abſolui ſi contrahit cum alio: vnde ſi rationes dubitãdi ſunt adeo graues, vt neutram partem credere debeat, iudicio prudentis tunc nec petere, nec reddere poteſt; ſi adeo leues, & vtramq; partem credere poſſit, poterit reddere, & petere ſub mota dubitatione: ſi verò mediocres, vt ad iudicium tertij non ſit credendum, ſed ad ſuum ſic, poterit reddere, & non petere: Nauarr. cap. 22. num. 53. & 54.

Peccat item ille, vel illa, qui, vel quæ credit ſuam vxorem, vel ſuum virum viuere, cum re vera mortuus, vel mortua ſit, contrahit matrimonium cum alia, vel cum alio. Item non valet matrimonium, ſi dum contrahit credit illud non valere, quia non dat legitimum conſenſum in matrimonium; quod tamen ſecus eſſet, ſi crederet illud valere, quamuis credat mortaliter peccare ſic contrahendo: vt docet Syluester matrim. 8. q. 13. §. 5.

De Iuſtitia publicæ honeſtatis.

PVblica honeſtas, ſiue publicæ honeſtatis iuſtitia, eſt propinquitas quędam ex ſponſalibus orta, robur habens ex Eccleſiæ inſtitutione, propter honeſtatem inter conſanguineos ſeruandam introducta: propter quam nullus conſanguineorum vir, vſq; ad quartũ gradum mulieri deſponſatæ matrimonio copulari poteſt; nec etiam vir conſanguineæ vxoris ſuæ: vt habetur in cap. ad audientiam, & cap. ſponſam, de ſponſal. vbi notandũ eſt, vt ſponſalia inducant hoc impedimentum publicæ honeſtatis, multa requiruntur.

Primum, vt cõtrahentes ſponſalia, ſiue ij, pro quibus contrahuntur, compleuerint ætatem debitam ſeptem annorum, quia ſic habetur in textu in d. cap. ex ſponſalibus; vbi enim

requiritur ætas certa, reſpectu diſcretionis præueniri non poteſt: ſi tamen parentes pro filijs cōtraxerint, requiritur conſenſus filiorum, expreſſus, vel tacitus, vt ſi præſentes non contradixerunt, vel abſentes poſtquam id nouerint ratificauerunt, expreſsè, vel tacitè alias non inde oritur honeſtas publica, nec obligantur filij: de ſponſ. impub. c. ſi infantes lib. 6.

Item ſi maior ſeptennio contrahit cum minore, non inde oritur honeſtas publica, ſecundùm Panorm. & multò minus ſi vterq; eſt minor ſeptennio: Nota tamen, quod ſponſalia contrahi poſſunt vtroq; contrahentium exiſtente in fine primi ſeptennij, vel poſt, vel parum ante.

In omnibus tamen prædictis caſibus oritur publica honeſtas, ſi facti maiores ſeptennio, verbo, vel facto eorum liquido appareat, quod perſiſtant in eodem propoſito, & voluntate, puta, quia vocant ſe ſponſos, vel cohabitant, aut ſimul iacent, vel ſe vt ſponſi deoſculantur, &c. quia ex his ſponſalia conualeſcunt: addit Panorm. in cap. iuuenis, quod ſi minor ſeptennio cohabitauit cum ſponſa minori de futuro, & eam tentauerit, vel interuenerit pollutio, ex æquitate oritur publica honeſtas, ſed tamen nullo iure probatur.

Secundum requiritur, quod ſponſalia non ſint facta ſub conditione ſuſpendente, vel inhoneſta.

Tertium, quod ſint certa, quia in perſonam incertam non fertur conſenſus, nec oritur hoc impedimentum.

Quartum, quod non deficiat apparenter conſenſus.

Quintum, quod non ſint contracta poſt matrimonium, vel ſponſalia, quia ſponſalia ſecunda facta cum conſanguinea prima ſponſæ, non dirimunt priora, niſi priora ſint cōditionata, & adhuc pendeat conditio ipſa; ſecunda verò ſint abſoluta: arg. text. ibi in verbo purè, & gloſ. quæ pro ratione adducit, quod ſequentia non ſoluunt priora, quia ex prioribus orta erat publica honeſtas, quæ non oritur in conditionalibus ante conditionis euentum: ita tenet Arch. & gloſ. in d. cap. ex ſponſalibus.

Sed vt materia hæc de ſponſalibus melius intelligatur, prius videndum eſt, quid ſint: à quibus contrahi poſſunt: quam obligationem inducunt, & multa alia, vt patebit.

Sponſalia igitur ſic dicta à verbo ſpondeo, ſunt futurarum nuptiarum promiſſio, quæ promiſſio debet eſſe mutua, quia ſponſalia non poſſunt contrahi ex vna parte tantũ, nec claudicare debent; vnde ſi vir accepta manu mulieris dicat, Do tibi fidem de te in vxorem ducenda; & mulier nullo modo acceptare oſtendat, re vera non ſunt ſponſalia: ille tamen tenetur eam ducere, ſi illa in continenti voluerit, & non aliter: arg. l. continuus, de verb. oblig.

Sponſalia aliquando ſunt facta nuda promiſſione, & ſi vir dicat, Accipiam te, vt ducam te in vxorem, & illa reſpõdeat, Et ego accipiam te in virum; aliquando additur iuramẽtum: aliquando dantur arrhæ: aliquando apponuntur pœnæ.

Sponſalia ſunt quædam ſacramentalia matrimonij, ſicutĩ exorciſmus Baptiſmi. Nomine ſpõſalium propriè venit, non ſolũ promiſſio per verba de futuro, ſed etiam matrimonium per verba de præſenti contractum ante pubertatem. Quicunque poteſt contrahere matrimonium, poterit etiam contrahere ſponſalia, ſecundum canones, non autem ſecundum leges. Sponſalia contrahi poſſunt per nuncium, & per literas, niſi reuocentur antequam puella conſentiat. Qui contraxerunt ſponſalia, obligantur ad matrimonium contrahẽdum, quando ſponſalia tenuerunt, vt quia in ætatem debitam fuerunt contracta: & peccat mortaliter non ſoluens promiſſum, niſi ei legitimum impedimentum ſuperueniat; nec poteſt aliter eorum contrahere cum alia perſona; ſi tamen contraxerit per verba de præſenti, tenet quidem ſecundum, ſed debet pœnitere de fide non ſeruata, & multò magis ſi interuenerit iuramentum; quæ ſponſalia contrahuntur vel abſolutè, vel cum conditione; abſolutè multis modis: & primò per verba de præſenti, quando ambo ſunt impuberes, vel eorum alter, quia iuris interpretatione ſunt hic ſponſalia de futuro. Secundò, per verba de futuro ad hoc apta; vt promitto, vel iuro, quod te accipiam in vxorem: adde ſi dat fidem. Tertiò, per annuli immiſſionem, ſeu ſubarrhationem. Quartò, dandò arrhas, puta iocalia, aut pecunias: duo tamen vltimi modi, ſecundum Panorm. potius dici poſſunt matrimonium, quam ſponſalia: vt in cap. fœminæ 30. q. 5. Et nota, ſi præceſ-

ceſſerunt verba apta ad contrahendum matrimonium, faciunt matrimonium, & non ſponſalia: ſi verò nulla præceſſerunt verba, tunc iudicandum erit iuxta conſuetudinem loci: quæ ſi nulla ſit, nihil probabunt: ſi autem vnius tantũ verba præceſſerunt cum annuli immiſſione, & arrharum acceptatione, denotant conſenſum alterius expreſſum, & ſic erũt ſponſalia, vel etiam matrimonium, vt notat gloſ. in cap. pen. de ſponſal. In dubio autem, in ſubarrhatione per immiſſionem annuli, præſumendum eſt matrimonium, quia res eſt fauorabilis.

Cum ſponſalia ſub conditione honeſta contrahuntur valent, ſi ſub inhoneſta non. Si quis promittat pluribus puellis, vnam ex illis accepturum in vxorem, nõ contrahit ſponſalia: Si pater iurauit alicui ſe daturum illi vnam ex filiabus ſuis, non contrahit ſponſalia: Pater tamen tenetur vnam dare illi, cui iurauit ſi vna illarum voluerit: & ſi omnes præter vnam moriantur, tenetur dare illi eam; ſi verò vnam obtulit, & ille non acceptauit, eſt abſolutus à iuramento, & promiſſione. Quod ſi vnam ex illis carnaliter cognouerit, nullam aliam ex illis poterit habere, propter contractam affinitatem.

Si quis alicui promiſerit, quod eam deſponſabit de futuro, non ſunt ſponſalia antequam deſponſet: ſi quis vir deſponſet aliquam mulierem per iuramentum factum ex metu iuſto, ſponſalia non tenent, niſi iurans intendiſſet obligare, poteſt tamen petere diſpenſationem.

Multis modis ſoluuntur ſponſalia: & Primò, per mutuum conſenſum, vel mutuam abſolutionem; ſicuti, qui ſocietatem fide interpoſita cõtraxerunt, & poſtea ſibi eam remittũt.

Secundò, quando alter ſponſorum intrat in religionem, etiam ante profeſſionem.

Tertiò, per contractum ſequens, quando alter illorũ contrahit cum alio, vel alia per verba de præſenti, vel etiam per verba de futuro, carnali copula ſubſecuta.

Si autem quis poſt prima contracta ſimpliciter, contrahit ſecunda cum iuramento, non ſoluuntur prima propter iuramentum.

tamen propter hoc matrim. dirimeretur: Nauar. cap. 22. nu. 49. vbi etiam notandum eſt, ſi huiuſmodi impedimẽtum ſuperuenerit matrimonio ritè inter fideles contracto, & conſumato, non diſſoluet matrimonium, licet poſſit, & ſoleat diſſoluere, quo ad cohabitationem, & thorum: vt quando vir, aut mulier ſit apoſtata, aut hæreticus, cum regula generalis ſit; nihil ſuperueniens matrimonio ritè inter fideles contracto, poteſt diſſoluere vinculum coniugale, licet ſeparet coniuges quo ad thorum, & cohabitationem: vnde hoc impedimentum non dicitur diſparitas fidei, ſed cultus, quia reſpicit exterius ſeruitium, & profeſſionem, quæ ſit per ſacramẽtum Baptiſmi. Si verò ambo coniuges in infidelitate exiſtentes contraxerunt matrimonium, altero illorum poſtea in infidelitate remanente, altero fidem, & baptiſmum ſuſcipiente; fides illius, qui conuertitur, non diſſoluit matrimonium, ſed perficit, etiam ſi alius nolit conuerti, dummodo conſentiat habitare cum eo ſine contumelia Creatoris: ex quo habetur, quod conuerſus non tenetur habitare cum infideli volente conuerti: etiam ſi infidelis velit cohabitare abſq; contumelia Creatoris, donec conuertatur, & baptizetur. Super hoc impedimento, cum ſit de iure canon. poteſt ſummus Pontifex in eo diſpenſare; eſt communis opinio.

De Vi, ſeu Violentia, & Metu.

Metus (de quo hic loquimur) eſt præſentis, vel futuri periculi cauſa, mentis trepidatio, quia imaginatione futuri, & propè imminentis mali, turbatur mens humana: qui duplex eſt; Leuis, quo timetur leue malum, ſiue etiam graue, ſed ex leui cauſa; & hic metus cadit in virum leuem, ſeu inconſtãtem, qui timet, vbi, & quando non eſt timendum: Alius metus dicitur metus iuſtus, quo timetur graue malum, & grauiter ex cauſa probabili: Qui dicitur metus, cadens in virum conſtantem: Graue malum illud dicitur, vbi timetur mors, vel mortis periculum, aut verborum, ſeruitutis, vinculorum, dehoneſtationis propriæ perſonæ, vxoris, aut filiorum, & amiſſio maioris bono-

rum temporalium, & præſertim cum pauca habeat bona: vt dicit Panorm. in cap. Abbas, de his, quæ vi, metuſuè cauſa fuit; & generaliter graue malum dicitur maius reſpectu minoris: Qui metus dicitur, tunc cadere in aliquem, cum ille metu cogitur ad aliquid faciendum; Nota tamen differentiam eſſe inter ea, quæ fiunt per vim, ſeu quæ ſunt violenta, & ea, quæ fiunt per metum; quia quæ fiunt per violentiam, ſunt omninò inuoluntaria, cum voluntas non concurrat, ideò violentia tollit omninò peccatum: In his autem, quæ fiunt per metum, non tollitur omninò peccatum, cum non tollat totaliter voluntariũ, quamuis metus excuſet, & minuat peccatum, in quantum minuit voluntarium; metus enim eſt vis, ſeu violentia conditionata. Conſtans igitur ab inconſtanti diſtinguitur, quo ad duo: Primò, quantum ad qualitatem periculi, quod timetur, quia Conſtans rectam ſequitur rationem, per quam ſcit quid, pro quo ſit dimittendum, aut faciendum: ſemper enim minus malum eſt ſuſtinendum, aut maius bonum eligendum; ideò Conſtans ad minus malum ſuſtinendum cogitur metu maioris; & non cogitur ad maius malum, vt vitet minus malum; Inconſtans verò cogitur ad maius malum metu minoris mali, puta ad malum culpæ, ſcilicet ad peccatum metu mali pœnæ. Secundò, differũt quantum ad extimationem periculi imminentis: quoniam Conſtans non niſi ex forti, atq; probabili æſtimatione compellitur: Inconſtans verò ex leui: fugit enim nemine perſequente: hinc conſtans intrepidus eſt, non quod penitus non timeat, quia eſſet audax: ſed quia non timet, quæ timẽda non ſunt, vel timet vbi, quando, & quomodo eſt timendum. Matrimonium igitur metu iuſto, vel vi contractum, nullum eſt, non ſolum eius, qui fugit propter metum cõſentire, ſed eius etiam, qui verè conſentit: S. Tho. & communis opinio diſt. 29. cap. cum locum: & in cap. Abbas, de his, quæ vi, metuſuè cauſa fiunt: vbi notãdum, ſi pars coacta poſtea liberè conſentiat, ſaltem tacitè, altera in ſua voluntate perſeuerante, firmatur matrimonium, immo viam ad id cogi poteſt volente parte coacta: per cap. ad id: & ſi ſpontè habeat copulam, videtur tacitè conſentire, ſaltem quo ad forum exterius, non

tamen quo ad forum Eccleſiæ interius, niſi verè conſentiat: per arg. cap. tua, de ſponſal.

Metus igitur cadens in virum conſtantem, iuxta mentem Nauarri, & aliorum eſt, quando quis cogitur eligere minus malum, ob maius malum ſibi imminens euitandum: Nauar. cap. 22. num. 51.

Vir conſtans his dicitur, qui prudens ſcit eligere minus malum, ob maius vitandum; vnde ſi quis videat ſibi mortem imminere, aut membri alicuius mutilationem, aut malũ aliquod ex ijs, quæ dicta ſunt, niſi cum Berta contraxerit, prudenter potius elegit contrahere matrimonium, quam mortem, vel quid ſimile ſubire: Si autem vir aliquis diues videat ſibi imminere periculum perdendi centum aureos, niſi cum tali Berta contraxerit, & ob id contrahit, iſte metus non cenſetur cadens inconſtantem virum, nec prudentem: S. Thom. 4. diſt. 29. ar. 2.

Dicendum eſt itaque, matrimonium violẽtia præciſa contractum, ſed etiam conſumatum, eſſe omninò nullum: per cap. veniens: cap. cum locum deſpenſ. vbi enim eſt vis, non eſt conſenſus, Armilla, S. Tho. vbi ſupra ar. 2. Sed matrimonium metu leui, puta minis contractum tenet; & quia minor timor requiritur in muliere, quam in viro, propterea relinquitur iudicandum arbitrio Iudicis, qualis fuerit metus: Nauar. cap. 12. nu. 51. & eſt communis. Cur autem coactus conſenſus tollat matrimonium; ratio eſt, quia vinculum matrimonij eſt inſeparabile, & perpetuum, idcircò, quod perpetuitati repugnat, impedit matrimonium, metus verò iuſtus tollit perpetuitatem contractus, quoniam peti poteſt reſtitutio in integrum; Inſuper cum in matrimonio exigatur vtriuſq; conſenſus, non poteſt matrimonium eſſe ex parte vnius, & non ex parte alterius, quia matrimonium claudicare non poteſt; & quia ſunt quidam actus, in quibus requiritur liber conſenſus, qui inficiuntur ex metu cadente in conſtantem virum, vt d. cap. ſignificauit: Quidam verò ſunt actus regulati à ſolo conſenſu, nec à iure exiguntur, cum hac qualitate libertatis, qui non inficiuntur metu; non enim ex eo, quod coacta voluntas eſt, ſed quia non eſt libera voluntas,

tas, vt patet 19. q. 3. per latum, de ſponſal. cap. cum locum. Conualeſceret tamen matrimonium per vim contractum, ſi ſequeretur cohabitatio ſpontanea, per cap. ad id, de ſponſal. quoniam iura volunt, quod in contractu matrimonij ſit plenum, voluntarium, ſiue omninò liber conſenſus, vt habetur ex cap. cum ſecundum, & in cap. veniens in 2. de ſponſal. ſic matrimonium contractū ex metu iuſto eſt ipſo iure nullum. Et propterea nec pater poteſt cogere filium, aut filiam ad contrahendum matrimonium; quia cum filius, ſeu filia ſint liberæ conditionis, & in matrimonio ſit quaſi ſeruitus, non poteſt eos pater cogere ad matrimonium, ſed benè poteſt eis perſuadere pro poſſe ex cauſa rationabili, quæ ſi cogit de neceſſitate, vel honeſtate, ita cogit præceptum patris. Nec obſtat, quod Apoſtolus dicit, Filij obedite parentibus per omnia, ad Coloſſ. cap. 3. quia hoc intelligendum eſt de omnibus, in quibus filij non ſunt liberi ſui, ſed patris auctoritati ſubiecti, videlicet in pertinentibus ad regimen domus, & curam rei familiaris: ſicuti ſummus Pontifex poteſt cogere aliquem ad Epiſcopatum pro regimine ſanctæ Eccleſiæ; ita tenet Antiſiodorenſis, Ricardus, Bonauentura, & alij. Mulier, quæ cōtrahit matrimonium imperio, vel precibus Principis, non habet iuſtum metum, vt dicit gloſ. in cap. ſi qui clerici, vel vouentes, quod eſt intelligendum, niſi Princeps conſueuerit tirannicè iubere; nam eſt orare ducum ſpecies violenta iubendi. Ita etiam non valet matrimonium in captiuitate facta ab hoſtibus, aliter quam matrimonium ſeruorum; quia captus ab hoſtibus ſeruus factus eſt.

De Impedimento Ordinis.

CVm ordinum alij ſint minores, alij maiores: alij ſacri, alij non ſacri: propterea, qui minoribus, & non ſacris ordinibus eſt initiatus, poteſt contrahere matrimonium; ſed beneficijs eccleſiaſticis priuatur, per cap. 1. de clericis coniugatis; & eſt communis opinio. Qui verò aliquo ex ſacris ordinibus eſt inſignitus, ſiue ſit Latinus, ſiue Græcus, non poteſt contrahere matrimonium, & ſi de

facto contrahit, peccat mortaliter peccato ſacrilegij, & matrimonium eſt nullum, & ipſo facto eſt excommunicatus, niſi metu, aut vi ordines illos ſuſcepiſſet; quia votum ſolemne caſtitatis eſt illis annexum: & quia ſic ſtatuit Eccleſia: quamuis ad continentiam ſe obligare non intendat ille, qui ſuſcipit ordines: modo habeat vſum liberi arbitrij: Clem. 1. de conſanguinit. & affinit. Eccleſia enim ſtatuit, vt qui ſuſcipit ordines ſacros, vel vnum tantum, vel plures, ſit inhabilis ad contrahendum matrimonium; & ſic contrahens ſit irregularis: cap. clerici, vel vouentes, & puniuntur alijs pœnis, per Diaz in practica crimin. cap. 74. Vnde, qui voluntariè, & ſua ſponte ordinatur, voluntariè etiam hanc inhabilitatem incurrit: Quæ caſtitas, ſecundum Io. Viguerium cap. 16. §. 7. verſ. 7. Maiorem, & Clitoueum, ex diuina inſtitutione ordini ſacro eſt annexa: ſecundum aliquos verò ex inſtitutione Pontificia, vt S. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 11. Sotus lib. 7. de iuſt. & iur. q. 6. concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 9. & alij, quos refert Syluest. matrim. 8. q. 12. Rationabile enim eſt, & conueniens, vt illis ordinibus, qui ſunt ſacri, ſit continentia annexa: quia cum ordinati in ſacris ſint tractaturi ſacra vaſa, & ſacramenta, requiritur ex parte corporis puritas actionis, & à parte animæ libertas contemplationis: carnalis autem concubitus corpus maculat, & impedit contemplationem: Ricar. 4. ſentent. diſt. 37. q. 1.

Qui ordines ſi præcedunt matrimonium, illud dirimunt: ſi verò præcedit matrimonium, non dirimitur, neq; ſoluitur.

Quocirca, qui coniugatus ſuſcipiens ordinem ſacrum, vel poſt ſuſceptum petit debitum ab vxore, peccat mortaliter; & ſi conſcia vxor reddit debitum, peccat, niſi coniux ſit ſenex, & voueat caſtitatem, vel religionem ingrediatur: quia tunc ſi ordinatur cum conſenſu vxoris, non peccat: Nauarr. cap. 22. nu. 52. & per cap. Agatoſa 27. q. 2. S. Tho. in 4. diſt. 37. art. 1. Clerici poſt ſacrum ordinem matrimonium cōtrahentes ipſo iure in ſuſpenſionem incurrunt: cap. 1. & 2. qui clerici. Item in excommunicationem incidunt: Clem. 1. de conſang. & affinit. Item beneficium amittunt ipſo facto, quamuis matrimonium [illegible] ita Ioan. Andr. An-

chir. Abbas, candin. oportet enim omni prorſus caſtitate ſacerdotem ornatum eſſe, ait D. Chriſoſt. homil. 2. & quamuis Subdiaconi, & Diaconi, & Presbyteri inter Græcos non ſe perpetuò abſtineant ab vxoribus, nunc tamen Epiſcopi non creantur, niſi qui matrimonio ſunt ſoluti, & qui perpetuam continentiam ſeruant; fuit etiam in Eccleſia Orientis varius circa hoc modus, & mos adeo, vt quidam ſacerdotes perpetuò ſeruarent caſtitatem, alibi quidam non, qui tamen vxorati tolerantur. At in Latinorum Eccleſia in ſuſceptione ordinis ſacri, perpetua continetur continentia ab vxoribus, quem morem non eſſe iuris diuini, ſed apoſtolici, tradunt DD. & apud Græcos per aliquot tempora ritè ſeruatum ab aliquibus caſtis, licet poſtea ſit prætermiſſus.

De Impedimento ligaminis, vel ſecundarum Nuptiarum.

LIgamen eſt vinculum primi matrimonij validi; quo quis alteri coniugi eſt ligatus, nullus enim poteſt contrahere cum ſecunda, viuente prima, etiam nondum cognita, etiam clandeſtinè deſponſata; ita tamen, quod matrimonium valuiſſet, & etiam ſi iam prima alteri nupſerit, & filios ex ea ſuſceperit: quod frequenter ante Concilium contingebat; & peccat, nec poteſt abſolui, ſaltem ſine firmo propoſito non cognoſcendi ſecundam: nec vlla regionis abſentia, nec temporis longinquitas in hoc prodeſt, niſi denuo contrahat cum ſecunda poſt habitā de morte illius notitiam; ad quam habendam ſufficeret fama, ſi in regionem longinquam profectus eſſet: aut ſi erat ſenex: aut ſi prælium ingreſſus non vltra apparuit, de qua re literas accepit ab his, qui ſecum eidem interfuerunt, iuxta gloſ. receptam in cap. quoniam frequenter, vt lite non conteſt. quoniam ſi fama exorta ex horum aliquo ad eum perueniſſet, inquit Nauarrus, poſſet denuo contrahere cum ſecunda, & ſine peccato cum ea copulam habere; & filij ex ea ignorante primum matrimonium ſuſcepti, eſſent legitimi, per cap. ex te-

nore, iuncta gloſ. communiter recepta; qui filij ſint legitimi. Quare pro notitia mortis primi coniugis ſufficiunt ea, quæ dicta ſunt; quæ verò probabiliter credit virum ſuũ eſſe mortuum, & poſtea per nuncium audit illum viuere; ſi credit, vel debet credere illum eſſe viuum, non poteſt reddere, nec petere debitum coniugale, nec debet abſolui ſi contrahit cum alio: vnde ſi rationes dubitãdi ſunt adeo graues, vt neutram partem credere debeat, iudicio prudentis tunc nec petere, nec reddere poteſt; ſi adeo leues, & vtramq; partem credere poſſit, poterit reddere, & petere ſub mota dubitatione: ſi verò mediocres, vt ad iudicium tertij non ſit credendum, ſed ad ſuum ſic, poterit reddere, & non petere: Nauarr. cap. 22. num. 53. & 54.

Peccat item ille, vel illa, qui, vel quæ credit ſuam vxorem, vel ſuum virum viuere, cum re vera mortuus, vel mortua ſit, contrahit matrimonium cum alia, vel cum alio: Item non valet matrimonium, ſi dum contrahit credit illud non valere, quia non dat legitimum conſenſum in matrimonium; quod tamen ſecus eſſet, ſi crederet illud valere, quamuis credat mortaliter peccare ſic contrahendo: vt docet Syluester matrim. 8. q. 13. §. 5.

De Iuſtitia publicæ honeſtatis.

PVblica honeſtas, ſiue publicæ honeſtatis iuſtitia, eſt propinquitas quędam ex ſponſalibus orta, robur habens ex Eccleſiæ inſtitutione, propter honeſtatem inter conſanguineos ſeruandam introducta: propter quam nullus conſanguineorum vir, vſq; ad quartũ gradum mulieri deſponſatæ matrimonio copulari poteſt; nec etiam vir conſanguineæ vxoris ſuæ: vt habetur in cap. ad audientiam, & cap. ſponſam, de ſponſal. vbi notandũ eſt, vt ſponſalia inducant hoc impedimentum publicæ honeſtatis, multa requiruntur.

Primum, vt cõtrahentes ſponſalia, ſiue ij, pro quibus contrahuntur, compleuerint ætatem debitam ſeptem annorum, quia ſic habetur in textu in d. cap. ex ſponſalibus; vbi enim

requiritur ætas certa, reſpectu diſcretionis præueniri non poteſt: ſi tamen parentes pro filijs cõtraxerint, requiritur conſenſus filiorum, expreſſus, vel tacitus, vt ſi præſentes non contradixerunt, vel abſentes poſtquam id nouerint ratificauerunt, expreſsè, vel tacitè alias non inde oritur honeſtas publica, nec obligantur filij: de ſponſ. impub. c. ſi infantes lib. 6.

Item ſi maior ſeptennio contrahit cum minore, non inde oritur honeſtas publica, ſecundum Panorm. & multò minus ſi vterq; eſt minor ſeptennio: Nota tamen, quod ſponſalia contrahi poſſunt vtroq; contrahentium exiſtente in fine primi ſeptennij, vel poſt, vel parum ante.

In omnibus tamen prædictis caſibus oritur publica honeſtas, ſi facti maiores ſeptennio, verbo, vel facto eorum liquido appareat, quod perſiſtant in eodem propoſito, & voluntate, puta, quia vocant ſe ſponſos, vel cohabitant, aut ſimul iacent, vel ſe vt ſponſi deoſculantur, &c. quia ex his ſponſalia conualeſcunt: addit Panorm. in cap. iuuenis, quod ſi minor ſeptennio cohabitauit cum ſponſa minori de futuro, & eam tentauerit, vel interuenerit pollutio, ex æquitate oritur publica honeſtas, ſed tamen nullo iure probatur.

Secundum requiritur, quod ſponſalia non ſint facta ſub conditione ſuſpendente, vel inhoneſta.

Tertium, quod ſint certa, quia in perſonam incertam non fertur conſenſus, nec oritur hoc impedimentum.

Quartum, quod non deficiat apparenter conſenſus.

Quintum, quod non ſint contracta poſt matrimonium, vel ſponſalia; quia ſponſalia ſecunda facta cum conſanguinea primæ ſponſæ, non dirimunt priora, niſi priora ſint cõditionata, & adhuc pendeat conditio ipſa; ſecunda verò ſint abſoluta: arg. text. ibi in verbo purè, & gloſ. quæ pro ratione adducit, quod ſequentia non ſoluunt priora, quia ex prioribus orta erat publica honeſtas, quæ non oritur in conditionalibus ante conditionis euentum: ita tenet Arch. & gloſ. in d. cap. ex ſponſalibus.

Sed vt materia hæc de ſponſalibus melius intelligatur, prius videndum eſt, quid ſint: à quibus contrahi poſſunt: quam obligationem inducunt, & multa alia, vt patebit.

Digitized by Google

ceſſerunt verba apta ad contrahendum matrimonium, faciunt matrimonium, & non ſponſalia: ſi verò nulla præceſſerunt verba, tunc iudicandum erit iuxta conſuetudinem loci: quæ ſi nulla ſit, nihil probabunt: ſi autem vnius tantū verba præceſſerunt cum annuli immiſſione, & arrharum acceptatione, denotant conſenſum alterius expreſſum, & ſic erūt ſponſalia, vel etiam matrimonium, vt notat gloſ. in cap pen. de ſponſal. In dubio autem, in ſubarrhatione per immiſſionem annuli, præſumendum eſt matrimonium, quia res eſt fauorabilis.

Cum ſponſalia ſub conditione honeſta contrahuntur valent, ſi ſub inhoneſta non. Si quis promittat pluribus puellis, vnam ex illis accepturum in vxorem, nō contrahit ſponſalia: Si pater iurauit alicui ſe daturum illi vnam ex filiabus ſuis, non contrahit ſponſalia: Pater tamen tenetur vnam dare illi, cui iurauit ſi vna illarum voluerit: & ſi omnes præter vnam moriantur, tenetur dare illi eam; ſi verò vnam obtulit, & ille non acceptauit, eſt abſolutus à iuramento, & promiſſione. Quod ſi vnam ex illis carnaliter cognouerit, nullam aliam ex illis poterit habere, propter contractam affinitatem.

Si quis alicui promiſerit, quod eam deſponſabit de futuro, non ſunt ſponſalia antequam deſponſet: ſi quis vir deſponſet aliquam mulierem per iuramentum factum ex metu iuſto, ſponſalia non tenent, niſi iurans intendiſſet obligare; poteſt tamen petere diſpenſationem.

Multis modis ſoluuntur ſponſalia: & Primò, per mutuum conſenſum, vel mutuam abſolutionem; ſicuti, qui ſocietatem fide interpoſita cōtraxerunt, & poſtea ſibi eam remittūt.

Secundò, quando alter ſponſorum intrat in religionem, etiam ante profeſſionem.

Tertiò, per contractum ſequens, quando alter illorū contrahit cum alio, vel alia per verba de præſenti, vel etiam per verba de futuro, carnali copula ſubſecuta.

Si autem quis poſt prima contracta ſimpliciter, contrahit ſecunda cum iuramento, non ſoluuntur prima propter iuramentum.

Quar-

Quartò, quando alter illorum ſe transfert ad aliam regionem, nec eſt ſpes de proximo reditu; quia ſecundum leges ſufficit expectare biennio, ſi eſt in eadem Prouincia, vel triennio, ſi eſt in alia: quod eſt intelligendum abſens, ex cauſa probabili tãtum: nam ſi eſt abſens ex cauſa neceſſaria, & probabili, debet expectare, donec reuertatur; ſed ſi ſubſit cauſa rationabilis breuiandi tempus, relinquitur arbitrio Iudicis, qui poterit breuiare, aut prorogare tempus, & talem abſoluere propter periculum fornicationis: & hæc procedunt, etiam ſi ſponſalia ſint iurata: Panorm. in d. cap. de illis, vbi hoc patet ex textu.

Quintò, quando certus terminus fuit appoſitus, quo elapſo, ille, per quem non ſtetit liber eſt, & ſine periurio nubere poteſt alteri: eo. tit. ſicut ex literis.

Sextò, quando alter lepram, vel paralyſim incurrit, aut viſum, vel viſum amiſit; vt in cap. literas, de coniugio leproſorum: & d. cap. ſicut: & in cap. quemadmodum, de iureiurando: quod intellige ſi eueniant hæc poſt contractum.

Septimò, quando alter notoriè fornicatur, vel fit hæreticus, poſt ſponſalia Hugo. 17. q. 2. raptor.

Octauò, quando capitalis inimicitia ſuborta fuerit inter ſpõſos: Hoſt. in ſumma, & per rationem c. requiſiuit eo. tit.

Nonò, quando ſponſa promiſit dare certam quantitatem pro dote, & poſtea facta eſt pauper, & dare non poteſt: Ioan. Andr. in cap. de illis, de condit. appoſ. & idem de qualibet conditione interueniente.

Decimò, quando superuenit affinitas, vt ſi ſponſus cognoſcat conſanguineã ſponſæ, vel è contra, 27. q. 2. ſi quis ſponſam, de eo, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, cap. ex literis.

Vndecimò, quãdo fama ſit, quòd inter eos ſit canonicum impedimentum: & de fama, vel ſcandalo doceatur, de ſponſal. cum in tua, de conſanguin. & affin. c. 2. de teſtib. ſuper eo.

Duodecimò, quando ſponſalia fuerunt contracta ante annos pubertatis: & alter poſt pubertatem petit abſolui, antequam aliquem tacitum conſenſum habuerint in pubertate: de ſponſ. impub. cap. de illis, & cap. à nobis.

De-

Decimotertiò, quando alter ſuſcipit ſacrum ordinem.

Decimoquartò, quando alter contraxit cognationem legalem, vel aliud impedimentum.

Decimoquintò, quando ſponſus eſt vir malus, & nimis ſeuerus.

Decimoſextò, quãdo ſponſus, vel ſponſa vouit caſtitatem.

Decimoſeptimò, quando ſuperuenerit cauſa rationabilis, qui ſi à principio fuiſſet, impediuiſſet ſponſalia. Quæ ſponſalia in ſupradictis caſibus, aut alijs, ſi qui ſunt, non ſoluuntur ipſo iure, ſed vti docet Io. Andr. in cap. de illis, de ſponſ. requiritur auctoritas Iudicis eccleſiaſtici, quia coram illo debet probari cauſa: de diuor. porrò: Aliter peccat grauiter, qui ſine illius Iudicis authoritate ſoluit ſponſalia, vt habetur per cap. ſi duo pueri, de deſponſ. impub. & facit 35. q. 2. ſeculares. Sed fallit hoc, ſecundum S. Thom. & Ricardum: Primò, ſi alter ſponſorum ingreditur religionem: Secundò, quando quis contrahit de facto per verba de præſenti, quia ipſo iure ſoluuntur: Tertiò, quando alter fornicatur, ſed intellige ſi notoriè, immò dic generaliter, quãdo cauſa eſt notoria, quantum ad veritatem, ſcilicet, quia vera eſt; & quantum ad rationabilitatem, ſcilicet, quia de iure ſufficiens cauſa eſt, vt quia in iure expreſſa habetur, quia tunc non requiritur dicta auctoritas: & idem dicit Ricardus, quando ſponſalia ſunt ſecreta non ſubſunt iudicio Eccleſiæ: Recedere autem à ſponſalibus ſine authoritate Eccleſiæ, vbi requiritur eſt mortale, ſi fiat ſine aliqua dictarum cauſarum, per ea, quæ dicta ſunt in cap. ſi duo pueri: cap. ſeculares: & ita tenet Sylueſter in verbo pactum, §. 4. & 5. vbi dicit infideliter agere illum, qui non ſeruat promiſſum, & præſertim ſi habuit promittens animum ſe obligandi, alias non.

Notandum eſt præterea, quod licet olim hoc impedimentum publicæ honeſtatis, ex quibuſcunq; ſponſalibus etiam inualidis (excepto conſenſus defectu) contraheretur, poſt concil. Trid. tamen, ſeſſ. 24. cap. 3. de reform. matr. Contrahitur tantummodo ex legitimis, & veris ſponſalibus: & quamuis ante concilium extenderetur vſq; ad quartum gradum, tres tamen ſuſtulit, dicens, vbi ſponſalia valida fuerint,

rint, primum gradum non excedant. Qui itaque contractis ſponſalibus validis cum vna, contrahit matrimonium cum cognata eius in primo gradu, peccat, & matrimoniũ eſt nullum: & ſi habuit copulam cum ſecunda, cum neutra poterit contrahere. Quapropter impedimentum hoc non oritur ex ſponſalibus, vel matrimonijs contractis cum conſanguinea, vel affine inter gradus prohibitos: aut in ordine ſacro, vel religioſo; item nec ex ſponſalibus à parẽtibus factis ſine ſufficiente conſenſu ſponſæ: ſed tantum ex ſponſalibus validis cum conſanguinea ſponſæ in primo gradu.

De Impedimentis Matrimonij.

SI ſis affinis, quæ affinitas, quomodo ex coitu contrariatur, variè loquuntur Doctores: ſed quantum colligitur ex S. Thom. in 4. diſt. 41. q. 2. ar. 1. Copula carnalis, ex qua oritur affinitas, eſt illa, ex qua de ſe nata eſt ſequi generatio prolis: quæ cauſatur per coniunctionem ordinatam ad carnis propagationem, & dicitur coitus. Coire enim eſt ſimul ire, quia tam vir, quam mulier in vnum conferunt, id quod requiritur ad prolis generationem, quod eſt vel ſperma vtriuſque, vel aliquid loco ſpermatis, ideſt ſanguinem purgatũ ad generationem à natura paratũ emittere.

Sufficiens igitur cauſa affinitatis eſt commiſtio ſeminum, vel tenentium locum ſeminum; vnde ſi ab vtroque ſeminetur in vaſe debito, ſecundum omnes contrahitur affinitas, & conſumatum eſt matrimonium, ſi ſint vir, & vxor: ſi autem ne vter ſpermatizet, ſecundum omnes, non eſt contracta affinitas, nec matrimonium conſumatum: ex hoc tamen ratificantur ſponſalia ante tempus facta, etiam ſi non ſit certum, ſed dubium, an vir intrauerit clauſtra pudoris, & cauſatur publica honeſtas: vt in cap. iuuenis, de ſponſal.

Si verò mulier ſeminet, & non vir, non cauſatur affinitas, quia non eſt commiſtio ſeminum: ſi verò è contrario vir in vaſe debito, & non mulier, quamuis aliqui dicant, non propter hoc eſſe contractam affinitatem. Reuera tamen eſt contracta, & matrimonium conſumatum, & ita tenet Panorm.

& com-

& communis; & ratio eſt, quia, vt dicit Philoſophus in lib. de animal. (non ſecundum opin. Medicorum) in generatione hominis non requiritur neceſſariò ſemen mulieris; immò dic, ſi vir ſolus ſeminet extraordinariè, ideſt extra, vel circa vas naturale, & ſemen ſubintret clauſtra affinitas, & matrimonium cōſumatum, ſi præceſſiſſent verba de præſenti, quia hic eſt ſeminum commiſſio, & inde ſequi poteſt generatio, ſicut factum eſt in balneis, vel per Dæmones incubos, &c. ita tenet Syluest. matrim. 8. q. 15. quod tamen alij non admittunt de ſicubis, & incubis, nec de balneo.

In affinitate ſunt gradus, & ſecundum Doctores olim fuerunt tria genera affinitatis: vt patet 35. q. 3. per totum: & de hoc datur regula ſequens. Perſona addita perſonæ per copulam carnalem, mutat genus attinentiæ, ſed non gradū: nam perſona adiuncta ſanguini alterius per copulam carnalem, facit primum genus: Perſona verò ſecunda per copulam addita primæ perſonæ, ſeu facienti primum genus, facit ſecundum genus: Perſona verò tertia addita ſecundæ per copulam carnalem, facit tertium genus. Verbi gratia, vxor fratris mei mutat genus, quia frater meus attinet mihi conſanguinitate, ita illa affinitate: & ſicut in primo gradu conſanguinitatis eſt mihi pater meus, ita illa eſt mihi, & conſanguineis meis affinis in primo gradu affinitatis.

Secunda verò perſona mihi aliunde non affinis, nec conſanguinea, ſi coeat cum dicta vxore, fit mihi, & conſanguineis meis affinis in ſecundo genere, & eodem gradu, quo ſuit mus fratri meo.

Tertia quoq; perſona, quæ non eſt conſanguinea, nec affinis, ſi coniugatur dictæ ſecundæ perſonæ, eſt mihi, & conſanguineis meis affinis in tertio genere affinitatis, vt habes in cap. dedet, de conſanguin. & affin. vbi patet, quod hodie ſolum primum genus habet prohibitionem.

Quo autem ad gradus, iam patet, quomodo computentur tamen quo ad primum genus, omnes conſanguinei vxoris meæ, vel mulieris à me cognitæ, ſunt mihi affines in eo gradu, in quo ſunt conſanguinei talis mulieris: & ſimiliter omnes conſanguinei mei ſunt illi mulieri affines in eo gra-

du, in quo ſunt mihi conſanguinei: ſicut ſoror vxoris meæ eſt in primo gradu, illi quidem conſanguinitatis, mihi verò affinitatis: filia ſororis illa eſt in ſecundo gradu conſanguinitatis, & mihi in ſecundo affinitatis, & ſic deinceps: conſanguinei autem mei, & meæ vxoris nullo modo inuicem ſunt affines, neq; inter eos matrimonium prohibetur, de conſangu. & affin. cap. ſuper his: vnde duo fratres contrahunt cum duabus ſororibus, & pater, ac filius cum matre, & filia.

Vx. fratris ol. relicta	Frater	Primꝰ gradꝰ	Soror	Vx. ſoror. ol. relicta
Vxor filij fratris	Fratris filius	Secũd. gradꝰ	Soror. filia.	Vir filiæ ſororis.
Vxor. nepot. fratris	Fratris nepos	Tertiꝰ gradꝰ	Soror. neptis	Vir nepot. ſororis
Vxor pnep. fratris	Fratris pronepos	Quart. gradꝰ	Soror. pneptis	Vir pnep. ſororis

Ex hac figura datur intelligi ex parte vtriuſq; ſexus affinitatem contrahi ex cõſanguinitate: & nõ exprimuntur vtrum illi gradus ſint cõſanguinitatis, vel affinitatis, vt iſta computatio ad vtrunq; referatur: vnde frater, & ſoror ſunt in primo gradu conſanguinitatis, & frater, ac vir ſororis in primo affinitatis, & ſic de alijs.

Ad cognoſcendum autem gradus affinitatis datur regula

ſe-

ſequens. Per carnalem copulam viri, & mulieris, quamuis non ſit vxor; inter conſanguineas mulieres, & virum; & inter conſanguineos viri, & mulierem contrahitur affinitas primi generis, & eiuſdem gradus, cuius eſt conſanguinitas; nam ſicut frater, & ſoror ſunt in primo gradu conſanguinitatis: maritus ſororis eſt fratri in primo gradu affinitatis, & vxor fratris ſorori: filia ſororis eſt filio fratris, & ipſi fratri in ſecundo gradu conſanguinitatis: maritus eius in ſecundo gradu affinitatis, & è conuerſo, & ſic in reliquis: vnde vir proneptis ſororis attinet fratri, & omnibus deſcendentibus, qui ſunt in arbore in quarto gradu affinitatis.

Quare perſona cognita carnaliter ab aliquo cõſanguineo, contrahere non poterit cum aliquo de illa conſanguinitate, niſi ab illo diſtet vltra quartum gradum, à quo fuit cognita, & è contra, & ſi contrahit matrimonium eſt nullum: & contrahens eſt excommunicatus: vt in Clem. 1. ſi verò quis cognoſcat conſanguineam alicuius in quinto gradu, & vltra, non contrahit affinitatem, nec impeditur matrimonium.

Secundum, & tertium genus affinitatis reuocata ſunt, ita quod remanet ſolum primum genus, ſed ſi affinitas cauſaret affinitatem, adhuc remanerent duo affinitatis genera, ergo affinitates non cauſat affinitatem.

Gener poteſt accipere in vxorem, quæ fuit vxor ſoceri ſui. Item mortua vxore mea, poſſum accipere relictam viri, qui fuit germanus meæ vxoris. Item mortua vxore mea, poſſum accipere cognatam vxoris meæ defunctæ, ideſt, quia ſi fuit cognata, ideſt vxor fratris vxoris meæ, eſt in ſecundo genere affinitatis, ſi verò fuit cognata, quia ambæ fuerunt vxores duorum fratrũ, tunc ſunt in ſecundo genere, quia frater mariti eſt affinis in primo genere, & conſequenter vxor ſua cum ſit iuncta primo generi, inducit ſecundum genus, & idem eſt in vxore alterius: & hac ratione olim non poterat quis ſucceſſiuè habere vxores duorum fratrum, quia cum illæ inuicem ſint in ſecundo genere affinitatis; qui vnam earum accepit, eſt in tertio genere cum alia, quæ eſt perſona addita ſecundo generi, & ideo illam non poterat habere mortua prima. Erat etiam ibi publica honeſtas, vt dicit tex. in cap. por-

rò 35. q. 3. ſed hodie, ſicut ſublatum eſt ſecũdum, & tertium genus, ita & publica honeſtas ſublata eſt tanquam acceſſorio ſublato eius principale.

Publica tamen honeſtas, quæ non venit acceſſoriè, vt ea, quæ oritur ex contractu ſponſalium, ſeu matrimonij cum meo conſanguineo, non eſt ſublata.

De Impotentia.

MAtrimonij contractus, ſi fiat ab aliquo, qui debitum carnis, & carnalem copulam non valeat ſoluere, nullus eſt, quia obligat ſe ad id, quod dare non poteſt; idcircò cum poteſtas ad copulam ſit de eſſentia matrimonij, propterea ſicut puer, qui non poteſt debitum reddere, non eſt aptus coniugio: ſic, qui impotentes ſunt, non ſunt apti ad contrahendum matrimonium, in quo neceſſariò requiritur potentia ad copulam carnalem, quamuis copula non ſit de eſſentia matrimonij, ſed poteſtas ad illam: Hinc aliud matrimonij impedimẽtum ortum eſt, quod generali vocabulo dicitur Impotentia coeundi, quod impedit, & dirimit matrimonium.

Hoc impedimentum, vel hæc impotentia poteſt procedere vel ex cauſa intrinſeca, & naturali, vt ex frigiditate, vel ex cauſa extrinſeca, & accidentali, vt eſt maleficum; Item ſi eſt ex cauſa naturali intrinſeca, vel eſt temporalis, ſiue ad tempus: cui per remedia Medicorum ſubueniri poteſt: aut ætatis proceſſu: vel eſt perpetua: temporalis non dirimit, ſed perpetua, quæ impotentia, vt dignoſcatur, an ſit perpetua, ſtatuit Eccleſia tempus trium annorum, in quo huius rei experimentum haberi poſſit; quod ſi elapſo hoc temporis ſpatio, in quo fideliter, ac ſine fraude ſponſus dederit operã rei vxoriæ, & copulæ carnali inueniatur per mulieres honeſtas prouectæ ætatis, matrimonium non eſſe conſumatum, Eccleſiæ iudicio diſſoluetur: at verò ſi Eccleſia ſe deceptam inuenerit, ex quo ille, in quo fuerat impedimentũ, inueniatur carnalem copulam cum eadem, aut cum alia perfeciſſe, tunc Eccleſia reintegrat primum matrimoniũ, & dirimit ſecundum, quam-

quamuis de eius licentia ſit factum, quia non poteſt eſſe impedimentum naturæ perpetuum viro, reſpectu vnius mulieris, & non reſpectu alterius, quod ſi non poteſt complere actum carnalem cum virgine, tunc medicinaliter aliquo inſtrumento poſſunt clauſtra pudoris aperiri, & coniungi, & hoc non fit contra naturam, quia non propter delectationem, ſed propter neceſſitatem.

Et quamuis ſenes ſint frigidi quantum ad generationem, non tamen quātum ad carnalem copulam, licet raram: ideo matrimonium eis permittitur in remedium, ſicut ſterilibus: & licet mulieres ſint frigidiores viris: propter earum frigiditatem tamen non diſſoluitur matrimonium, ſicuti nec propter ſterilitatem: & quia in generatione mas eſt agens, & fœmina patiens, ideo maior caliditas requiritur in maſculo, quam in fœmina, in qua poteſt eſſe impedimentum ex arctatione: & tunc idem eſt iudicium de arctatione mulieris, & de frigiditate, vel maleficio viri; quia ſi nulla arte poteſt ſubueniri mulieri, quantum ad arctationem, reſpectu vnius viri, ſoluitur matrimonium; & ſi ſit ſufficienter aperta reſpectu alterius, non tenetur manere ſine ſpe coniugij, ſicuti nec perpetuò maleficiatus reſpectu vnius; Frigiditas autem in viro magis diſſoluit, quam ſuperflua caliditas: quia per frigiditatem non ſolum tollitur commiſtio ſeminum, ſed etiam vigor membrorum, quo fit coniunctio corporum: ſi tamen exceſſus caloris per triennium impediret carnalem copulam, iudicaretur impedimentum, de quo non fit mentio in iure, eo quod rariſſimè accidat, atque etiam, quia omne impedimentum naturale ad frigiditatem reducitur.

Si verò impotentia coeundi proueniat ex cauſa extrinſeca, puta ex maleficio, quod eſt ligamen quoddam à Dæmone proueniens (Deo ſic permittente) quo vir, & vxor à carnali copula impediuntur, dicendum erit, ſi maleficiū ſit temporale, non diſſoluit matrimonium, ſed ſi perpetuum, diſſoluit ſicut frigiditas: ſed differentia eſt inter frigiditatem, & maleficium, quia per frigiditatem homo non ſolum eſt impotens ad vnam, ſed ad omnes, quod non fit per maleficium; de quo iudicandum eſt non ſicuti de frigiditate perpetua.

hoc

hoc dempto, quod in maleficio perpetuo datur vtriq; licentia, quod non fit in viro frigido propter frigiditatem: ſi verò maleficium non ſit perpetuum, non diſſoluitur matrimonium; & ad experiendum an ſit perpetuum, ſtatutum eſt tempus ab Eccleſia, ſicuti in frigiditate: nunquam tamen licet maleficium maleficio ſoluere, quia nullo modo debet alicuius auxilium Dæmonis inuocare, neq; ad pytones, ſeu inuocantes Dæmonum auxilia accedere, quod fit per maleficum; & ideo, quādo non poteſt aliter tolli, quam per maleficium, reputatur impedimentum perpetuum. Cum autem mulier venit in abominationem viro, ideſt, quod vulgò dicitur, *Hauer à ſchiuo*, ita vt vir non poteſt ei copulari ab initio, eodem modo iudicandum eſt, ſicut de maleficio, & frigiditate: quia ſi medicinæ remedio poteſt ei ſubueniri, eſt temporalis, & nō dirimit matrimonium: ſi verò ſit perpetua, dirimit. Item defectus ætatis impedit, & dirimit matrimonium, non propter impotentiam coeundi, cum non ſit perpetua, ſed propter defectum vſus rationis, qui non eſt ſufficiens ad illum conſenſum, qui eſt perpetuò duraturus ritè faciendū; & propterea hoc impedimentum reducitur ad impedimentum erroris: & quia contractus matrimonij, ſicut alij contractus, ſubiacet ordinationi legis poſitiuæ; hinc eſt, quod iura determinant, decimum quartum annum in maſculo, & duodecimum in fœmina: & propterea ſi ante hoc tempus contrahitur matrim. non tenet: quod ſi ante id tempus vigor rationis, & naturæ malitia ſupplet ætatem, & ſi carnaliter fuerint copulati, matrimonium non diſſoluitur, ſed perpetuò ligati quamuis ad alios cōtractus celebrandos, vſq; ad vigeſimum quintum annum, dētur illis tutores, & curatores, quod non fit in contractu matrimonij, ad quod natura ipſa inclinat. Furia quoq; ſuperueniens matrimonio non ſoluit illud, nec aliqua ægritudo, aut quoduis aliud impedimentum, ſi inter fideles ſit contractum: ſi autem præcedat, cum tollat vſum rationis, impedit conſenſum; vnde qua ratione error diſſoluit, eadem & furia; & quamuis furia etiam perpetua nō impediat generationem prolis, impedit tamen ipſius conuenientem educationem: ideo eſt cōtra bonum prolis; & ſicut

fu-

furioſi non ſunt idonei ad aliquem contractum faciendum, ſic nec ad matrimonium, cum nullus eſſet, qui filiam ſuam furioſo nubere vellet: ſi tamen furioſus habeat lucida interualla, & in illis contrahat, tenet matrim. licet non ſit perfectum, quia aduueniente furia, prolem educare neſciret: Vig. cap. 16. §. 7. ver. 10.

De Matrimonio Clandeſtino.

DVobus modis contingit matrimonium dici clandeſtinum: vno modo propriè, quando fit ſecreto ſine teſtibus legitimis, ac ſine Parocho, aut alio ſacerdote de eius licentia; vt per concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. per quos in foro Eccleſiæ comprobari poſſit, per cap. quod nobis, de clandeſt. deſponſ. Altero modo impropriè, quando defuerunt denunciationes, quæ iure in Eccleſia fieri debebant, licet teſtes interfuerint; quamuis hoc matrimonium, ſecundum Abbatem in cap. cum inhibitio, de clandeſt. deſponſ. Clandeſtinum propriè dici non poſſit, cum publicè contrahitur, & hæc opinio recepta videtur, vt refert Couarr. tit. de ſponſal. cap. 6. num. 10. quia quod fit ſcientibus vicinis, dicitur publicè fieri: & non obſtat Bart. ſententia in l. fin. ff. de ritu nupt. dicentis, illud fieri clam, quod fit omiſſis his, quæ in eius actu à lege requiruntur: id enim procedit, niſi quando aliquid æquiualens in actu interueniat, ex quo effectus à lege præten us deducatur, vt in hoc matrimonio contracto publicè euenit.

De clandeſtino autem matrimonio primo modo contracto, loquitur concil. Trid. illud annullans in cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrim. Cum tamen denunciationes in Eccleſia fieri debeant, vt ſi aliqua ſubſint impedimenta facilius detegantur, niſi ordinarius illius loci aliter iudicauerit expedire; vt prædictæ denunciationes omittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio idem concil. in dicto cap. relinquit: ideo plures ſunt caſus, in quibus illis omiſſis Epiſcopus ne fiant, poterit diſpenſare.

Primus, cum magnatibus, qui magna cum deliberatione

ſolent connubia, & matrimonia tractare.

Secundus, propter contrahentium verecundiam, vt ſi egregiè natas, infimæ conditionis mulierem ducat; aut ditiſſimus pauperem, aut ſenex puellam: Nauar. cap. 22. num. 70. §. aduertendum.

Tertius, quando timetur periculum, ne per denunciationes obſtacula potius obijciantur ne fiant, quam detegantur impedimenta, Sotus diſt. 28. q. 1. art. 2. quæ omnia ex ſpecialium caſuum deciſione faciliora reddentur.

Prima, Virgo ſub tutela iniqui tutoris conſtituta, ſi clandeſtinè contrahit, ne tutor eam viro ignobili, ac indigno tradat in vxorem, non peccat: Nauar. cap. 16. nu. 37. Couuar. de ſponſal. capi. 6. nu. 7.

Secunda, confeſſarij, & teſtes, qui curauerunt, vt quidam gladio grauiter ictus, & iam iam moriturus, duceret in vxorem concubinam ſuam, ex qua liberos ſuſceperat, quo illos faceret legitimos, non peccant, nec aliquas cenſuras incidũt, & matrimonium eſt validum: Nauar. cap. 16. num. 37. & Graff. lib. deciſ. 2. cap. 86. vbi multa habentur.

Tertia, concubinarij iter facientes, vel alia ratione comprehenſi, ſi in periculum ob concubinatum inciderent, poſſent ſubito matrimonium ſecreto contrahere, vt affirmarent ſe eſſe coniuges: Sotus diſt. 28. q. 1. ar. 2.

Quarta, clam contrahentes non peccarent mortaliter, quando ipſi in facie Eccleſiæ contraxerant bona fide, qui poſtmodum ſciunt ſubeſſe aliquod impedimentum, ac ſecreto impetrant diſpenſationem à Romano Pontifice, & nouo præſito conſenſu, ex vi diſpenſationis, ad euitandum ſcandalum, clam contrahunt matrimonium, vt res tutius agatur: Nauar. cap. 22. nu. 70. §. ſed quod valdè, & Sotus diſt. 28. q. 1. ar. 2.

Quinta, illi item, quibus maximè expediret coniugari, & valdè metuerent, elapſo illo tempore inhibẽdos fore ne contrahere poſſent, tunc ſi ſecreto in matrimonium conſentirẽt, animo poſtmodum publicandi non videntur peccaſſe mortaliter: Sotus loco citato. Attamen quando matrimonium contrahi poteſt coram Parocho, & teſtibus, ſemper eo modo

eſt

eſt contrahendum, quod ſentire videtur concilium, qua parte facit facultatem ordinario loci relaxandi denunciationes, quando ei videbitur conuenire; non enim facit facultatem remittendi præſentiam Parochi, & teſtium: Nauar. cap. 22. nu. 70. §. animaduertendum.

De Impedimentis non dirimentibus.

Quædam præterea ſunt impedimenta, quæ quidem impediunt ne contrahatur matrimonium; tamen ſi de facto fuerit contractum, non diſſoluitur; ſed contrahentes peccant, & afficiuntur alijs pœnis: quæ impedimenta ſunt duo, ſcilicet; Eccleſiæ vetitum, necnon tempus feriatum: Impediunt fieri, permittunt facta teneri: ad quæ reducuntur alia, quæ infra dicentur.

Primum, matrimonium de facto abſq; denunciationibus, ſed coram Parocho, & teſtibus contractum, verum eſt matrimonium: Nauar. cap. 22. nu. 69. & alij recentiores, ſed peccant ſic contrahentes.

Secundum, qui eſt in peccato mortali, non poteſt abſque nouo peccato mortali contrahere matrimonium: ſi tamen de facto contrahit tenet, vt probat S. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 19. §. fin. & eſt communis opinio.

Tertium, qui excommunicatus contrahit matrimonium, de facto tenet, per cap. ſignificaſti: Nauar. c. 22. n. 81. & alij.

Quartum, qui ſcienter cõtrahit cum excommunicato denunciato, vel publico clerici percuſſore, peccat mortaliter, quia communicat in ſacramento, ſed tenet matrimonium: Io. Viguer. cap. 16. §. 7. verſ. 8. & per extrau. ad euitanda.

Quintum, qui iurauit, vel vouit non contrahere matrim. ſi poſtea contrahit de facto fit periurus, ſed tenet matrimonium, per cap. de illis, & gloſ. in cap. mulieres, de iureiur.

Sextum, qui ſponſus de futuro ligatus eſt, ne cum alia contrahat, ſi tamen contrahit de facto cũ alia, per verba de præſenti tenet ſecundum matrim. quamuis copula nõ interſerit.

Septimum, qui contra legis, vel ſummi Pontificis prohibitionem contrahit, tenet matrim. quando ſcilicet talis prohibi-

hibitio non habet perpetuam cauſam prohibitionis: gloſ. in cap. tuam, de ſponſa duorum, & Couuar. 2. par. de matrim. cap. *6*. num. *6*.

Octauum, qui matrimonium cõtrahit contra Iudicis prohibitionem, quamuis id iure fieri nequeat; ſi tamen fiat, de facto tenet matrim. cap. 1. cum alijs, de matrim. contracto contra prohibitionem, vel interdictum Eccleſiæ: Syluest. Nauar. & alij.

Nonum, qui votum ſimplex caſtitatis emiſit, impeditur ne poſſit matrimonium contrahere: ſi tamen id de facto contraxerit, quamuis peccet grauiſſimè, tenet tamen matrimonium: Com. in cap. 2. 27. diſt. etiam ſi vterq; vouiſſet ſecundum communem opinionem, Nauar. cap. 22. nu. 72.

Decimum, qui etiam votum ſimplex religionis emiſit, non poteſt contrahere matrimonium; ſi tamen de facto contrahit, peccat, & tenet matrim. eſt communis opinio: ſed mortua vxore, non poteſt aliam ducere, quia non eſt ſublatum votum, ſed executio voti erat ſuſpenſa: cap. quidam, de conuerſ. coniugatorum: Ricardus, S. Tho. & alij, quos refert Victoria nu. 293.

Vndecimum, qui contra voluntatem, & iuſtam ſuorum parentum prohibitionem contrahit matrim. peccat mort. ſed tenet matrim. Nauar. cap. 14. nu. 15.

Duodecimum, qui aliquem baptizandum de rebus fidei inſtruit, non poteſt cum illo contrahere matrimonium, propter cognationem ſpiritualem, quæ oritur ex cathechiſmo; ſi tamen de facto cõtrahit, tenet matrimonium: Nauar. cap. 22. nu. 40. & 72. Vigue. c. 16. §. 7. verſ. 8. & cap. per cathechiſmum, de cognatione ſpirituali in *6*. & cap. ante baptiſmum, de conſecr. diſt. 4. quæ cognatio limitatur per concil. Trid. ſicuti quæ oritur ex baptiſmo.

Nota pręterea multa eſſe crimina, quibus prohibetur contrahere matrimonium, quæ tamen non dirimunt cõtractum; & inter alia inceſtus occupat primum locum; ſed hoc impedimentum duobus modis poterit conſiderari, Vno modo, quando talis inceſtus præceſſit matrimonium, quia tunc impedit, & dirimit; ſi tamen obtinuerit diſpẽſationem, & contrahit

trahit mortua vxore, poterit aliam ducere. Altero modo, quando poſt contractum matrimonium cognoſcit conſanguineam vxoris ſuæ: ſuper quo, quamuis Nauarrus varias adducat opiniones, an videlicet omnis inceſtus impediat matrimoniũ, & pro parte affirmante magna ſint fundamenta; vera tamen reſolutio eſt, hoc eſſe intelligendum de inceſtu tantum cum conſanguinea vxoris commiſſo, ita vt mortua vxore, non poſſit talis inceſtuoſus cum nulla alia vllo vnquam tempore contrahere in pœnam peccati, propter iniuriam matrimonio illatam: ita reſoluit Nauar. cap. 22. nu. 75. ita etiam ex cap. 1. de eo, qui cognouit conſang. vxoris ſuæ; Armilla,&c. poterit tamen ſuper hoc Epiſcopus diſpenſare, vt docet idem Nauar. cap. 22. nu. 75.

An verò, qui mortua vxore, cognouit eius cõſanguineam, ſit inceſtuoſus dicendus, & impediatur ad contrahendũ cum quacunq; alia: Sotus 4. diſt. 37. q. vnica, credit non impediri, quia nullam iniuriam fecit matrimonio; Ad hoc autem, vt quis hoc impedimento impediatur, neceſſe eſt, vt vir talem conſanguineam cognouerit intra vas naturale feminis commixtione ſequuta; vnde ſequitur conſanguineos, vel affines intra quartum gradum non poſſe licitè contrahere matrimonium, nec contractum valere: per cap. non debet, de conſanguin. & affin. concil. Trid. tamen limitauit impedimentum affinitatis ex illicita copula natum, ad primum, & ſecundum gradum tantum: ſeſſ. 24. cap. 4. de reform. matrim. Si autem cognouerit quis conſanguineam vxoris ſuæ ignorans eſſe talem, non impeditur ſaltem à petitione debiti, quia re vera non commiſit inceſtum; Victoria in ſumma nu. 238. & Palud.

Secundum crimen eſt Vxoricidium, quod etiam dupliciter conſideratur, nam aut vir occidit vxorem propriam, vt aliam duceret: aut alia de cauſa: ſi vir occidit vxorem primo modo, non poteſt aliam ducere abſque diſpenſatione: ſi tamen de facto contrahit, factum tenebit, per text. cap. admonere 33. q. 2. Hoc tamen impedimentum non contrahit, qui publica auctoritate vxorem occidit, ſed tantum, quando auctoritate propria occiderit, cum cauſa, vel ſine cauſa, & pec-

eſt mortaliter, per S. Thom. in additi 3. p. q. 61. ar. 1. & 2. quod etiam impedimentum contrahit vxor occidens virum ſuum: per Palud. 4. diſt. 34. quam ſequitur Nauar. c. 22. n. 74.

Tertium crimen eſt Raptus alterius ſponſæ, quod impedimentum ante concilium erat impediens tantum, nunc verò ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. matrim. non ſolum impedit, ſed etiam dirimit matrimonium ſic contractum, niſi rapta ſepararetur, & in ſua libertate relinqueretur ad conſentiendum, & contrahendum, aut non; Et eſt notandum concil. Trid. ibi non loqui de ſponſa alterius tantum, ſed de quacunque alia muliere virgine, aut non virgine, quæ fuerit rapta per vim; ita vt matrimonium generaliter inter raptorem, & raptam contractum minimè teneat, dum nulliter in raptoris fuerit poteſtate, iuxta can. 66. SS. Apoſt. quod impedimentum per concilium factum eſt dirimens, quamdiu rapta fuerit in poteſtate raptoris his verbis.

Decernit ſancta Synodus inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium; quod ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in vxorem habeat: nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & fauorem præbentes, ſint ipſo iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumq; dignitatum incapaces; & ſi clerici ſint, de proprio gradu decidant: raptor præterea teneatur mulierem raptam, ſiue eam vxorem duxerit, ſiue non, decenter arbitrio Iudicis dotare.

Quartum crimen eſt Occiſio presbyteri, per cap. qui presbyterum, de pœnit. & remiſſ. quamuis Panorm. dicat id non habere locum, niſi in iudicio conuincatur.

Quintum eſt Malitioſa proprij filij de fonte ſusceptio, animo ne vxor debitum exigere ab ſe poſſit, idemq; dicendum, ſi de chriſmate leuet, vt docet Caiet. verbo matrim. Armilla eodem verbo nu. 59. & cap. eodem 3. q. 1.

Sextum eſt Pœnitentia ſolemnis iniuncta, & facta: cap. de his: S. Tho. Angel. Sylu. Armilla, & cap. antiqui 33. q. 2.

Septimum crimen eſt Matrimonium ſcienter contractum

cum moniali: cap. ſi ergo qui 27. q. 1. quæ quidem impedimenta omnia partim ſunt introducta iure naturali, partim verò iure canonico, vti docent Caiet. Armilla, & ferè omnes, contra quæ contrahere, vt plurimum eſt peccatum mortale, & præſertim contra ſeptem illorum, videlicet.

Primò, quando quis habet votum ſimplex caſtitatis.

Secundò, quando habet votum ſimplex religionis.

Tertiò, quando eſt in peccato mortali.

Quartò, quando eſt excommunicatus.

Quintò, quando cum alia erat deſponſatus per verba de futuro.

Sextò, quando contrahit contra interdictum Eccleſiæ, vel Iudicis.

Septimò, quando contrahit cum excommunicato.

Super quibus impedimentis, omiſſis altercationibus, poteſt Epiſcopus in omnibus impedimẽtis, impedientibus tantum, legitimè diſpenſare, exceptis votis Religionis, & Caſtitatis: Nauarr. cap. 22. nu. 85.

De Legum, ſeu Statutorum obligatione.

CVm finis legis ſit inducere homines ad bonum, eosq; à malo retrahere, cumq; ſit regula humanorum actuum, quæ eſſentialiter eſt dictamen prudentiale, ſiue practicum in eo, qui & dignitate, auctoritate, cæteris antecellit; quo aliqua ordinantur faciẽda, vel omittenda, tanquam ad bonum commune vtilia, vel neceſſaria, cum publicatione inferioribus debitè facta; quæ lex ideo à ligando dicitur, quod ſubditos ad agendum obliget, aut ad deſiſtendum ab actione: propterea de ratione, & eſſentia legis ſunt quatuor, ſcilicet.

Primum, quod ſit dictamen rationis prudentiale, ſeu practicum.

Secundum, quod ſit ordinata à Principe, vel Superiore, & habente ius, & poteſtatem condendi leges.

Tertium, quod ſit ordinata ad bonum commune, non autem ad priuatum commodum.

Quar-

Quartum, quod ſit debitè promulgata, vt ait Iſidorus in lib. Aetimol. ſeu originum quinto: & habetur in cap. erit lex 4. diſt. vbi dicitur, Erit autem lex honeſta, iuſta poſſibilis, ſecundum naturam, & conſuetudinem patriæ, loco, temporiq; conueniens: neceſſaria, vtilis, manifeſta, nulloq; priuato commodo, ſed pro communi vtilitate conſcripta; ex quibus ſequitur, Primò, quodcunq; ſtatutum, ſeu quamcunque ordinationem factam, aut promulgatam contra dictamen rationis naturalis, quæ eſt baſis, ſeu fundamentum cunctarum legum, non eſſe legem, neq; ligare quemquam: Item neque legem, ſeu quamcunq; ordinationem inferioris, factam contra legem ſuperioris, debere dici legem, ſed errorem intolerabilem, cui non eſt obediendum in cap. per tuas, de ſenten. excom. Secundò, quicunq; ſunt depoſiti à principatu, & qui nullam auctoritatem communem habent, quamuis ſint ſapientes, legem condere non poſſunt. Tertiò, ſequitur eas ordinationes, quæ fiunt cõtra bonum commune, vel in diſpendium, aut damnum Reipublicæ, non eſſe leges, nec quemquam obligare.

Quantum verò ad promulgationem attinet, ſat erit, ſi publicè ſit lex proclamata in locis ſolitis, & ante promulgationem neminem ligare, ſed ligare incipit à die ſcientiæ, & notitiæ ſaltè in foro interiori, immo & exteriori ſi põt probari.

Actus legis quattuor eſſe inueniuntur, in cap. priuilegia, §. officium: & cap. omnis 4. diſt. videlicet, Imperare, Vetare, Permittere, Punire.

Imperare idem eſt, quod præcipere, præceptum autem importat applicationem legis ad ea, quæ ex lege regulantur, & obligationem alicuius quod fieri debet: quod autem aliquid fieri debeat, prouenit ex neceſſitate, vel vtilitate alicuius finis: & ſic de ratione præcepti eſt, quod importet obligationem in ordine ad aliquem finem; vnde in cap. quod præcipitur 14. q. 1. & ex D. Gregorio in epiſt. ad Iouinianum, habentur hæc verba: Quod præcipitur, quod imperatur, neceſſe eſt fieri, ſi non fiat pœnam habet; vbi conſilium eſt, datur offerentis arbitrium: vbi præceptum, neceſſitas eſt ſeruientis, vt obediat.

Se-

Secundus actus eſt Vetare, ſiue prohibere; quod eſt reſpectu alicuius mali, vel incommodi.

Tertius actus eſt Permittere, qui ſecundum ſe eſt circa indifferentia, quæ de ſe non proſunt ad finem, neq; prꝫſtant impedimentum, & tribus modis dicitur aliquid permitti: Primò, quod nullo iure prohibetur, vt contrahere ſecundas nuptias. Secundò, quando contra humanas leges indulgetur, vt contrahere in gradibus prohibitis. Tertiò, vt vitetur maius malum, ſiue illicitum, & ſic permittuntur meretrices, vt vitentur adulteria.

Quartus actus eſt Punire, quod nihil aliud eſt, quam deordinationem culpæ factam per transgreſſionem, per pœnam reordinare, vt docet Viguer. Quomodo autem, & quibus verbis poſſimus cognoſcere, an aliquæ leges, & præcepta ligent ſub pœna peccati, vt communiter dicitur: Quando lex, vel legislator vtitur his communibus verbis, Decerno, ſtatuo, volo, ordino, mando, & ſimilibus, quæ non ſunt præceptiua, non obligat ad peccatum ſaltem mortale, vt docet Panormitan. in cap. nam concupiſcentiam, extra de conſtitut. Si verò in lege, aut ordinatione continentur verba præceptiua, vt ſunt, Præcipimus, iubemus, mandamus, ſtatuimus, cum ſequenti determinatione, in virtute ſanctæ obedientiæ, & Spiritus ſancti: aut ſub pœna excommunicationis, inobedientiæ, carceris, aut alia notabili pœna, quæ importet infamiam, vel notabile damnum corporis, aut fortunarum, tunc eſt præceptum, & obligat ad mortale tranſgrediens.

Item quomodo cognoſcatur ex alio, quam ex verbis legem humanam eſſe præceptiuam, dicendū eſt. Primò, ſi conſtat materiam eſſe præceptiuam, vt quia eſt de neceſſarijs ad iuſtitiam, ad charitatem, aut ad diuinam reuerentiam, ſic eſt præceptum, vt puta, quod non fiant matrimonia clandeſtina, vt corrigatur frater, vt non communicetur quis pleno ſtomaco, ſed ieiuno, ieiunio naturæ, in quo ſtandum eſt ſententiæ communi Doctorum.

Secundò, ſi verò non conſtet de materia, & conſtet de in-

tentione ſtatuentis, quod fuerint præceptiua, eſt præceptum, quia intentio præponderat verbis.

Tertiò, ſi verò nec de materia, nec de intentione ſic conſtet, reſpiciendum eſt ad pœnam, ſi qua ponitur, etiam ſi imponitur pœna ſpiritualis, vt excommunicationis latæ ſententiæ, tunc eſt præceptum ſecundum omnes, & qui contrafacit peccat mortaliter, niſi contineret intolerabilem errorem, vel quia eſt iniuſta, & lata ab homine, non ſeruatis de iure ſeruandis: nullus enim, niſi propter peccatum mortale, excommunicandus eſt, cum tale peccatum ſit materia, ſeu cauſa excommunicationis. Item ſi opponatur pœna excommunicationis comminatoria, id eſt non latæ, ſed ferendæ ſententiæ, etiam ſi ſit ab homine. Item ſi imponitur pœna ſuſpenſionis, depoſitionis, vel interdicti. Item ſi imponatur pœna indignationis, & maledictionis æternæ. Item ſi imponatur pœna corporalis, puta mutilationis, fuſtigationis, aut pœna mortis, quia talis pœna, niſi pro rebus grauiſſimis imponitur: ita Sylu. verbo præceptum per totum, & habetur in cap. nemo: cap. nullus 11. q. 1. niſi prærequirat monitionem: & idem dicendum de lege, quæ continet has, aut alias pœnas temporarias coniunctim. Item quando dicit arctè præcipimus: in virtute obedientiæ præcipimus: ſub obteſtatione diuini iudicij præcipimus. Item quando legiſlator vtitur hoc verbo, oportet, quod in lege canonica tãtum obligat, quantum illud debet, aut obligatur: quia vſus ſacrorũ canonum, & ipſorum interpretum, ita communiter interpretatur: Medina in Cod. de pœnit. tractatu 4. de ieiunio, q. 7. & iuxta glo. cap. 1. de præſcript. lib. 6.

Ad cognoſcendum igitur, quæ ſtatuta eccleſiaſtica obligent ſubditos ſub pœna peccati mortalis, cum non ſit veriſimile, quod omnia obligent ſub hac pœna: neq; hoc eſt affirmandum, quoniam humana ſtatuta non ſunt magis priuilegiata, quam mandata diuina: conſtat enim non omnia mandata diuina obligare ſub pœna peccati mortalis, ſicuti nec omnia mandata iuris naturalis. Vt igitur clarè cognoſcamus, quando humana ſtatuta, ſeu leges obligent ad mortale,

recurrendum eſt primo ad intentionem legiſlatoris, ad materiam legis, & ad verba ipſius, an ſint præceptiua, nec ne: vt habetur ex Clement. Exiui de Paradiſo, de verb. ſignif. vbi Clemens Papa exponendo regulam minorum, dicit; Si conſtat de intétione legiſlaroris, tunc facilè erit ſcire, quod quæritur; quia ſi legiſlator non habet intentionem obligandi, neq; ipſa lex obligabit: Si autem de animo legiſlatoris non conſtet, ad verba legis recurrendum eſt, quæ poſſunt eſſe præceptiua, vt ſi ſonet lex, præcipimus, iubemus, ſub pœna inobedientiæ iniungimus; aut alijs ſimilibus verbis notatur; tunc ex communi ſententia lex illa obligat ad mortale. Vel poſſunt eſſe non formaliter præceptiua, ſed præceptionis æquipollentia, vt ſi lex ſonet, debet, oportet, non licet; aut ſi vtatur verbis, quæ neceſſitatem importent, tunc lex obligat, ac ſi præceptiua formaliter eſſet. Vel poſſunt eſſe verba communia, vt ſi lex ſonet, ſtatuimus, volumus, ordinamus, &c. tunc videatur, quæ pœna tranſgreſſoribus apponatur, ſcilicet leuis, aut notabilis: vt ſi illud ſtatuat ſub pœna mortis, aut perpetui carceris, aut excommunicationis, irregularitatis, ſuſpenſionis, degradationis, priuationis eccleſiaſticæ ſepulturæ, &c. tunc quia huiuſmodi pœnæ, non niſi pro mortalibus infliguntur, ſatis patebit eas obligare ſub pœna peccati.

Quod ſi nec de intentione legiſlatoris ſufficienter conſtat, nec ex verbis legis, nec ex pœna appoſita, quia fortè non apponitur, ſed lex tantum verbis communibus vtitur, ita vt dubitetur an obliget, tunc ad materiam recurrendum erit, quæ tanti ponderis eſſe poterit id facere, quod lege illa ſtatutum eſt, vt omiſſio ipſius ſit valdè periculoſa; & tunc talis lex, aut decretum, ſeu ſtatutum, putandum erit obligare ſub pœna peccati mortalis. Poterit è contra eſſe de eo leuis materia, vt nullum quaſi periculum ſit prætermittere id, quod ſtatutum eſt; & tunc tale ſtatutum non obligat ad mortale.

Quod ſi quis poſt hæc omnia, maneat adhuc dubius de vigore ipſius legis, an ſcilicet obliget, vel non; tunc ipſa con-

ſcientia dubia, quæ temere deponi non debet, faciet legem ipſi dubitanti, tunc enim id faciet, & teneat, quod tutius eſſe cognouerit, ne conſcientiæ propriæ contrauenîendo ædificet ad gehennam: ita docet Medina Codice de pœnit. q. 7. circa finem.

Vnde datur regula certiſſima hæc, quæ ſequitur; videlicet omnis lex, quæ abſolutè fertur (hoc eſt) quæ contrarium non explicat, obligat ad culpam, vel venialem, vel mortalem, ſecundum precium operis: ratio eſt, quoniam lex ſecum affert præceptum obedientiæ; obedientia autem virtus eſt per ſe, & inobedientia peccatum; quo fit, vt quicunq; legem ferre voluerint, ſiue ſeculares Principes, ſiue eccleſiaſtici præpoſiti, quæ non obliget ad culpam, illud debent explicare.

Item regula infallibilis eſt, quod in neminem poteſt Princeps pœnā capitis, aut mutilationis, aut exilij, aut bonorum publicationis decernere, niſi pro tranſgreſſione, vel omiſſione legis, quæ ſit culpa lætalis: proinde leges, quæ obligant ad pœnam, obligant etiam ad culpam cum pœna ſuapte natura geminus effectus, & apertum inditium ſit culpæ: hæc Sotus de iuſtitia, & iure lib. 1. q. 6.

Præter hæc videndum eſt, an æquè omnes ſubijciantur legibus Principum ſecularium: cui dubitationi dicendum eſt: Quemadmodum leges Hiſpanorum Principum, non obligant Gallos, aut alias nationes, non ſibi ſubditas: ita neque ſeculariorum Principum legibus, aut decretis ſubduntur clerici, quando præſertim de rebus Eccleſiæ decernunt, vt patet per cap. Eccleſia de conſtit. aut quando talia ſtatuta, decreta, & leges fiunt in odium clericorum: Quorum tamen leges, cum de rerum precijs tractant, aut ne merces extrahantur extra Regnum, atque aliæ id genus, æquè ferè obligant ſeculares, & clericos: vt Summiſtæ in verbo lex: & in verbo clericus apertiſſimè declarant.

De

De Tranſgreſſione Legis, &c.

INobedientia prout eſt ſpeciale peccatum, eſt quando quis ex propoſito, & intentione contemnit præceptum: Quando ſcilicet in exequendo intendit facere contra præceptum, vel in deſpectum præcepti ſuperioris: & talis contemptus, dicitur contemptus formalis, & ſpeciale peccatum mortale ex ſuo genere: vbi docet Viguerius cap. 5. §. 9. verſ. 1.

Tranſgredi legem ex contemptu is dicitur, qui principaliter mouetur ad id, eo quod illam, vel illius auctorem paruifacit; non autem qui mouetur, & inducitur ad id principaliter propter iram, auaritiam, aut aliam etiam iniuſtam cauſam; aut propter conſuetudinem peccandi, quæ tamen multum valet ad præſumendum huiuſmodi contemptum, quoad forum exterius, non autem quoad forum interius, in quo ſola veritas conſideratur: Nauar. cap. 23. nu. 42.

Vnde lex conſilij propter contemptum, efficitur lex præcepti; vt gloſ. in cap. quis autem, diſt. 10. not. in cap. nam concupiſcentiam: de conſtit. & peccatum veniale ex contemptu, & animi præparatione, mortale efficitur; iuxta gloſ. 25. diſt. cap. vanum orarium, in verbo plus accipit: qui etiam rem minimam tranſgreditur vt præcipientis voluntatem eludat, aut irrideat, non obſeruãs rem eſſe minimam, nec ea ex cauſa ad id induxit animum, tunc mortis æternæ laqueis ſciat eſſe compeditum.

Iuſta, & rationabilis cauſa tranſgrediendi legem, excuſat à mortali peccato, iuxta S. Thom. prima 2. quæſt. 96. ar. 6. & illa videtur iuſta cauſa, quam ipſemet legiſlator admitteret. Exempla ſumito tam ex iure naturali, quam ex poſitiuo: lex namq; illa naturalis; non occides; per humanas leges, ita explicatur, vt conſtat per eam homicidium ad defenſionem minimè prohiberi, naturalis enim ratio dictat, defenſionem omnibus permiſſam eſſe, l. vt vim. ff. de iuſtitia, & iure: ſic etiam illa lex, non furtum facies, ſic eſt intel-

telligenda, vt furtum committere, non dicatur, qui famæ coactus, victus gratia rapit alienum, cap. ſi quis propter: de furt. cap. diſcipulos de conſecr. diſt. 5.

Item circa ius poſitiuum, ſi mihi conſtaret hoſtes in via paraſſe inſidias, non teneor die feſto ire ad audiendum ſacrum; immò etiam in conſulto Prælato, ſi ſubditus eſt certus, quamuis nullum ſit in mora periculum, poteſt agere cõtra legem: nam qui in die ieiunij nihil aliud habet, quod comedat, quàm carnes, abſq; vlla ſuperioris conſultatione poteſt illas ne fame pereat comedere, etiã ſi citra periculum poteſt ipſum adire: arg. text. in cap. licet, de pœnitent. & remiſſ.

Pro quorum maiori declaratione ſit hæc ſequens regula. Si ſubdito palam liquet occurrenti caſu, non eſſe legis mentem, vt ſeruetur, & tunc ſiue ſublatum ſit periculum, ſiue tempus adeundi legislatorem ſuppetat, abſq; illius prorſus conſilio, licet facere contra legem ſine peccato. Aut ſubditus eſt in dubio veri parti aſſentire debeat, liceat ne facere, contra legem, nec ne; tunc ſi habet tempus recurrendi ad ſuperiorem, debet recurrere: ſi verò repentinum periculum id non permittit, ad literam ſeruanda lex eſt; quia ſubdito tali caſu legem interpretari non licet.

Si verò medio modo ſe habeat, ita vt nec certus ſit omninò, nec etiam omninò ambiguus, ſed in illam partem pendeat, qua poteſt facere contra legem; tunc ſi tempus conceditur, vt poſſit legislatorem adire, id facere tenetur.

Si verò per ſubitaneum periculum id non licet, tunc tutò poterit facere contra legem: Caiet. ſuper D. Tho. 1. 2. q. 96. art. 6. Sotus de iuſt. & iure lib. 1. q. 6. art. 8. relati à Graffio lib. 1. deciſ. cap. 14. num. 14.

Omnis igitur tranſgreſſio præcepti, mandati, vel conſilij, ſi fiat ex contemptu negatiuo, ſemper eſt mortale peccatum, ſi Dei lex, quam violat eſt præceptiua: Item ſi talis contemptus eſt poſitiuus, ſi ſit contra legem Dei, & cuiuſcunque ſuperioris, qui poſſit de iure concedere legem, & præcipere, omnis tranſgreſſio ex tali contemptu ſemper eſt mortale

pec-

peccatum de ſe, quia formaliter eſt ſuperbia; Præceptum enim de dilectione proximi, quis tranſgreditur negatiuè non amando, & poſitiuè odiendo.

Negatiuus contemptus, ideſt contradictorius eſt, quando aliquis de aliquo nihil curat, vel nihil facit, ſed nullam ei facit iniuriam.

Contemptus verò poſitiuus, ſeu contrarius eſt, cum irrogatur irreuerentia, vel iniuria, verbis, aut factis vilificando, vel non obediendo vbi, & quando obligatur.

Poſitiuè igitur, vel propriè quis dicitur tranſgredi præceptum, ſiue legem alicuius, quando ex hac ſola cauſa tranſgreditur, quia non vult ſubijci legi.

Negatiuè autem, ſiue impropriè, quando vult tranſgredi legem ex aliqua alia cauſa, puta ex ira, ignorantia, aut conſuetudine: ita Sylu. verbo contemptus: ex S. Thom.

LAVS DEO.

Digitized by Google

13-643-19

DE VNIVERSORVM HOMINVM

Ex ipſo iure originis naturalis, ſubiectione, temporali Principum laicorum poteſtati, qualis ſit, & quàm latè pateat; qua origine Regna, & Imperia in mundo ſubſiſtant.

Breuis animaduerſio eiuſdem Patris Magiſtri F. Angeli Vancij Ariminen.

ET quidem ſi ortum, & genus noſtrum à Mundi creationis initio ſpectemus, omnes ex vno primo parente Adamo, à ſolo D. O. M. creato, ex ipſo limo terræ immediatè, ex ſacris litteris genitos eſſe, omninò conſpicuum eſt; idem ius naturæ apud omnes homines: omnes ex illo non ente, ſeu, ex luto terræ prodiere in lucé: & quo ad corpus, & animam, non alio modo, neque perfectiori, quàm illis verbis; Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & de anima ſpeciatim dictum eſt; Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ: ipſi quoque Reges; vt Sapiens inquit, Sapiétiæ cap. 7. primam vocem emittunt plorantes: qui tamen nulli ſubduntur per originem (vt præfertur) neque ergo alij homines à natura principibus traduntur: ſed omnes miſeri naſcimur, natura filij iræ, vt loquitur Apoſtolus ad Epheſ. 1. cap. 2. omnium indigentes: & vna omnes manet mors vltima. Vnius naturæ vnus eſt modus producendi, ait Auer. 4. Meth. At humana natura vnius ſpeciei eſſentialiter omnia indiuidua amplectitur; de illis in quid prædicatur; nullo habito reſpectu Principum, aut ſeruorum. Deus enim ex vno fecit omne genus humanum, Act. cap. 17. Natura omnes eodem modo generationis ex vtroque parente; eadem

poſt nouē menſes natiuitate; eiſdem principijs, materia, forma, priuatione: quatuor elementorum qualitatibus, calore, frigore, humido, & ſicco; eodem inſtinctu non errante; anima intellectiua à Deo producta, ſuis prædita facultatibus, memoria, intellectu, & voluntate, in lucem nos emittit. At ex vario ſeminū temperamēto, vt Galenus docet; ex ipſis (vt vocant Peripatetici) proprietatibus indiuiduātibus, prodeunt hi magis apti ad imperandum; alij ſeruitutibus idoneam conditionem nanciſcuntur; quidam litterarum ſtudijs incumbunt; nonnulli artes amplectuntur mœchanicas; alij militiæ ſe dant: ſicq; diuerſa extant hominum ingenia. Natura (clamat Ariſtoteles) omnes homines ſcire deſiderant; nec ipſe, aut quiuis alius vnquam dixerit, naturam aut noſtram humanam, nimis vero animalem; ſed neque communem, oībus hominibus ius indidiſſe ſubiectionis erga Principes, ob eorum, quā fruuntur temporalem poteſtatem, non profectò à natura illis conceſſam; alioquin omnes homines pari modo forent Principes, nullaq; ſubiectio. Neminem ergo natura ſubiecit, nulli nouerca, æqua mater, oēs amat.

Vt autē ipſius naturæ inſtinctu homines congregari ſimul cœperunt, ne iniurijs cœlorum afficerentur, more beſtiarum vitam ducerent, & à feris lacerarentur, vt Plato in Protagora obſeruat; familiæ, villæ, oppida, ciuitatesq; ſunt conſtitutæ; prouinciæ, regna, atq; imperia cœperunt. Rationem quoq; reddit Ariſt. 3. Polit. cap. 4. quia homo eſt animal ciuile, ſociabile; & c. 11. natura docente, multitudo cœpit habere Regem, ſeu moderatorem, aut principem vnum, qui vel alios antecelleret virtutibus, & bonis moribus; vel certè, qui plura in patriam beneficia cōtuliſſet, is princeps ab alijs ſponte haberetur. Et ex Platone in Gorgia; qui melior, & prudentior alijs dominetur. Verùm, qui cum ipſo Platone aſſerunt, ortum Regnorum cœpiſſe poſt diluuium, propter dominationem ipſius Nembrot tyrannicam, certè non rectè iudicant; nam copioſiſſima tunc antea hominum multitudo erat, non abſq; capite vno; quo ſine; iuxta Ciceronem 3. de legibus; non domus vlla, non ciuitas, nec gens, nec vniuerſum hominum genus ſtare poteſt. Ac D. P. Auguſt. 15. de Ci-

uit. Dei, putat, Caim primum fuiſſe Regem, qui primã quoque Enochiam ciuitatem ædificauerat, hominesq; ad ciuilem vitam aduocauerat è ſiluis, ſpeluncis, ſub die prius viuentes, an verò vi armorum tyrannide, an propria ſponte fuerit hic primus mũdi principatus, quis mortalium nouit? Regna ergo, generatim loquendo, iure gentium in mundo apparuerunt; eodem iure, omne temporale dominium; & ita legimus l. ex hoc iure, ff. de iuſt. & iur. & apud D. Thomam, & Aegidium Romanum de Regim. Princ. quos ſecuti ſunt, qui poſtea de iure dominiorum, vel principatuum, & de ratione ſtatus verè ſcripſerunt.

Sed neq; de dominij ſpeciebus ſatis conſtat, quonam pacto, vi, liberè, per electionem, vel iure hæreditario, donatione, vel emptione, Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia, niſi eodem iure gentium eluceant: omne quidem dominium homini competit, & ſoli homini; ſed nõ omni homini, cum poteſtate ſibi alios ſubijciẽdi; neq; id colligitur ex illo Gen. cap. 1. Dominamini, &c. nam quemadmodum legimus apud D. P. Auguſtinum lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 15. hominem ad imaginem Dei factum, voluit Deus irrationabilibus dominari, non hominem homini: conditio ſeruitutis intelligitur impoſita peccatori: nomen ſeruitutis meruit culpa, non natura, quæ omnes æquales genuit: hæc Auguſtinus: ſeruitutem D. Thom. deducit ex ipſo iure poſitiuo, 4. ſent. diſt. 36. & lex ciuilis introductam affirmat iure gentium, vt habetur in l. ex hoc iure, ff. de iuſt. & iur. immò verò quædam leges ſeruitutem abominantur, tãquam naturæ contrariam, vt quæ à natura minimè fuerit importata: verumtamen ipſius naturæ peccato corruptæ, non ſeruato ordine, introducta ſunt bella, regna, & ſeruitutes; quæ mala homo non vidiſſet, ſi in ea, quæ fuit à Deo innocẽtia conditus, perſtitiſſet.

Quicunq; homo hactenus natus, naſcitur, & naſcetur, Eccleſiæ potius ſtatim ſubditur, quam cuiuſuis laici principis poteſtatem agnoſcat; etenim natiuitas eſt de iure naturali; regia poteſtas à Deo quidem; quoniam non eſt poteſtas, niſi à Deo, ad Rom. 13. non tamen proximè; ſed ad iura gẽtium ſpectat: de iure diuino ea eſſe affirmamus, quæ Deus ipſe im-

mediatè fieri mandat; in particulari quidem fatendum eſt, quoſdam fuiſſe à Deo per ſe conſtitutos principes; ſic Moyſes ſupra Iſraeliticum populũ, ſic Ioſue, ſic Dauid, ſic D. Petrũ, Tibi dabo claues, &c. Matth. cap. 16. his exceptis, nullibi legitur, nullibi habetur Rex à Deo poſitus. Eccleſiam verò Catholicam iuris eſſe diuini, nec hæreticus inficiabitur, aut negabit ſchiſmaticus: & quidem ſi innocétiæ ſtatus perſeueraſſet, filij, qui naſcerentur, iuſtitia originali decorati, ſcientia rerum inſtructi, fide rerum ſupranaturalium præditi, Eccleſiæ Dei membra forent; non laica poteſtate ligati; quæ qualis nunc eſt, nulla profectò fuiſſet, vel alterius rationis, mitior, ac benignior, ciuilis. Corrupto verò genere humano per peccatum, ipſomet ortu naturali, filij omnes originali macula infecti, ſtatim Eccleſiæ auctoritati ſubdebantur, à qua per remedium à Deo parentibus inſinuatum (quale illud fuerit ante legem latam) mundati, & ſanctificati reddebantur, donec Circuncifio, ac demum Baptiſmus eſt inſtitutus. Omnes autem, dicente D. Paulo, naſcimur natura filij iræ; à qua nequaquam princeps mundanus nos liberat, ſed ſacramentum Eccleſiæ: qui autem ab Eccleſiæ dominio ſe ſubtrahit, timeat illud Patris Auguſtini lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 21. eſt iniuſtus, nullaq; iuſtitia eſſe poteſt, quæ hominem auferat à Deo; cui quiſque naſcitur dicere debet illud Dauid: Suſcepiſti me de vtero matris meæ. Pſal. 138.

27 Accedit, quod eſt maxima conſideratione dignum, & in lege naturæ, & ſcriptæ, in ſummis Sacerdotibus elucebat vtraque poteſtas, regia, & ſpiritualis; quibus mirum in modum gloriabantur Romanorum, Græcorum, aliarumq; gentium principes: ſic D. Iſidorus, maiorum extitiſſe morem, vt Rex eſſet, & ſacerdos: in lege naturæ, Melchiſedech fuit Rex, & Pontifex: Noe, Abraham, Iſaac, Iacob tam in iis, quæ ad religionem, quam in politicis præerant: obſeruat quoque D. Hieronymus in quæſt. hæbraicis, omnes primogenitos antiquæ ætatis, hac duplici gloria fuiſſe inſignitos. Certè Moyſes fuit princeps principum, & ſacerdos ſacerdotum, inquit D. Nazianzenus orat. coram Greg. Niſſ. Hæc duplex poteſtas ſpiritualis, ſimul & temporalis, ad Samuelis

tempora vſque peruenit; quas cum Iſraeliticus populus iam vellet ab inuicem ſeparare, & Regem nouum cum ſola temporali, diutius, inſtanterq; peteret; ſpirituali item ſola in Samuele ſummo ſacerdote permanente; & ipſe id egrè tulit, & Dominus indignatione motus, eum ita conſolatur; Non te, ſed me abiecerunt, ne regnem ſuper eos; cum tamen ipſius Dei dominium haud detrectare poſſent, per quem Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Prouerb. c. 8.

Hæc vtraque poteſtas ſpiritualis, & tẽporalis, longo tempore ab inuicem ſeiuncta ante Chriſtum Dominum viſa eſt; cum in populo hebræorum, ſacerdos alius foret; alius verò Rex Iſrael, & Rex Iuda: quod ſi apud Gentiles, ſimul cohærerent in vno principe; quod facilè credi poteſt; id, tãquam Idolorum facinus execrabile prætermittatur. Si quando verò Rex iura ſacerdotis in veteri lege vſurpaſſet, nõ in exemplum eſt deducendum: qua in re, ſi Salomon Abiathar ſacerdotem ab officio amouit, fortè peccauit ipſe ex ira, contra fratrem Adoniam concepta, cuius partes adiuuabat Abiathar, vt Adonias Regno potiretur: vel ſi iuſtè hoc fecit, vt propheta non niſi Dei inſpiratione, vel accepta à ſummo ſacerdote poteſtate: præterquamquod id condonari poſſet imperfectioni illius ſtatus. Pariter dum Ozias Rex mundanus incenſum Domino adoleuit, & increpatus eſt acerbè ab Azaria, & octoginta ſacerdotibus, qui conſecrati à Domino, dixerunt: Egredere de ſanctuario, nè contempſeris, quia non reputabitur tibi in gloriam. 2. Paralip. cap. 26. & à Domino miſerè lepra inſigni percuſſus eſt. Quid in noua lege? Hęc ergo tandem duplex poteſtas, in Chriſto Domino emicuit, ſimulq; vnita ſuam accepit miram perfectionem. Ac de ſpirituali eſt extra omnem controuerſiam cum ipſis inimicis.

11 De temporali verò, nonnulla difficultas etiam apud noſtrates. Hugo adeo remotam facit temporalem, & imperatoriam priorem, vt fermè negare videatur ſimul eſſe poſſe: Nicolaus Sanderus omnino negat: Ambroſius Catharinus in 13. cap. ad Rom. non modo negat; verùm etiam contrarium ſentientes increpat ignorantiæ, & inſcitiæ, atq; ſuum placitum probat; Chriſtum Dominum nequaquam

fuiſ-

fuiſſe orbis principem: Sotus in D. Matth. cap. 1. & 2. longo ſermone idem oſtendit; affirmantes verò ſuperficietenus moueri, & nimia ſimplicitate quidam Neotericus Theologus longiſſimo ſermone apud Celſum Mancinum, & alij pariter. Nobis inſtar omnium erit Theologorum coryphæus D. Thomas, & de regim. principum lib. 3. cap. 12. 13. 14. & 2. ſent. in calce. Fidem nunc etiam accipiamus vel ab inimicis: Natum Chriſtum pij Reges magi quærunt, vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Cur quæſo de ſpirituali tantum poteſtate locutos, non de temporali etiam ſuſpicantur aduerſarij? indefinita locutio æquipollet vniuerſali. Item Herodes Rex turbatur, & cum eo omnis Hieroſolyma: ne in mentem quidem Herodi venerat ſpiritualis poteſtas; temporalem timebat amittere per Chriſtum. Pilato interroganti, an eſſet Rex Iudæorum: non negauit Chriſtus; ſed affirmans ait, Tu dicis: cúmq; ſubiptuliſſet; Regnum meum non eſt de hoc mundo, nimirum ab hominibus acceptum, vt D. Chriſoſtomus exponit; ſed à Patre datum: Pilatus cóclùdit, ergo Rex es tu? ratus Chriſtum Dominum aliunde eſſe Regem, & aliorum hominum, licet non Iudæorum. Simili modo Chriſtus reſponſum dedit Caiphæ ſacerdoti, dum ipſum interrogans ait: Adiuro te per Deum, &c. quo dicto, de ſpirituali loquebatur poteſtate; & Chriſtus affirmãs, inquit, Tu dicis, &c. Herodes, & Pilatus inter inimicos computamus; Magi autem amici ſunt omnium bonorum.

Pilato verò propria ſponte ſe Chriſtus ſubiecit iudicandum, qui in illum nihil poteſtatis haberet, iuxta doctrinam S. Thomæ, cui ob id Chriſtus dixit: Non haberes in me poteſtatem, niſi tibi deſuper datum eſſet: nota ergo ly datum; non dixit data poteſtas ad ipſum crucifigendum, ſed datum, hoc eſt permiſſum tibi exequi contra me volentem. Item cum Hebræi faterentur: Non habemus Regem, niſi Cæſarem: indicant ſe nolle Chriſtum Regem in temporalibus, quæ ipſos magis mouerent, quam ius ſpirituale, de quo forte ne cogitabant quidem. Et quid, quæſo, ſibi vult tam ampla locutio; omnis eia erit poſſeſſio eius? Numer. cap. 32. Dominabitur à mari vſque ad mare? Pſal. 71. Data eſt mihi om-

nis

nis poteſtas. Matth. cap. 28. (ſynonimis, quod eſt ſignum vniuerſale, nihil excludit) in cœlo, ecce ſpiritualis poteſtas; & in terra, en temporalis. Dum autem aduerſarij argumentantur, Chriſtus poteſtatem temporalem non exercuit, ergo non habuit; conſequētia omninò eſt negāda: ab vſu ad poteſtatem, ab exercitio ad habitum, ab actu ſecundo ad primum certè non valet: quemadmodum, nunquam Chriſtus viſus eſt ridere, ergo non potuit? falſa eſt deductio: & potuit Chriſtus plures mortuos ſuſcitare, quam tres; maiora miracula, pluraq; facere, diutius viuere, ſeipſum à morte liberare; non fecit, dices ergo tu, non potuit? iniuriam Chriſto inportas? Sic, declinabat terrena, ergo non erat Dominus? conſequentia nunquam valebit. Affirmat Pater Auguſtinus (de conſenſu Euang.) Chriſtum fuiſſe Regem, Prophetam, & Sacerdotē, ac proinde variè de ipſo ſcripſerunt Euangeliſtæ. Hanc ergo eandem temporalem poteſtatem, Diuo Petro eſt largitus; Tibi dabo claues; non clauem. Paſce oues meas. Ioan. vlt. quæ profectò paſtura, non modò circa ſpiritualia verſatur; imò verò & temporalia reſpicit: lege Ezechielem cap. 34. 35. de Dauide; Eſaiam 44. de Cyro; hi paſtores nuncupantur; corum nullus erat ſacerdos, ſed laicus Princeps; vt apud Homerum, Agamemnon paſtor appellatur: & D. Petrus regale nominat ſacerdotium, quoniam in ſolo Chriſti Vicario vtraque poteſtas rectè vnitur: aliorum ſiquidem Eccleſiæ Præſulum, poteſtas vel tantùm ſpiritualis eſt, vel certè ſi aliqua temporalis, ea limites habet anguſtos: laicorum quomodocunq; Principum duntaxat temporalis: apparet, de iure ſpirituali nihil: in ſolo Pōtifice culmen ſortitur vtraque ſuæ amplitudinis. De ſpirituali nihil eſt quod loquamur: ad temporalem nonnihil intendamus. Huius licet magis ſplendeſcat amplitudo executionis in alijs Principibus ſæculi, rebus ſpiritualibus non adeo intentis; ſatis tamen eſt, ſi gladius ſit ſub gladio, dicēte Domino: Conuerte gladium tuum. Matth. cap. 26. materialem videlicet in locum ſuum; tuum vtique dixit, non alienum: neque Chriſtus dixit, abijce; ſed repone, loco, & tempore adhibendum; nimirum conſtendo plenaria quidem poteſtate in temporalibus in Ec-

cleſiæ Romanæ iuribus, & patrimonio D. Petri; vt loquitur Innocẽtius cap. per venerabilem. extra ditionem verò temporalem Romanæ Eccleſiæ, certis cauſis inſpectis, temporalem iuriſdictionem exercendo cauſaliter ad nutum Pontificis, iuxta dictum Bonifacij VIII. in extrauag. vnam ſanct. de maior. & obed. & D. Bernardi ad Eugenium lib. 4. de conſide. ſic penes Romanos Pontifices erat etiam ius adimendi imperium ab ethnicis principibus, licet imperium à Chriſti Vicario non tunc, vt poſtea, obtinerent; quoniam euangelicam prædicationem impediebant, fideles iniuſtè perſequebantur, bona Eccleſiæ occupabant: quod ſi de facto Eccleſia ſuum non tuebatur, bellum illis non inferebat; id erat vel ex imbecillitate virium temporalium, vel non expediebat: poſtea verò omnem Imperatoris iuriſdictionem, & auctoritatem proximè pendere à Chriſti Vicario, quibuſdam exceptis Doctoribus, cõmunis ferè eſt aliorum melior, & verior ſententia. Bartolus in conſtit. ad reprimendum, recenſitis omnibus imperijs mundi, concludit; aduenieente Chriſto, Romanum imperium cœpit eſſe Chriſti imperium. Baldus in prohœmio ff. col. 2. probat, imperium ab Eccleſia pendere. Abbas in cap. nouit. de iudicijs. Felinus ibidem, Petrus de Monte, Caſtaldus item, Oldradus de Ponte conſ. 8. Millius in repertorio ver. Papa. Paulus de Caſtro, Antonius de Butrio, Imola, Andreas Siculus, Petrus de Ancharano, Præpoſitus cap. cauſam qui filij ſint legit. Archidiaconus, Alexander cap. quoniam 10. d. Hieronymus Balbus, Aretinus cõſ. 89. Cardinalis cap. cum ad verum. Antoninus 3. tit. 22. Auguſtinus triumphus de poteſtate Papæ q. 36. Syluelter ver. Papa. Papæ namq; ius eligendi Imperatorem Germanis conceſſit: ab ipſo confirmatur, & coronatur. Et quoniam per quas cauſſas aliquid fit, per eaſdem diſſoluitur, ab eodem Pontifice, ſi caſus tulerit, deponitur; vt Hiſtoriæ tradunt. Quid eſt ergo, quod Nauarrus in cap. nouit. de iud. ſcripſit; Papam, vt Papam, nullam habere poteſtatem temporalem: non ſummam, non mediam, non vltimam? imò verò ſummam, & excellentiſſimam habitu, & iuriſdictione; licet non vſu in vniuerſo orbe: iure, & potentia, etiam in infideles;

nõn actu: & quicunque eſt ouis Chriſti, hoc fateri debet.

Monarchiam eſſe optimam principatuum adminiſtrandorum rationem, & formam, ex Platone, Ariſt. in libris de Repub. Plutarco, Xenophonte, & alijs, teſtantur D. Thomas, & Ægidius Rom. libris de Reg. princ. cum vniuerſi totius faciem imitetur; vno Principe Deo Opt. Max. omnia ritè gubernante: quare omnium principatuum, Eccleſię præſtantiſſimum eſſe, perſpicuum eſt; ſub quo cuncta dominia, etiam vigſnta tria recenſita à Corrado; præſertim verò iam nobis nota; vt potè Originale, quod eſt inſtitutæ naturæ à Deo in Adamo, qui fuit primum omninò membrum Eccleſiæ militantis: Gratificum, quod eſt gratiæ perficientis naturam: atq; Beatificum, quo Beati in Patria fruuntur: etenim habitus gratiæ, & futuræ gloriæ ius, in ſola Eccleſia acquiritur: Vel Dominium naturæ, homini debitum; Diuinum, ſuperadditum: Gentium, ex quo meum, & tuum: Ciuile, & politicum. Ergo temporale; licet non tantæ dignitatis, & perfectionis, vt ſpirituale; minimè Põtifici repugnat.

Addo; ſi aduerſariorum vera eſſet opinio, omnem hominem à natiuitate, laicæ poteſtati ſubiectum eſſe, non daretur vtriuſq; fori diſtinctio, eccleſiaſtici nimirum, & ſecularis; quod eſt quam falſiſſimum, cùm immunitas eccleſiaſtica iuris ſit diuini: ac licet præciſa verba in diuina ſcriptura non legantur, ſat eſt, ſi factum ipſum habeatur, ſecundum S. Patris Auguſtini doctrinam: habetur verò, dum antiquæ legis Sacerdotes, à foro ſeculari eſſent exempti, quoad omnia: expreſſè ea colligitur ex canone Apoſtolorum 37. canone 10. in Concil. Calced. cap. 9. in Concil. Agatenſi 1. 2. & 3. canone; in Cartaginenſi 4. cap. 3. can. 26. in 2. Cartaginenſi, in Antiocheno 14. & 16. Non ergo Iuſtinianus Imperator eccleſiaſticis immunitatem primus conceſſit. Ab initio Eccleſiæ naſcentis, ſunt diſtincta tribunalia; quicquid perperam ſcripſerit quidam Marſilius. De qua nimirum diſtinctione, loquitur Calixtus I. Zeferinus in epiſtola ad Sicilienſes; Alexander 3. in concil. Lat. Vrbanus I. qui fuit anno 226. vult poſſe eccleſiaſticos, bona immobilia accipere à fidelibus, miniſtris Eccleſiæ diſtribuenda, atq; pauperibus. Lu-

eius Papa excommunicat expoliantes Eccleſias. In Concil. Later. ſub Leone 10. affirmatur, hanc immunitatem eſſe iuris diuini: & confirmatur à Tridentino ſeſſ. vlt. Iulianus Apoſtata primus fuit, à quo eccleſiaſtici omni honore priuati ſunt. Is omne frumentum ademit, libros combuſſit, leges abrogauit, eos ſecularibus ſubiecit curijs; ita Sozomenus lib. 5. cap. 5. quam poſtea iniuriam cæteri, & Pagani, & hæretici, atq; ſchiſmatici proſecuti ſunt; & mirè placuit Henrico 8. Anglorum Regi: ſic dolet ea de re Stephanus Papa, d. 63. cap. quia; Sancta Romana Eccleſia, cui (Deo auctore) præſidemus, à pluribus patitur violentias; præſertim ob hanc rerum temporalium poteſtatem; quam nec Pontifex negligit. ſic Leo 4. cap. quia præſulatus 1. q. 4. quia præſulatus noſtri magiſterium, non ſolùm de Sacerdotum; verùm etiam de ſecularium vtilitatibus debet eſſe ſollicitum. Non me latet, Couarruuiam cap. 31. pract. quæſt. pro vtraq; parte diſputaſſe; rationibus ex diuina ſcriptura, & à DD. adduxiſſe; omne ius fuiſſe ab ipſo diſtinctum; & propè erat vt concluderet eſſe iuris diuini; acceſſit tamen ad contrariæ partis argumenta, quorum pleraq; accepit à Carolo Molinæo impio in libro ad edictum Henrici 2. Hic nempè quadam indignatione motus, quoniam, dum pro Rege Gallorum cauſſis ageret, vt procurator, ſua iniuria, Rex cauſa cecidit, ipſe venenum contra eccleſiaſticos euomuit. Nauarrum certè miror, qui contra, ita arguit: plus differt Chriſtianus à pagano, quàm clericus à Chriſtiano; ſed Chriſtianus laicus remanet ſubiectus principi, ergo multò magis clericus. Tanti ponderis fuit hoc argumentum, vt Nauarrum turpiter duxerit in contrariam partem: & ſi enim Chriſtianus omnino differat à pagano; quæ eſt lucis comparatio ad tenebras? & ſola ſpecie humana connectantur; fide tamen, & moribus longè diſtant: minus verò differunt Chriſtianus, & clericus; ambo fideles, ambo eandem agnoſcunt Apoſtolicam Sedem: & quia in domo Patris mei; vt Chriſtus aiebat; manſiones multæ ſunt, Ioan. cap. 14. cum vterq; eadem domo Eccleſiæ gaudeat; priuilegia tamen immunitatis ab Eccleſia habet clericus; non ita laicus: ille

Deo

Deo conſacratus; non iſte. D. Athanaſius, illud D. Pauli exponens; ad Roman. cap. 9. Optabam anathema eſſe pro fratribus meis, obſeruat, ea quæ olim ab hominibus Templo dedicabantur, dici ob id anathema, quia Deo dicata; maledictio, & execratio in eum cadebat, qui auſu temerario auferre conaretur. Princeps laicus, non modò eccleſiaſticarum perſonarum non eſt dominus, neq; rerum temporalium; verum neq; bonorum mobilium, aut immobilium ſuorum ſubditorum. Nabot Regis Achab vineam ſuam iuſtè negauit; nec ille vi abſtulit; ſed moleſtè tulit; vt refert D. Ambroſius, c. conuenior 23. q. 8. quo loci, etſi Imperatori offerat aurum, argentum ſuum, & quæcunq; poſſidebat in bonis proprijs, humilitate, & ipſarum rerum deſpectu; non iure: Eccleſiam tamen, & eius bona, ne minima quidem Imperatori concedere volebat; imò pro huius immunitatis tutela, vitam erat paratus dare. Sic ergo vir Sanctus ſecum conquerebatur ad Valerianum ſcribens Imperatorem; Dolere potero, flere potero, gemere potero aduerſus arma militum; lachrimæ meæ arma mea ſunt; talia .n. ſunt munimenta Sacerdotis.

Bona ergo Eccleſiæ, qui aufert, ſurripit, impedit, detinet, inuadit, à Bonifacio Papa ſacrilegus iudicatur, 12. q. 2. c. nulli, ſi emendare renuerit, excommunicetur. Sic Gregorius Septimus excommunicationis pœnam ſtatuit in eos, qui bona Eccleſiæ à Principe laico accipiunt. In concilio Lateranen. ſub pœna anathematis præcipitur Principibus laicis, & Communitatibus, ne onera imponerent bonis Eccleſiæ; neque etiam excommunicatione in Bulla Cœnæ Domini, & quidem nullo prorſus euentu neceſſitatis, & publicæ vtilitatis, Quod aliquando clerici aliquid bonorum temporalium tribuant caſu neceſſitatis; Pontifice annuente; nunquam tamen de iure laicorum, aut immemorabili conſuetudine fieri poſſe, cautum eſt; ſed cum gratiarum actione à laicis accipiendum. Sunt enim aliquando laici Principes, qui finibus ſuis non contenti, nituntur in vetitum, & ad illicita frena immodicè relaxant; nimis rerum Eccleſiæ temporalium, magis quam fortè ſpiritualium, cupidi, vt ait Bo-

nifacius VIII. de immun. eccleſ. cap. clerici. Iniuſtè autem petentibus, iuſtè neganda: dum ipſi, & eorum aulici, ac politici, nihil magis præ manibus habent contra eccleſiaſticos, quàm illud dictum; Ratio ſtatus; eamq; omnino profitentur: quid verò ſit ignorantes: ea enim verè ſic definienda, ſiue, lex deriuata à diuina, & naturali, ad moderãdas actiones Principis, in rectum finem dirigendo; ſiue eſt poteſtas à Deo data, præſertim Principibus iuſtè impetrantibus, in cõmune bonum: hanc rationem ſi ritè perpenderent, quod Cæſaris eſt, Cæſaris daretur; & quæ Dei Deo. Verùm rationem hanc ſibi non ſtatuentes, aliam à Machiauello, à Bodino, à Marſilio, à Molinæo, & alijs ſchiſmaticis peſſimam accèpere: latè; imò latiſſimè decipiuntur. Rationes veri ſtatus, & à populo, quin etiam ab ipſo Principe, accipiendæ ſunt à ſummo Sacerdote, à quo & obſeruandæ leges à iure Diuino: non ab Ariſtotele, Platone, alijſq; Politicis parum Chriſtianis. Lege primum Regum cap. 10. Saul primum Hæbreorum Rex, à Samuele edoctus, ab ipſo vnctus, leges non ſuas populo dedit; ſed ipſe Samuel locutus, ipſe legem ſcripſit, populum docuit, & coram Domino poſuit: ſic Dominus etiam laicos in omni cauſa ad ſacerdotes deſtinauit, Deuteron. cap. 17. vide notabilem ſcripturam vtrobique.

Deinde, ſi placet, nota quæ ab Innocentio 3. Pontifice, viro ſancto, & apprimè docto, habentur in propoſita materia: is igitur in epiſtola, quæ incipit (Referente) ſcribit Rainerio, vt cognoſcat litem inter Regem Caſtellæ, & Nauarræ: à quo, rupto fœdere pacis, aliquot loca Regni Caſtellæ fuerunt occupata; & vult cogi ad reſtitutionem. In epiſtola (ex iniuncto) ſcribens Philippo Francorum Regi, iubet Papa, pacem ſeruari initam cum Baldo Comite Flandriæ. Item in epiſtola ad Anglorum Regem, mandat, reſtitui ab eo quaſdam pecunias filio Ducis Auſtriæ. Præterea in epiſtola, cuius eſt initium (In eo ſumus) iubet Regi Nauarræ, reſtituat certam pecuniam, Roccambrunam, & Sancti Ioannis caſtrum, quæ omnia acceperat nomine dotis à Rege Anglorum; quod ſi mandatis non pareat, Epiſcopo Narbonenſi præcipit, eum per excommunicationis fulmen cogat omi-

nino; eidem mandat recognitionem litis ciuilis inter Regem Anglorum, & Gallorum; quas etiam domum definiat. Ibidem laudat Regis Hungariæ pietatem; & cuidam Principi vetat contra hunc bellum mouere. Deinde in epiſtola (Inter Principes) minatur Francorum Regi; ni pacem ſeruet cum Anglorum Rege. Inſuper in epiſtola (Veniens ad noſtram audientiam) dat mandata Henrico Leonardo, & Marco Mauroceno Venetis, vt mandatum quoddam reuocent contra Andream Iureconſultum; quòd ſi renuant obedire, vult, vt Patriarcha pontificia vtatur in eos auctoritate, quod Zacharias Papa iuſtè, & legitimè depoſuerit Childericum Francorum Regem, & creari iuſſerit Pipinum; & Gregorius Septimus excommunicauerit Henricum IV. & imperio priuauerit, affirmant omnes veri ſcriptores Bellarmin. lib. de Pontifice. Vide ergo ſi cauſſaliter, vt idem Innocentius loquitur, Pontifex ſe intromittat ad cauſſas iuris ciuilis; nedum ſpiritualis: ſi ſoli comparanda ſit auctoritas ſpiritualis; Lunæ temporalis; quæ omnem illuſtrationem habet, non à ſe; ſed à Sole: ſi gladius ſit ſub gladio; vt Bonifatius 8. ſcribit; hoc eſt, temporalis igitur iuriſdictio ſubdita eſt ſpirituali. Etenim, ſi quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, ſecundum Apoſtolum ad Rom. 13: ergo inter poteſtates erit ordo, qui & prius, & poſterius poſtulat; ſuperius, & inferius; perfectum, & imperfectum; imperfecta eſt temporalis, inferior, poſterior; & perficitur, & dirigitur à ſpirituali. Quo pacto aiebat quoq; Philoſophus, in omni genere dari vnum primum, quod ſit metrum, & menſura aliorum; pariter in genere omnium poteſtatum vniuerſi totius, eminentiſſima eſt Summi Pontificis auctoritas, à qua cæteræ, vt à primo fonte riuuli emanant.

Quæ vero argumenta ad contrariam partem poſſent adduci, veritatem non lædunt 1. Reg. cap. 8. ius Regis legitur hoc; Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis: faciet ſibi equites, & præcurſores: conſtituet ſibi tribunos, & centuriones; aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum: filias quoque veſtras faciet vnguentarias: agros quoque veſtros, & vineas, & oliueta optima tollet: ſeruos veſtros, &

ancillas; greges etiam ponet in opere ſuo. Hæc ergo aulicis adeo arrident, vt omnium ſubditorum bona; ipſos quoque homines ad legitimum Regis ius ab ipſa natiuitate pertinere, adulando putant. Cum tamen hæc propterea dicantur à Samuele, vt concitatum populum, omnino auerteret à petitione noui Regis; nimirum vt habent aliæ gentes; quorum Regna, barbara, fera, tyrannica erant. Non ergo hoc eſt ius legitimum Regis; ſed vſurpatum à ſe; non iuſſu Domini, qui huiuſmodi Regis petitionem ægrè tulit. Et quia non fuerat à Domino vocatus, tanquam Aron, Saul tyrannus euaſit. Audi, non me, ſed D. Hieronymum in Ozeam; Saul, non ex voluntate Dei, ſed ex populi errore, Rex factus eſt; & quia radicem pietatis non habuit, ſtatim vt regnare cœpit, ſuccenſus eſt. Pariter D. Tho. in calc. 2. ſent. in 2. lib. feudorum, tit. 56. cap. quæ ſint regalia, numerantur omnia ferè iura regalia, & nuſquam dicitur, homines ſubijci ex ipſa natiuitate laicæ poteſtati.

Eſt tamen locus inſignis apud D. Apoſtolum ad Rom. 13. qui anſam præbuit etiam hæreticis. Audi; Omnis poteſtas à Deo eſt; inferunt ergo principes laici à Deo pendent, non ab Eccleſia. Reſpondetur hæc vniuerſalis ſimilis eſt illi, Omnis ſapientia à Deo eſt, Eccl. 39. & quidem vniuersè loquendo, omnis poteſtas, omnis ſapiētia; imò omnia à Deo ſunt: cum ſapientia dicatur eſſe à Deo; non omnis tamen ſapientia hominum eſt infuſa, qualis Adæ, Salomonis, & ſacræ Scripturæ (quæ immediate procedit à Deo) & Angelorum quoque. Cæterum alij viri ſapientes, doctrinam adeptis vna vel per inuentionem, vel per doctrinam, ex præcedenti facta cognitione ſenſuum, librorum, magiſtrorum, & proprio labore; vt ex Ariſt. liquet. Pariter omnis poteſtas à Deo eſt, vel immediatè, vel mediatè; in ſe eſt à Deo; quoad modum acquirēdi, & vſum, inquit Aegidius Romanus; eſt ab hominibus. Ad Hebr. 11. legitur; Nemo ſibi aſſumit honorem, niſi qui vocatur à Deo, vt Moyſes, Aron, Dauid, D. Petrus; & quoad vſum quandoq; ſic; quia, Per me Reges regnant, Prouerb. 8. quandoque non; in Amos, Ipſi regnauerunt, & non ex me. Imperatoriæ dignitatis electio eſt à Papa 2. Regis Hiſpaniarum

Digitized by Google

rum iure hæreditario : Gallorum hæreditate, & electione: Rex Poloniæ à nobilibus Regni; Turcarum vi armorum, & tyrannide: Reipublicæ Venetiarum, Genuæ, Ragusij, Lucæ poteſtas à magno conſilio. Alij Status, vel iure belli, vel per emptionem, donatioñe, nomine dotis, vel alijs modis; non à Deo immediatè: Certè Reſpub. Genuenſium 1226. anno, ſub Honorio Quarto, & Martino Quinto proprijs pecunijs libertatem eſt adepta: ſic Luca, Piſæ, Florentia, & aliæ quædam Ciuitates liberæ factę dicũtur à Rodulpho Imperatore.

Habet inſuper D. Paulus; Omnis anima ſubdita ſit poteſtatibus ſublimioribus; gloſſat Petrus Martyr hæreticus, videlicet Regibus, qui non potuerunt eximere Chriſtianos à ſua poteſtate. Alij politici hinc deducunt, etiam eccleſiaſticos ſubijci Principibus laicis: verum perperam, & ignoranter hoc faciunt; Gloſſator, & ibi D. Thomas dicunt; propterea D. Paulus ita loquitur; ne fideles iam ad Chriſti fidem conuerſi, ſe ob id putarent liberos à ſeculari poteſtate; quia à Chriſto liberati fuerunt à peccato quidem; non ab hac ciuili poteſtate. D. Anſelmus, omnis anima, ideſt omnis homo; more ſcilicet ſacræ Scripturæ; ſubdita ſit poteſtatibus vel ſecularibus, vel eccleſiaſticis, ait ipſe. Sic ergo ſubduntur eccleſiaſtici quoad honorem, & reuerentiam quandam; non vltra vt laici. Neque D. Chryſoſtomus aliud ſibi vult, cum Apoſtolos, Euangeliſtas, Prophetas, & Monachos dixit huic eſſe ſubiectos. Nota deinde, quod Apoſtolus non dixit, ſola poteſtas ſecularis; ſed omnis poteſtas à Deo. Ergo non omne dominium ſumpſit exordium à violentia, vt putauit Durandus. Si omnis, igitur eccleſiaſtica poteſtas æquè benè; imò magis eſt à Deo; pariter non ait D. Paulus; Omnis anima ſit ſubdita laicæ poteſtati; dicit poteſtatibus; ergo ſunt plures poteſtates; & quælibet exigit ſuum ius. Item nota, dixiſſe poteſtatibus ſublimioribus; comparatiuè loquitur; poteſtates autem ſublimiores, certè non ſunt ſeculares, ſed eccleſiaſticæ: hæ ſunt digniores illis: maiori ergo hæ decorandæ ſubiectione, quibus omne caput aperitur, omne genu flectitur, & primas partes quilibet catholicus ſiue Rex, ſiue Imperator concedit; ſi filius eſſe vult Eccleſiæ, vt admonet D. Ambroſius.

Ad-

Aduerte demum, nō modo D. Paulum, ſed etiam Petrum, eadem fermè verba habere, dicendo; Subiecti eſtote omni creaturæ humanæ propter Denm, ſiue Duci, ſiue Regi; non ſine cauſa gladium portat, etiam propter conſcientiam, &c. 1. Petri cap. 2. Hæc ergo dicunt diuini Apoſtoli, & ſcribunt laicis potius, non eccleſiaſticis; qui vel pauci admodū erant, Romæ, & alibi tunc temporis; quo epiſtolæ ipſorum dirigebantur. Nec putandum, ſanctos Apoſtolos verba illa ſtrictè præcipiendo ſcripſiſſe, vt quaſi ius diuinum contineant; ſed ius poſitiuum, à quo ſummus Pontifex, diſpenſando, potuit eccleſiaſticos à poteſtatē laica immunes facere: hortando ergo, & piè admonendo fideles ad Chriſtum conuerſos, ita locuti ſunt Apoſtoli Petrus, & Paulus.

Qui verò plura de re hac cupit, legat inſigne opus Patris Leonardi Galli Auguſtiniani contra myſterium iniquitatis Mornæi hæretici; & noſtrum quoque de ratione ſtatus, patrio ſermone, cum typis mandabitur.

FINIS.

NOs Magiſter Fr. Fulgentius à Monte Georgio, Ord. Erem. S. Auguſtini Prior Generalis, & Apoſtolici Sacrarij Præfectus, habita relatione Patrum fide dignorum, quod opus inſcriptum De vniuerſorum hominum ſubiectione temporali, & ſpirituali breuis animaduerſio, compoſitum per Venerab. P. Mag. Fr. Angelum de Arimino, dignum eſt, vt Typis mandetur; harum ſerie, & noſtri muneris poteſtate licentiam concedimus, vt excudi poſſit.

Dat. Romæ die 6. menſis Maij 1623.

Noſtri officij affixo ſigillo

Fr. Fulg. Gener. Apoſtolici Sacrarij Præf.

D. Homobonus de Bonis, Pœnitentiarius, Clericus regularis S. Pauli, pro Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Card. Archiepiſc.

Imprimatur.

F. Hieronymus Onuphrius, ſanctiſs. Inquiſitionis Conſultor, pro Reuerendiſs. P. Inquiſit. Bonon.

Die 6. Aprilis 1622.

ANimaduerſio Reuer. & doctiſſimi Pat. Mag. Fr. Angeli Vancij Ariminenſis Auguſtiniani verè docta, & catholica eſt; & zelo Eccleſiaſticæ immunitatis, ac Pontificiæ Maieſtatis vndecunque ardet, ac feruet: atq; digna eſt, quæ quoſcunq; catholicæ Eccleſiæ cultores ad cordis effectus incendat, inflammet.

F. Paulus Fraxinellus Bononienſis Ordinis S. Auguſtini.

Digitized by Google

ancy ... nis
num
adm.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRactatum adm. R. P. Mag. Angeli B
niani de ſubiectione Vniuerſorum hom
naturalis temporali Principum laicorum poteſtati, ex comm
R. P. Inquiſitoris Arimini, quam diligentiſſimè perlegi, nec in ipſo quidquam, quod Catholicæ fidei, vel bonis moribus obſtet reperi; immò cum Pontificiam auctoritatem, & Eccleſiaſticam immunitatem maximè tueatur, typis mandari dignum exiſtimaui.

Ita affirmo Ego D. Gabriel à Fonte Arimin. Canonicus Congregat. S. Georgij in Alga Venet. & Prior S. Iuliani de Arim. ſac. Theol. Doct. Pat. Collegiat. ſanctiſs. Inquiſitionis Conſultor.

Stante opt. ſuprad. Relatione
Fr. Franciſcus de Seſtino Vic. ſanctiſs. Inquiſit. Arimini.



INDEX
RERVM NOTABILIVM.

A

ABſolutioni generali duo requiſita. pag. 52
Adminiſtrās ſacramenta in peccato exiſtens, peccat mortaliter. 34
Aegrotus, an poſſit conſtituere alios, qui pro ſe ſoluant pœnitentiam. 299
Aegrotus in articulo neceſſitatis à peccatis abſolutus, ſi poſt modū conualeſcat, an maneat abſolutus. 330
Affinitas quid ſit. 491
Affinitatis ſufficiens cauſa quid ſit. pag. 514
Affinitatis gradus. 514
Affinitatis gradus cognoſcendi regula. 517
Archiepiſcopatus quid ſit. 107
Archiepiſcopi auctoritas. 108
Attētio requiritur in oratione. 169

B

BEneficium eccleſiaſticum, cur ſit inuendibile. 23
Beneficiarij teneantur ad ferrēdum habitum, & tonſuram. 24
Beneficia, quæ exigunt reſidētiam. pag. 37
Beneficiorum pluralitas. 392
Beneficij, & penſionis differentia. pag. 296
Beneficia incompatibilia. 398
Beneficia plura habere, in quibus caſibus liceat. 399
Beneficia plura habere cauſæ iuſtæ diſpenſandi. 400
Beneficium, vt canonicè poſſideatur requiſita. 401
Beneficiorum pluralitatem diſſuadentia. 404
Beneficiati, quando teneantur ad reſidentiam, & quando non. 37
Beneficiati, quibus cauſis teneantur ad reſidentiam. 38
Bigamia quid ſit. 94
Bigamia triplex. 94
Blaſphemia quid ſit. 341
Blaſphemiæ ſpecies. 343
Blaſphemia an ſemper ſit peccatū mortale. 346
Blaſphemię peccatum an ſit remiſſibile. 348

C

CArdinales quando inſtituti. pag. 135
Cardinalium officium. 136
Cardinales quales eſſe debeāt. 139
Carceratis quæ adminiſtranda. 82
Caſus Epiſcopo reſeruati. 74
Character quando imprimitur. 18
Chriſtus, quibus reliquerit poteſtatem conficiendi ſacramētum altaris. 192
Chriſtus quomodo ſit ſub ſpeciebus panis. 186
Chriſtus cur inſtituerit ſacramentum altaris ſub ſpeciebus panis, & vini. 190
Chriſtus in ſacramento altaris cultu latriæ adorandus. 193
Chriſti Corpus feſtum quare in-

ſtitutum. 192
Circunſtantias confiteri, an ſit neceſſarium. 317
Circunſtantiæ mutantes ſpeciem peccati, quæ nam ſint. 318
Circunſtantia loci, & temporis inducunt ſemper nouũ peccatum. pag. 320
Clerici ſignificatum. 1
Clericorum, & laicorum differentia. 2
Clericorũ corona quid ſignificet. 2
Clericatus munus. 2
Clerici ſunt exempti à datijs, & gabellis quadruplici iure. 3
Clerici ſunt exempti à ſubiectione laicorum. 3
Clerici non ſubijciuntur poteſtati ſeculari tempore belli, penuriæ, ac peſtis. 4
Clericis publica pœnitẽtia cur non permittatur. 6
Clericus qualẽ conuerſationem habere debet. 21
Clericus triplici prudentia debet eſſe inſignitus. 23
Clericis quibus caſibus liceat deponere habitum. 25
Clericalem habitum deferre, & ad horas, qui teneantur. 26
Clerici cum quibus mulieribus poſſint cohabitare. 27
Clericis prohibetur auaritia. 29
Clericis prohibetur negotiationes. pag. 30
Clericus deponens querelã coram Iudice ſeculari, an ſit irregularis. pag. 378
Clerici poſt ſacrum ordinem matrimonium contrahentes, quam grauiter peccent. 506
Clerici an æquè omnes ſubijciantur legibus Principum ſecularium. 532
Cognatio eſt triplex. 485
Cognatio ſpiritualis quando contrahatur. 485
Cognatio carnalis quid ſit. 487
Cognatio legalis quid ſit. 489
Concionatori requiſita. 76
Concionandi tempus requiſitũ. 76
Confeſſario neceſſaria eſt ſcientia. pag. 257
Confeſſarius audiens confeſſiones in læthali culpa, peccat mortaliter. 266
Confeſſarius quomodo ſe gerat in audiendis confeſſionibus. 267
Confeſſarij finis. 279
Confeſſario neceſſaria. 279
Confeſſarius, quæ conſiderare debeat, antequam iniungat pœnitentiam. 289
Confeſſarius ob multas cauſas poteſt minorem pœnitentiam iniungere pœnitenti. 291
Confeſſarius quomodo ſe gerat circa eos, qui ſunt in articulo mortis. 293
Confeſſarij valdè vtilis, ac neceſſaria eſt notitia Canonum pœnitentialium. 303
Confeſſio a quo, & quando fuerit inſtituta. 312
Confitendi obligatio, & ius quo tenemur. 313
Confitendi obligatio, an ſit de iure diuino, vel humano. 315
Confiteri an teneamur ſub pœna noui peccati. 314
Confeſſio an ſit neceſſaria de peccatis mort. ante baptiſmum. 316
Confeſſarius an abſoluat a peccatis quo ad culpam, vel quo ad pœnam. 316
Confeſſionis integritas an ſemper ſeruanda ſit. 322
Confeſſionem dimidiare, an ali-

Digitized by Google

quando licitum ſit. 331
Confitendum quando ſit. 324
Confeſſio an in ſecreto facienda ſit. pag. 327
Confeſſio quando, & an ſit iteranda. 327
Cōfeſſio quattuor modis dimidiari poteſt. 330
Confidentia quid ſit. 408
Confidētia quædam licita, & quædam illicita. 409
Confidentiæ diffinitio. 410
Confidentia, & ſimonia inter ſe differunt. 412
Confidentiæ beneficialis origo, & cauſa. 415
Confidētia multis rationibus committi poteſt. 417
Confidentia an ſit vbique prohibita. 422
Contrito, & confeſſo de peccato carnis, an liceat accedere ad cōmunionem. 203
Conuiuia in Eccleſia ſemper prohibent. 27
Copula carnalis quid ſit. 524
Corporalia, & Purificatoria, à quibus lauanda. 212

D

DElegatus ab Epiſcopo, non à Papa, an poſſit delegare. 263
Diaconus, & Subdiac. ſi in gratia ſunt, dum Miſſa celebratur, merentur gratiæ augmentum. 227
Dies à veteribus in quattuor partes ſecatur. 153
Differentia, & conuenientia ſacrificij crucis, & altaris. 194
Differentiæ matrimoniorum, quæ fiunt per vim, & eorū, quæ fiunt per metum. 503
Diſparitas cultus quid ſit. 500
Dolendum an ſit neceſſario de peccatis in particulari. 309

E

ECcleſia quando dicitur polluta. 67
Eccleſia quot modis polluatur. 214
Eccleſia polluta, polluitur etiam altare, & è conuerſo. 214
Eccleſia Catholica quare vna. 119
Eccleſia quare ſancta. 121
Eccleſia quare dicatur vniuerſalis, & catholica. 123
Epiſcopus quibus conditionibus gaudere debeat. 22
Epiſcopo prohibetur verberare proprijs manibus. 129
Epiſcopus ordinans neophitū, priuatur auctoritate conferendi ordines. 31
Epiſcopus quo caſu teneatur alere ordinatum ſine patrimonio. 36
Epiſcopatus quomodo vocetur ordo. 46
Epiſcopus dum conſecratur, non imprimitur nouus character. 47
Epiſcopus, quem ſacerdotem poſſit ſibi eligere in cōfeſſarium. 51
Epiſcopus quibus nominibus nuncupetur in ſacris litteris. 54
Epiſcopus vnde dicatur. 58
Epiſcopus tenetur viſitare Monaſteria Monialium. 79
Epiſcopi munus, & auctoritas. 85
Epiſcopalis, & ſacerdotalis differentia. 126
Epiſcopus qua ſcientia florere debet. 257
Excluſi à ſacramento ordinis. 12
Excommunicationes Epiſcopo reſeruatæ. 73
Excommunicatus an poſſit prius abſolui à peccatis, quam ab excommunicatione. 328

F

FVcus, & ornatus mulierū quid ſint. 447

Fuci diuiſio. 448
Fucus licitus. 448
Fucus, & ornatus multa peccata ſolent cauſare. 451
Fuci nocumenta. 457

H

Homo quando poteſt alteri mereri primam gratiã. 232
Homo an magis teneatur conteri de grauiori peccato, quam de leuiori. 340
Homo an teneatur conteri de peccatis ante baptiſmum, & illa cõfiteri. 340
Homicidium quid ſit. 349
Homicidium quotuplex ſit. 349
Homicidij ſpecies. 350
Homicidium an ſit peccatum grauiſſimum. 351
Homicidio dãs cauſam, quam grauiſſimè peccet. 369
Homicidium caſuale an ſit peccatum. 371
Homicidio præſtantes auxilium, & opem quam grauiter peccẽt. 372
Homicidium fieri mandans, conſulens, perſuadens, inſtigansque, aut adhortans, quam grauiter peccet. 377
Homicidium ex omiſſione defenſionis. 376
Homicidium ratum habens, an ſit irregularis. 381
Homicidam receptans, occultans, vel defendens. 383
Horæ canonicæ quid ſint. 254
Horæ quare dicãtur canonicæ. 254
Horæ canonicæ quare ſeptem. 255
Horas canonicas perſoluendi tempus. 278

I

Illegitimorum quattuor ſunt ſpecies. 473
Illegitimi pluribus rationibus repelluntur ab ordinibus. 473
Illegitimi quibus caſibus admittendi ſunt ad ordines. 474
Impedimenta ad ſuſceptionem ordinum. 65
Infamis quis dicatur. 426
Infamorum genera. 427
Inceſtuoſus an ſit dicẽdus, qui mortua vxore, cognouit eius conſanguineam, & an impediatur cum alia. 525
Inobedientia quid ſit. 533
Irregularitas quibus modis incurritur. 74
Irregularitates in tria genera diuiduntur. 430
Irregularitas in ordinatione. 431
Irregularitas tribus modis auferatur. 433

L

Laicus quomodo ſit capax poteſtatis ſpiritualis. 5
Legis eſſentialia sũt quattuor. 527
Lex ante promulgationem neminem ligat. 528
Legis actus quatuor. 528
Legis, & præcepta, quando ligent ſub pœna peccati. 529
Legem transgredi ex contemptu, quid ſit. 533
Linea cognationis quid ſit. 483
Linea conſanguinitatis eſt triplex. pag. 483
Litteræ dimiſſoriæ duabus cauſis conceduntur. 40
Litteræ dimiſſoriæ cur ſit inuentæ. 40
Litteræ dimiſſoriæ quando concedi non poſſunt. 40
Litteras dimiſſorias concedendi, quibus datur facultas. 41
Litigioſus quis dicatur. 29
Locus aptus Miſſæ ſacrificio. 206
Ludus licitus. 439

Ludus

Digitized by Google

Ludus multa vitia cauſat. 440
Ludens etiam ludo licito, tria vitare debet. 441
Ludus alearum interdicitur Clericis, & Monachis. 443

M

Matrimonij duodecim impedimenta. 477
Matrimonium dirimitur ab errore. 478
Matrimonium dirimitur ab errore conditionis ſeruilis. 480
Matrimoniũ dirimitur à voto. 481
Matrimonium impeditur à cognatione. 483
Matrim. ne irritum habeatur, ſeruandæ ſunt tres regulæ. 484
Matrim. impeditur à tribus criminibus. 495
Matrimon. impeditur à diſparitate cultus. 500
Matrim. contrahere cum hæretica magis licet, quam cum infideli. pag. 502
Matrim. impeditur à vi, violentia, & metu. 502
Matrim. violentia præciſa conſumatum, eſt nullum. 504
Matrim. impeditur ab ordine ſacro. 505
Matrim. impeditur à ligamine. 507
Matrim. impeditur à publica honeſtate. 508
Matrimon. impeditur ab affinitate. pag. 514
Matrim. impeditur ab impotentia. pag. 518
Matrim. impotentia vnde procedat. 518
Matrim. an diſſoluatur ob furiam, & ob ægritudinem. 520
Matrim. dicitur clandeſtinum duobus modis. 521
Matrim. clandeſtini caſus, in quibus poteſt Epiſcopus diſpenſare, & denunciationes. 521
Matrim. contrahi impedientia, & contractum diſſoluentia. 523
Matrim. an impediatur à quocunque inceſtu. 525
Meritum & merces quid ſint. 229
Meritum de condigno, & meritum de congruo quid ſint. 234
Miſſæ nomina. 179
Miſſæ deſcriptio. 193
Miſſæ partes quid ſignificent. 197
Miſſam celebrandi tempus. 203
Miſſæ tres in Natiuitate Domini quid ſignificent. 219
Miſſæ valor. 222
Miſſæ valor diuiditur in tres partes. 223
Miſſa mali ſacerdotis, & in peccato mortali exiſtentis. 224
Miſſæ ſacrificiũ, quibus proſit. 226
Miſſa habet triplicem partem. ſ. ſacramenti, ſacrificij, & orationis. pag. 241
Miſſa de Spiritu ſancto, vel de feria, vel alia, an tãtum valeat pro defunctis, vt de Requiem. 243
Miſſa dicta pro pluribus, an proſit cuilibet, ac ſi pro quolibet eorum diceretur. 245
Miſſa mali ſacerdotis an valeat, vt boni. 246
Miſſa celebrata pro anima alicuius, qui eo ſuffragio non indiget, cui ſit profutura nè indiget. 247
Miſſæ 30. dictæ pro triginta dies continuos, an valeant, veluti ſi totidem vno die à pluribus ſacerdotibus dicerentur. 247

N

Neophitus quis dicatur. 31
Notario requiſita. 81

Of-

O

Officium cuiuſcunque ordinis. pag. 48
Officium boni Paſtoris. 54
Officij diuini deſcriptio. 149
Officium diuinum quare clara voce recitandum. 151
Officium diuinum à quibus ſit recitandum. 159
Officium B. M. V. ſeptem Pſalmi, Graduales, & Officium Defunctorum, an ſit de præcepto recitanda. 166
Officium diuinum recitãdi forma. pag. 174
Officium diuinum recitare, qui excuſentur. 175
Officium diuinum, qui non poteſt recitare, an teneatur audire. 174
Officium diuinum qui tenentur recitare in Choro, q d ſi extra. 176
Officium diuinum recitandi modus. 177
Opus operans, & opus operatum quid ſint. 337
Ordo ſacer eſt neceſſarius ad omnia ſacramenta. 6
Ordo ſacer cur ſit ſacramentum. 7
Ordines quibus diebus conferri poſſint ab Epiſcopo. 13
Ordinis ſacramenti finis. 17
Ordinando neceſſaria. 17
Ordinis ſacramenti materia. 12
Ordinis ſacramenti forma. 14
Ordines quot ſint. 18
Ordines maiores quare dicantur ſacri. 18
Ordinari in Epiſcopũ quibus prohibeatur. 31
Ordinum minorũ ſuſceptioni quæ requirantur. 32
Ordinum maiorũ ſuſceptioni quæ requirantur. 33
Ordinatus ab Epiſcopo excommunicato, non poteſt exercere officium. 33
Ordinatus ante legitimam ætatem, & extra legitima tempora eſt ſuſpenſus. 33
Ordines ſuſcipiens in peccato mortali, an peccet mortaliter. 34
Ordinari quis non poteſt ſine patrimonio. 36
Ordinatus ſine litteris dimiſſorijs, quando incurrat ſuſpenſionem, vel irregularitatem. 42
Ordinum ſingulorum materiæ. 42
Ordinis eſſentia requirit tactũ. 43
Ordinum ſingulorum formæ, & quando imprimatur charact. 43
Ordo Presbyteratus quando debet iterari. 45
Ordinis ſacramenti quis ſit miniſter. 46
Ordines omnes quare ſint tantum vnum ſacramentum. 46
Ordinandorum impedimenta. 94
Ordinandis titulus, ætas, ac tempus requiſitum. 98
Ordinando ſcientia requiſita. 100
Ordinati ordinibus minoribus nõ tenentur ad Officium diuinum recitandum. 162

P

Patrimonium quo caſu vendi poſſit. 36
Patriarcha quid ſit. 107
Patriarcharum priuilegia. 109
Peccatum notorium quid ſit. 35
Peccata notoria quot ſint. 36
Peccata, quæ neceſſario ſunt confitenda. 314
Peccatorum venialium deſcriptio. pag. 315
Peccata venialia, an ſint neceſſario confitenda. 315. 336
Peccata mortalia, quo iure confiteri vni ſacerdoti integrè ſit neceſ-

ſteſſarium. 316
Peccatum quid ſit, quotuplex ſit, quæ eius partes, & effectus. 332
Peccatorum venialium an ſit neceſſaria contritio. 338
Peccatorum ſingulorũ mortalium, an debeat eſſe ſingulæ contritiones. 338
Peccator an ſtatim teneatur confiteri. 339
Peccatum mortale impedit rectum vſum ordinum. 435
Peccatores ſacerdotes ſunt in triplici differentia. 455
Penſionarij ad quid teneantur. 159
Penſionarij, & Clerici non recitantes Horas B. M. V. tenentur ad reſtitutionem fructuum pro rata. 161
Penſio quid ſit. 346
Peregrini publicè celebrare nõ poſſunt, niſi litteras dimiſſorias oſtenderint. 39
Pœnitentia quomodo neceſſaria ad ordines ſuſcipiendos. 18
Pœnitendum de quibus peccatis ſit. pag. 308
Pœnitentia an ſit neceſſaria de peccatis obliti. 311
Pœnitentia an ſit neceſſaria de peccatis futuris. 312
Pœnitentia publica quæ ſit. 472
Pœnitentia ſacramentalis quid ſit. pag. 422
Pontifici triplex poteſtas à Chriſto tradita. 112
Pontifex quare dicatur Papa. 113
Põtificibus data eſt auctoritas Petri. 115
Pontifex vt homo errans, num poſſit corripi. 128
Pontificis auctoritas in Purgatorio. pag. 130
Poteſtas conſecrandi corpus Chriſti, quando collata Apoſtolis. 7
Poteſtas remittendi peccata quando collata Apoſtolis. 7
Præparatio ſacerdotis præcedens Miſſæ ſacrificium. 200
Prima tonſura non eſt ordo. 29
Prudentia cui ſit neceſſaria. 57
Pueri, quare à ſacerdotio excludãtur. 145

Q

Quæ agenda ſint in ſynodo. 63
Quę faciẽda ſint in viſitat. 62
Quę interroganda ſint circa Eccleſiam. 77
Quæ requirantur in Hoſpitalibus. pag. 79
Quę requirantur ad Epiſcopũ promouendum. 86
Quæ ſint interrogãda de Parocho, aut habente beneficium. 68
Quæ ſint interroganda de ſimplici Clerico. 64
Quid requiratur ad ſuſceptionem primæ tonſuræ. 20

R

Ratum haberi quid ſit. 381
Religioſi an teneãtur ad Horas canonicas. 162
Remedia circa accidentia Miſſæ. pag. 247

S

Sacerdotis functiones tres ſunt. pag. 10
Sacerdotium duplex. 50
Sacerdos cor populi appellatur. 105
Sacerdotalis dignitas. 141
Sacerdotalis deſcriptio. 145
Sacerdotis noui, & ſacerdotis veteris Teſtamenti differentia. 147
Sacerdos celebrans ante Matutinũ, & Primam an peccet mortaliter. 202
Sacerdotales veſtes omnes ſingillatim quid ſignificent. 209

Sa-

Sacerdoti an liceat vnicum tãtummodo ſacrificium in vita ſua facere. 217
Sacerdoti an liceat pluries in die celebrare. 219
Sacerdos ſub reatu mortali, an teneatur ad quotidie celebrãdum. pag. 220
Sacerdos, an ex beneficij inſtitutione, poſſit obligari ad quotidie celebrandum. 221
Sacerdoti quid faciendum, cũ non recordatur ſe protuliſſe verba conſecrationis. 221
Sacerdos an poſſit vnica Miſſa pro pluribus ſatisfacere. 240
Sacerdos obligatus dicere Miſſam pro aliquo, poſſit etiam pro alijs applicare ſacrificium. 242
Sacerdoti an liceat pro Miſſis celebrandis aliquid accipere. 245
Sacerdos, promittens dicere plures Miſſas, quomodo ſatisfaciat. 245
Sacerdoti neceſſaria eſt ſcientia de iure diuino. 254
Sacerdotalis poteſtas. 261
Sacerdotalis probitas. 266
Sacerdos ſimplex quãdo poteſt abſoluere à peccatis. 234
Sacramentorum Eccleſiæ differentia. 26
Sacramentum accipere à malis miniſtris quando liceat. 437
Sacrificij partes eſſentiales, quæ ſint. 182
Sacrificium altaris eſt præſtabilius alijs. 183
Sacrificij Miſſæ deſcriptio. 193
Sacrificij Miſſæ quædam notanda neceſſaria. 212
Sacrificia Miſſæ celebrando neceſſaria. 217
Satisfactio fit tribus modis. 286
Satisfactio iniungenda à Confeſſario. 289
Sigillum quotuplex ſit. 268
Sigillum confeſſionis quid ſit. 269
Sigillum cõfeſſionis quæ comprehendat. 270
Sigillum confeſſionis nunquam reuelandum quouis caſu. 271
Sigillum confeſſionis quando poſſit frangi. 273
Sigillum confeſſionis quando frangatur. 274
Simonia quid ſit. 383
Simoniæ ſpecies. 386
Simonia perfecta tria requirit. 388
Simonia quomodo committatur. 412
Sponſalia, vt impediant matrim. multa requirunt. 508
Sponſalia à quibus contrahi poſſint, & quando obligationem inducant. 509
Sponſalia vnde dicantur. 510
Sponſ. multis modis ſoluuntur. 511
Sponſalia vt ſoluantur, an requiratur auctoritas Iudicis eccleſiaſtici. 513
Stipes quid ſit. 483
Suſpenſio quid ſit. 464
Suſpenſionis tres ſunt ſpecies. 465
Suſpenſio incurritur multis modis. pag. 466
Suſpenſionis notanda. 468

T

Titulus ad ordines requiſitus. pag. 56

V

Viator quomodo mereretur vitam æternam. 231
Vir conſtans quis dicatur. 504
Viſitatio generalis circa quæ verſari debeat. 64
Vſurarius manifeſtus an abſoluendus. 281

FINIS.

Erratorum correctio.

Pag	Col.	Error.	Correctio.
3	22	Iudeas	Iudæos
7	7	tamquàm	tantum
18	32	indicatur	indicitur
20	3	hæc	hac
ibid.	29	vncis	vincis
22	11	violentem	vinolentum
ibid.	35	habent	habeat
23	27	ignorantiis	ignorantiam
ibid.	28	imprudentia	imprudẽtiam
ibid.	ib.	viranda	vitandam
26	4	veſtem	veſtes
28	36	quare	quam
30	25	damnationes	damnatione
33	28	diſpenſant	diſpenſat
37	28	licet	licitè
ibid.	30	vtilitas	vtilitate
49	36	Apoſtate	Apoſtatæ
51	33	quæcumq;	quemcunq;
55	9	eſtimantur	æſtimatur
ibid.	30	meliore	meliores
ibid.	34	afficere	efficere
ibid.	36	ſanctitates	ſanctitate
57	36	manuq;	manumq;
58	29	Epiſcopi	Epi
60	10	rude	rudis
61	22	officij	officijs
66	27	alicnis	alicuius
77	i tit.	De Hoſpitalia	De Hoſpita-
ibid.	18	ſit	ſint (libus
ibid.	20	eſt	ſunt
114	36	ſint	ſicut
120	11	Eccleſias	Eccleſiæ
122	21	exteriores	interiores
126	9	maximè	maximum
141	28	graue	graues
154	23	laborium	laborum
161	17	penſionari	penſionarij
187	37	gloroſiam	gloriam
194	6	quam	quem
198	33	orationea	orationem
203	14	perſoluas	perſoluatur
228	28	quædam	quodam
256	9	mala	malas
267	15	confeſſarium	confeſſario
274	36	magna	magnas
312	27	inſtitutum	inſtituant
317	26	mutat	mutant
340		aut	&
437	34	ſuſcepi	ſuſcipi
464	9	beata	beatas
466	35	ſecluſio	ſecluſo
491	23	fornicatio	fornicato

Digitized by Google



BONONIAE
Ex Typographia Theodori Maſcheronij,
& Clementis Ferronij. 1623.

Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

R. SALVAREZZA
RESTAURO
la Val Sassina, 5
Tel. 698.223